IHS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA

8
20 — H
82

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3.5.18

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI

SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

MEDITATIONES SACRÆ,

à

IOANNE BRISSELIO

EIVSDEM SOCIETATIS,

NVNC EDITÆ.

MOGVNTIÆ

Apud IOANNEM ALBINVM,

M.DC.XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS AD MEDITATIONEM INSTRVCTIO.

MEditatio, quam hoc loco deſcribimus, nihil aliud eſt quàm attenta rerum diuinarum eoq́ue pertinentium inueſtigatio, conſiderationq́ue, qua animus ad pietatis ceterarumq́ue virtutum ſtudium excitatur atque inflammatur, cui permixta eſt familiaris ac frequens cum Deo Sanctiſq́ue, tum mente, tum voce ſermocinatio: cùm nimirum animus diuina luce colluſtratus, penitus in virtutis ac rerum diuinarum, atque etiam ipſius Dei agnitionem penetrat. Ex qua magnam in ſe rerum periturarum deſpicientiam, flagitiorumq́ue deteſtationem excitari ſentit: experiturq́ue contrà ardens ſibi deſiderium conſectandi virtutem, repudiandiq́ue ea omnia, quæ huic aduerſantur, iniici: ac demum ſe vehementi amoris affectu ad arctiſſimam cum Deo familiaritatem ineundam, inflammari.

Hæc meditatio tribus animæ facultatibus exercetur:

1 Memoriâ, quæ materiam. ſeu rem de qua meditatio inſtituenda eſt, complectitur, & intellectui obijcit.

2. Intellectu, qui rem à memoria ſibi propoſitam intuetur atque excutit, eius rei veritatem, cauſas, proprietates, aliaque eius adiuncta perpendens.

3. Voluntate, quæ pro diuerſitate rerum ab intellectu conſideratarum, ad diuerſos affectus concitatur atque impellitur.

Hiſce voluntatis affectibus animus aut ipſe in ſe, aut in Deum tendit. In ſeipſum, cùm aut proprium ſuum vnde exſtitit, nihilum, naturæ vilitatem, vitiorum probra criminum multitudinem, atrocitatem, debita ſupplicia, expendens, iuſta in ſe indignatione exardeſcit, vindictam punitionemque de ſe voluntariis ſui vexationibus ſumere decernit, & culpas priores indefeſſo virtutum ſtudio, ſedulaque Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum imitatione, compenſare ac eluere.

In Deum verò tendit, cùm conſiderata diuinæ naturæ dignitate, potentia, ſapientia bonitate, pulchritudine, liberalitate, clementia, iuſtitia, inſigni eius in homines caritate, tot beneficijs teſtata, tantæ maieſtatis amplitudinem miratur, laudat, extollit gratias agit, ſeque ad tantũ numen, quanto

poteſt

Digitized by Google

poteſt maximo amore venerandum, excitat.

Præludia Meditationis.

1. VEſpere priùs quàm te ad quietẽ compones, ea capita ſtudioſe prælegenda adſunt, de quibus poſtridie meditandum erit.

2. Mane cùm expergiſcere, continuò iterum in animum reuocanda, quæ pridie ad meditandum fuerant propoſita.

Exordium Meditationis.

1. POſcenda breuiter à Deo auxilia ad bene, vtiliterque meditandũ neceſſaria,

II. Obijcienda animo, & quaſi præſentia ſibi mente effingenda, loca, perſonæ aliaque cum meditationis argumento coniuncta.

III. Petenda à Deo gratia, qua inſtructi ex præſenti meditatione, ſingularem aliquem fructum capere poſſimus.

IV. Componendũ eo ſitu corpus, quem ad attentam meditationem inſtituendam commodiorem fore putamus, ſeu pedibus conſiſtendo, ſeu genibus nitendo, ſedendo, inambulando, aut alia quacumque decenti compoſitione.

Ipsius Meditationis consideratio.

I. EXcutiendum inspiciendúmque primum meditationi præstitutum caput, eique inhærendum qamdiu in eo inuenitur quod aut intellectum erudiat aut voluntatem pro sensu afficiat, & quasi gustu quodam detineat, licet in eo solo omne meditationi præfixum tempus contingeret impendi.

II. Primo materiæ puncto sic excusso transeundum erit ad secundum & sic deinceps. Quod si contingat pertractatis excussisque singulis ad meditandū præfixis, necdum meditationis tēpus effluxisse, possunt eadem à principio, aut illa saltem in quibus maior fuerit animi sensus, iterato tertractari.

III. Tempore meditationis prope elapso, concludenda erit, oratione ad Deum instituta, quæ aut sola mente, aut verbis etiam exterius prolatis, fieri potest.

Potest hæc oratio diuersimode concipi, prout diuersarum personarum conditio, quas inter orandum quiuis in se suscipere potest, requirit.

1. Potest fieri tanquam à facinoroso coram iudice, à quo veniam admissorum postulet.
2. Tamquam ab inope ad opulentum, ac præpotentem regem, cui calamitatem suam explicet.

3. Tam-

3. Tamquam à ſeruo ad dominum ſuum cum omni reuerentia & ſubmiſſione.
4. Tanquam ab infirmo ad medicum, à quo oſtenſis vulneribus ac morbis, remedia poſtulet.
5. Tamquam à filio ad patrem, aut amantiſſimam matrem.
6. Tamquam à ſponſa ad caſtiſſimum animæ ſuæ ſponſum.

Obſeruatio circa colloquium.

1. POſſunt huiuſmodi colloquia inſtitui non ſolum in extremo meditationis, verum etiam quoties id affectus inter meditandum ſuaſerit,
2. Non ſolum cum Deo huiuſmodi colloquia, verum etiam cum Beatiſſima Virgine, alijſque Sanctis fieri poſſunt, prout in diuerſis meditationis ſubiectis vnicuique animus ſuggeſſerit.
3. Finita meditatione per colloquium, Deo ſeu verbis, ſeu ſola cogitatione gratiæ pro ſucceſſu meditationis agendæ, petendumque ab eo præſidium, vt ea quæ inter meditandum ſancte perfecturos nos ſtatuimus, reipſa perficere poſſimus.

Retractatio poſt Meditationem.

COnſiſtit hæc in attenta diſcuſſione eo-

rum quæ nobis toto meditationis decursu accidere.

1. Obseruauerimúsne ea, quæ meditationi fuerant præmittenda.

2. Anne voluntatem ad pietatem, sanctaq; desideria excitauerimus.

3. Quomodo nos senserimus affectos in conclusione Meditationis, nimirum in oratione seu colloquio.

4. Anne vlla in re à nobis notabiliter delictum sit, & huius causa inuestiganda.

5. Reuocanda in memoriam pia desideria, ac proposita tempore Meditationis concepta, & circumspicienda præsidia ad ea re ipsa perficienda.

Delectus argumenti Meditationis.

VT non omnes omnibus artes, nec eadem item omnibus exercitia conueniunt; sed ab vnoquoque, pro naturæ atque ingenij diuersitate, ea seligenda sunt, quæ cuique maxime sunt accommodata: idem etiam faciendum iis qui seria virtutum exercitatione, meliorem viuendi rationem inire meditantur. Et vti in artibus, studiisque ciuilibus, optima ad proficiendũ via est, prudenter ab initio id sibi deligere, ad quod natura & educatio maxime aptos effecit: ita ad

ad felicem in virtutum ſtudio progreſſum permagni intereſt, eiuſmodi procedendi rationē amplecti, quæ & naturæ & vitæ conditioni maxime conueniat. Et vt in ædificio exſtruendo, non vndecumque libuit incipiendum, ſed vnde ratio & periti architecti melius eſſe cenſuerint. primum ... conſiderādus attēte locus cui inædificandum, & pro eius conditione ac natura ea fundamenta ſubijcienda, quibus deinde omnis ædificij ſubſtructio ſolide inniti p... amentis enim eſſet à tecti aut murorum machinatione ante quam iacta ſint fundamenta, ordiri velle.

Eadem omnino eſt ratio ſpiritalis ædificij, quod ex variarum virtutum ordinata coagmentatione conſtruitur. In huius enim molitione magna diuerſitatis naturarum a morum habenda eſt ratio, vt pro capacitate cuiuſque ac conditione, ea quæ cuique maxime accommoda cenſebuntur, meditationis argumenta proponi poſſint.

2. In prima huius ædificij molitione, maxime ſolida ſtabiliaque ... meditationis fundamenta, quæ ... reliquam ædificij molem ſuſtineant. Vnde conquirenda primo operis aggreſſu eiuſmodi meditationis capita quæ ſint tanquam fulcra quædam ac fundamenta nouæ & ſanctioris vitæ: qui

5. De propriis cuiuſque peccatis.
6. De mundi vanitate ac fallacia.
7. De morte.
8. De Iudicio particulari.
9. De Iudicio vniuerſali.
10. De purgatorio igne.
11. De pœnis inferorum.

Secundis conueniunt eæ meditationes, quæ in ipſis virtutis ſtudium promouere poſſunt. quod fieri ſolet meditationibus

1. De vita paſſione, & morte Chriſti.
2. De vita B. Virginis, aliorumq; Sãctorum.
3. De ſeptẽ petitionib. orationis Dominicæ.
4. De octo beatitudinibus.
5. De ſalutatione angelica, *Aue Maria, Salue regina, Aue maris ſtella.* Item de inſignioribus ſententiis à Deo, aut Sanctis pronunciatis. Circa quas conſiderare poſſumus, ſi quod iis præceptum contineatur, quid obtemperantibus promittatur, quo fine quaue mente ab auctore prolata ſint. demũ ad ea quæ imperãtur aut ſuadẽtur perficiẽda, animus cõquiſitis rationib. cõcitãdus.

Tertijs vtiles ſunt meditationes, quæ mẽtem cum Deo amoris, ac charitatis nexu arctius deuincire poſſiut. Quales ſunt.

1. De magnitudine, bonitate, ſapientia, aliiſque diuinæ naturæ proprietatibus.
2. De beneficiis Dei in homines.

3. De ijs quæ post Christi à mortuis resurrectionem accidere.

4. De sempiterna gloria, ac præmiis, quæ Deus Sanctis suis in æterna vita præparauit, quo iam complures eorum pro meritorum diuersitate fruuntur.

Non tamen hinc sequitur, neminem se primis meditationibus occupare posse aut debere, nisi qui prima vitæ melioris rudimenta moliatur: nec item iis quas tertio loco recensuimus, neminem præter eos qui perfectionem virtutum attigerint. nullius enim est tam perfecta omnibusque numeris absoluta virtus, quæ non subinde etiam primis meditationibus expurgari atque perpoliri debeat. Quis enim est qui persuadere sibi possit, eam se iam perfectionem attigisse, vt primæ classis meditationes sibi minime vtiles esse, ideoque nec vsurpandas putet? Qui tamen nullum adhuc vitæ spiritualis experimentum fecere, iis omnino expedit vt à primis incipiant. Alij ex iis eas seligere possunt quas conditioni suæ ac profectui vtiliores fore existimabunt.

Finis Meditationis.

1. EXpurgare mentem ab omni peccato, prauis consuetudinibus, atque propensionibus:

ſionibus abducere à nimia mundi conſuetudine, nimioque earum rerum amore quas mundus arctius amplecti ſolet, vt ſunt diuitiæ, honores, vitæ commoditates.

2. Animum exornare omni virtutum decore.

3. Mentem Deo arctiſſimis amoris vinculis obſtringere.

Subſidia quibus hunc Meditationis finem aſſequi poſſimus.

1. SVnt meditationes, & conſiderationes de quibus dictum eſt, quæ præcipue ad huiuſmodi fines pertinent. E quibus ad primum finem ducunt meditationes de morte, Iudicio, Inferno, de peccatis, ſimilibuſque argumentis, quæ animo timorem ac formidinem poſſint incutere.

Ad ſecundum finem, eæ meditationes quæ ſecundo loco ſunt poſitæ, de vita, paſſione, & morte Chriſti, de rebus geſtis Beatiſſimæ Virginis aliorumque Sanctorum. In quibus tanquam in ſpeculo omnia virtutum exempla, ſubſidioque ad ea conſequenda, relucent.

Ad tertium finem, tertio loco præſcriptæ meditationes, [illegible] de diuinæ naturæ perfectionibus ac proprietatibus, de ipſius immenſitate,

menſitate, bonitate, liberalitate, ſcientia, ſapientia, omnipotentia, de gloria & præmio Beatis in cœlis præparato, deq; aliis huiuſmodi argumentis, quæ nos quoquo modo ad Dei amorem excitare poſſint.

11. Crebræ ac breues de Deo diuiniſque rebus cogitationes, deſideria, vota, quæ, quia animus iis crebro iteratis ex Dei, rerumq; cæleſtium recordatione nouum quaſi ſpiritum trahit, aſpirationes vocari ſolent, quæ horis ſingulis, mediis item horis, ac frequentius etiam vſurpari poſſunt. Cui rei multum ſeruiet habere in promptu breues feruenteſque precatiunculas, quibus ſe animus ad pios affectus concitare, ſanctaque deſideria crebro in ſe ſuſcitare poſſit. Ac ſi ad primarum meditationum terminum aſpiret, ſint eiuſmodi hæ ſententiæ quæ ad mundi contemptum, peccati deteſtationem, timorem mortis horrorem, diuini Iudicij ac inferorum, exſtimulent. Pro ſecundo fine, quæ decus ac pulchritudinem virtutis animo obijciant, inſtrumenta ad hanc comparandam ſuggerant, exempla Chriſti, ac Sanctorum in memoriam reuocent Pro tertio fine, quæ animo diuini amoris ignem inijcere, gratitudinem pro perceptis beneficijs augere, admirationem infinitæ Dei bonitatis, ſapientiæ, ceterarumque perfectionum.

fectionum diuinarum adferre possunt.

Huiusmodi aspirationum fructus.

I. Aspirationes hæ, quæ etiam apposite orationes iaculatoriæ vocari solent, magnam facilitatem adferunt, vt expedite meditationis scopum consequamur, & præcipue vt Dei in nobis charitatem accendamus, cui rei potissimum seruiunt: vtpote quæ ob breuitatem facillimæ sunt, maximeque expeditæ, ac minime dolis atque insidiis dæmonis obnoxiæ.

II. Harum vsurpatione frequenti, paulatim in animo, fluxarum voluptatum gustus emoritur, memoria obruitur, & earum desideria sensim in horrorem, ac odium transeunt, dum animus virtutum suauitate delinitus, in eas affectũ omnẽ trãsferre cõtendit.

III. Harum quoque aspirationum præsidio fit vt homo perpetuo se coram Deo consistere meminerit, & illius amore continenter ardeat, vnde non raro, maxime in incipientium corporibus molestia aliqua, ac debilitas deriuatur.

Quædam cauenda iis qui meditari volunt.

I. Cauendũ ne inter meditandum nimia contentione vim inferamus,

1. Imaginatiuæ, vehementi nimium rerum repræsentatione.

2. Memo-

2. Memoriæ, nimis multa ei commitendo. Cui incommodo occurritur, si tempore meditationis ad manum habeas descripta meditationis argumenta : vt perlecto primo eius capite, tamdiu illi excutiendo insistas, quam in eo aliquem gustum inuenias, deinde ad secundum, ac deinceps ad cetera simili modo transire possis, singulis tantisper inhærendo donec in iis aliquid quod animo prodesse possit reperias. Qui modus meditandi memoriam admodum iuuat, euagationes impedit, attentionem auget, mentemque non multum fatigat.

3. Intellectui, nimium contenta rerum curiosarum, subtilium, superuacanearum inuestigatione.

4. Voluntati, nimium vehementibus atque extortis affectibus.

11. Præcauendæ etiam Dæmonis insidiæ, atque impugnationes, quas subinde illustrationum, cohortationum, impulsionumque ad virtutem specie, occultare solet.

Discrimina inter affectus ac illustrationes à Deo, à natura, aut à dæmone profectas.

1. QVidquid à dæmone proficiscitur, plerumque ad inconstantiã, inquietudinem,

tudinem, ac perturbationem animum pertrahit: facit vt alte de nobis rebuſque noſtris ſentiamus, non raro etiam puſillanimitate quæ ad deſperationem pertineat, animum conturbat.

Quod ſi vero quandoque bonas animo affectiones ad virtutem ſpectantes ſuggerat, eæ vt plurimum breuiſſime ſunt recedenteſque hominem anxium, mœſtum, puſillanimem, & ſubinde etiam nimium ſibi præfidentem relinquunt, aut denique tempore ac loco importuno, vt maius bonum præpediant, ingeruntur.

II. Affectus, qui à natura tantum excitantur, plerumque in ſuaui quodam ſenſu, ac quaſi guſtu conſiſtunt, nec vlterius quidquam ſpectant, ibique deſinunt, vbi ſuauis illa naturæ concitatio euaneſcit: interim hoc efficiunt plerumque, vt nos ipſi nobis, noſtraque nimium placere incipiant. Vnde apte dici ſolet, huiuſmodi naturæ affectibus abundantes meditationes, arbores eſſe, quæ præter flores & folia, fructum nullum ferant.

III. Qui vero à Deo ſunt, ij plerumque ſecum habent:

1. Permanentem animi voluptatem,
2. Inſignem mentis conſtantiam,
3. Magnam animi tranquilitatem,

4. Inci-

4. Incitata desideria, ad multa Dei causa perferenda,

5. Generosam rerum terrenarum despicientiam.

6. Ardentem rerum diuinarum sitim,

7. Magnam sui ipsius, ac proprij iudicij despicientiam, promptitudinemque ad se in omnibus, arbitrio eorum quibus subest, submittendum.

8. Incitatum se emendandi, ac Deo perfecte obsequendi desiderium.

Proprietates ac affectus ex Dei amore, tamquam venæ, è proprio fonte profluentes.

1. AMor Dei elidit, atque extirpat omnem male ordinatum affectum, & propensionem ad res creatas.

2. Suscitat in homine ardens desiderium multa pro Dei nomine perferendi.

3. Gaudium in rebus aduersis cum videat se aduersarum rerum patientia maxime Deo similē reddi: cuius vita in terris fuit cōtinuis laboribus, ac molestiis exercitatissima.

4. Beneuolentiam in eos qui nos insectantur atque exagitant; quippe qui nobis occasionem offerāt, vt Deo similiores efficiamur.

5. Obliuionem sui, earūq; rerū quæ ad corporis commoditates ac necessitates spectant.

6. Cupi-

6. Cupiditatem viuendi, ea ſolum de cauſa vt Deo ſeruire poſſit.

7. Timorem, ne quid admittat quod Deo vllo pacto diſplicere poſſet.

8. Ad magnos celereſq; in virtute progreſſus faciendos vrget: vbi tamen obſeruandum, eas plerumque virtutes melius fundatas eſſe, altiuſque agere radices, quæ longo & aſſiduo labore conquiruntur.

Modi quibus Deus hominem ſibi deuincire, & maiorem in eo charitatem excitare ſolet.

1. SPiritali lumine mentem ita colluſtrãdo vt res ſpiritales quaſi oculis ſubiectas intueatur. quæ illuminatio magnã plerumque animo voluptatem adferre ſolet, & licet hoc lumen ſæpe intercipiatur, relinquit tamen in animo magnum rerum diuinarum, ac cæleſtium deſiderium.

2. Internum animæ auditum ſæpe efficacibus commonitionibus adhortationibuſque pulſando, quę plerumq; ad vitæ correctionem, ſtudium virtutum, ac Dei amorem hominẽ exſtimulant. quod nõ raro fit ſuaui interiore inſtinctu, ac quaſi allocutione, qua anima corroboratur, ad cõſtãter alacriterq; viã Domini ingrediendam ac decurrendam.

3. Infuſo

3. Infuso in animam iucundissimo rerum cælestium odore, de quo dictum est, *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1.

4. Spiritali quodam gustu, cum Deus animæ iucundissimam rerum diuinarum sapiditatem gustandam præbet, iuxta illud, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 32. Vbi hoc bene obseruandum, non vnū esse eundemque omnium virtutū saporem, sed singulis propriam suam esse & genuinam suauitatem, de qua Dauid ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Psal.

5. Spiritualı quodam tactu, & quasi complexu: cum Deus interiora animæ varis charitatis effectibus demulcens, eam sibi incredibili amoris suauitate quasi desponsat. cuiusmodi deliciis animi, in sacris literis, Canticorum liber plenus est.

Obseruandum, in omni meditatione quinque hos sensus interiores admodum vtiliter adhiberi posse, ita vt ea quæ toto meditationis decursu ab intellectu voluntati proposita fuere, deinde interno visu, auditu, gustu, cæterisq; sensibus cōsiderentur. quod fieri potest, aut post singula meditationis, capita, aut in extremo totius meditationis, aut denique proximo die, noui argumenti loco; sic vt in hac sensuū applicatione, intellectus à nouarū rationū excogitatione supersedeat, sed

ſed tãtum iterato ea quæ anteà inuenit, internis iſtis ſenſibus perluſtret, cum pari qua prius voluntatis commotione. nam vt ſenſus noſtri externi continuo rerum ſibi obiectarum ſpecies ita percipiunt, vt ijs non mediocriter, ſi iucundæ ſint ac placentes, oblectentur, ita etiam ſenſibus interioribus fieri experimur, vt ſola congruentis ſibi obiecti propoſitione, abſque alia mentis agitatione commoueantur.

Obſeruationes quædam ijs qui meditaturi ſunt neceſſariæ.

Obſeruandum.

1. EX quouis meditationis argumento, poſſe ab vnoquoque quoſlibet affectus piaſque commotiones elici: ita vt etiam ex meditatione de peccatis, de morte, iudicio, inferis, & ſimilibus, quiuis ad virtutem ac Dei amorẽ excitari commouerique poſſit. v.c. ex meditatione mortis, ſi eam conſideremus, tanquam vnam & ſolam, quæ ad beatitudinem ducat, viã; ad quam cum peruenerimus, ſiquidem vitam in virtutum ſtudio poſuerimus, magna ſolidaque animi voluptate afficiemur, cum videbimus adeſſe iam, & quaſi manu tangi præmia, à Deo laboribus

BIBLIOTECA ... ROMA

boribus noſtris præparata. ex meditatione extremi Iudicij, ſi meminerimus eſſe illud iuſtis gratiſſimam virtutum examinationẽ æſtimationemque, vt condigna ijs præmia, non iam proponantur. ſed continuo perſoluantur. Denique ex meditatione de inferorum ſupplicijs, ſi ex horum recordatione gratitudinem in nobis erga Deum excitemus: cogitando nos infinita Dei miſericordia, ad id vſq; tempus, ab immanibus inferni tormentis præſeruatos eſſe: admiremurq́; ſingularem Dei in nos amorem, qui neglectis quam plurimis, ingenio, ſapientia, opibus, potentia, robore, nobilitate nobis multo præſtantioribus, nos ad beatitudinem ſelegerit, atque ab horrendo, & immiti æternorum ignium tormento liberarit, ac in feliciſſimo eorum numero conſtituerit, quibus ſempiternæ beatitatis ſemel conſequendæ, maximam adhuc ſpem reliquerit; cum interim plurimi, qui dum viuerent, neque tot, neque tam grauibus ſceleribus vitam ſuam; quam nos ipſi, commacularunt, numquam finiẽdis inferorum cruciatibus torqueantur; à quibus quod adhuc liberi, immuneſque ſimus, ſoli diuinæ clementiæ acceptum ferre debemus.

11. Fit tamen plerumq́; vt eos ex meditatione quacumq; animus affectus eliciat, ad

quos ipſe magis propendeat, quoſque ſuæ conditioni accommodatiores experitur.

III. Qua in re quilibet libere hanc naturæ ſuæ inclinationē ſequi poteſt: nec opus eſt, vt in ſe magno conatu alios affectus excitet; poteſtque eas meditatioues ſeligere, quas, & naturæ ſuæ magis congruentes iudicat, & è quibus ampliorem ſe fructum collecturum exiſtimat. Minime enim cōſultū eſt ſeipſum magna animi cōtentione, ac vi quodammodo naturæ illata, ad ea meditationū argumēta cogere, à quib. alieniorē ſe eſſe experitur.

IV. Eſt quoque hic non exiguus error eorum, qui ſibi perſuadēt, eadem eſſe omnibus via ad perfectionem properandum; ita vt iiſdem omnes meditādi exercitiis, iiſdemque argumentis, ad eoſdem animorum motus, impulſuſque concitari velint, perinde ac ſi Deus à nobis ad vnam certamque rationem agendi cum hominibus, cogendus eſſet; cum infinitæ ei ſuppetāt viæ, modiq; quibus homines ad rerum terrenarum deſpectum, ſcelerum deteſtationem, virtutū ſtudia, atque ad ſui amorem perducere poſſit. quod perſpicuum eſt in pleriſque Sanctorum, qui nō eandem omnes meditandi rationem, nō eadem exercitia vſurpauere. nam cuique pro naturæ ſuæ conditione, ingenij capacitate, doniſq; à Deo ſibi conceſſis, meditationum argu-

argumenta, exercitationesque sunt deligendæ, obeundæ, ac frequentandæ. Sunt enim inter alios nonnulli, qui toto meditationis decursu ratiocinando secum mentem ac intelligentiam continenter exerceant: alij vero qui perexigua intellectus agitatione, voluntatem assiduo occupent: ita vt toti in eo sint, vt pios in se perpetuo affectus excitent, idque nulla aut perexigua intellectus operatione.

v. Obseruandum, summum meditationũ fructum non cõsistere in sensibili illa deuotione ac suauitate, quæ inter meditandum subinde percipi solet: nec hãc signum esse maioris nostræ in Deum charitatis; nec etiã eos qui frequentius huiusmodi in se suauitatẽ experiuntur, ideo meliores, sanctioresq; æstimandos esse: sensibilis enim ista deuotio non raro à naturæ constitutione proficiscitur; cum vera solidaque sanctitas, non in certa corporis habitudine, sed in virtutum constanti exercitatione consistat. cuius præ ceteris certum ac infallibile signum est Christiana humilitas.

Breuis ad meditationem introductio.

SI quis agrum incultum, spinisq; ac tribulis obsitum, fertilem ac frugiferum efficere cupiat;

cupiat; huic I. eradicandæ ex eo, exſtirpandæq; plantæ omnes inutiles ac noxiæ, idq́; maiore contentione, quo infrugiferæ ſtirpes altius, in ſilueſcente ſolo radicesegerint, humumque validioribus ſtirpium truncis impleuerint; nec prius ferro iginiq́. parcendum, quam noxium omne germen ſtirpitus fuerit exciſum, quod cum fecerit, humus ipſa iterum aratro conſcindenda, ac inuertenda ſæpius, curioſeque perſcrutandum, ne qua inutilium plantarū germina, aut fibræ vſpiam relinquantur.

II. Terra probe expurgata, eiectoque inde omni eo, quod frugibus obeſſe poſſet, ſemina ei optima iniicienda, aut fœcundarum arborum ſurculi inſerendi, curandumque diligenter, ne quod lolium, aut priorum ſtirpium germina, inter meliores iterum fruges pullulent.

III Quod cum fecerit, magna voluptate fructus, vbi ad ad plenam maturitatem peruenerint, colliget, oblitus iam laborū quos in agro purgando, colendo, ſerēdoque ſubiit. Imo quantūcūque fuerit, ante culturæ labor grauis ac moleſtus; is omnis, viſa tam vbere fructuum copia, maiorem ei tum lætitiam & voluptatem parit. Nec ſolum exiſtimat bene operam omnem à ſe collocatam, qua tam copioſam ſibi meſſem comparauit; verum

 rum

rum etiam exiguum omnem, ac prope nullum laborē ſuum credit, cum fructuum copiam partam iam conditamque intuetur, idque potiſſimum, cum fructuum collecto-rum ſuauitate perfruitur.

Eadem pene omnia in animo excolendo vſurpanda. Hunc enim, ſilueſcentibus vani honoris, opum, voluptatum cupiditatibus obſitum, crebris peccatis, noxiaque peccandi conſuetudine, tamquam peſſimis radicibus implexum, ſterili prætcrea mundanarum cogitationum glarea oppletum, in qua tamen vberrima lolij, ac ſpinarum ſeges luxuriet, ſi cultura fertilem, optimarumque frugum feracem efficere cupias; magno inde labore eijcienda, exſtirpandaque ea omnia, quæ aut meliores ſatus impedire, aut noxij germinis permixtione, bonos fructus vitiare poſſent. Quod ſi dum hæc magno ardore moliris, ita ſubinde laboris contentione fatigere, vt viribus exhauſtis, vitæ etiam diſcrimen poſſis extimeſcere; caue tamen vnquam animum deſpondeas: ſed reſpice ſperatam ex hoc tuo conatu, & ſudore fructuū copiam ſuauitatemque. quorum vel ſola recordatione, nouas continuo vires animo accedere ſenties, roburque exhauſtum non minus inſtaurari, quam ſi corpus diuturniore inedia debilitatum, præſtantiſſimo cibo potione que recreetur.

Iam vero ſilueſcentes hæ ſpinæ, ſpuriarumq́; ſtirpium trunci, quid aliud ſunt, quam tetra peccatorum germina, quæ multiplici ſatu animæ ſolum oppleuere, vaſtiſq; longæ conſuetudinis radicibus peruaſere? hæc enim, quo ſæpius iterantur, eo profundius ſemper radices agunt, vt his exſtirpandis, ferrum plerumque, & ignes ſint adhibendi: frequentia videlicet pœnitentiæ opera, corporis afflictationes, ieiunia, vigiliæ, aliaque huiuſmodi, quæ paſſim à peccatoribus, qui ſe à profligata vita ad virtutem, ac Dei cultum recepere, vſurpata inueniuntur. Cum ieiuna autem, & ſterili glarea, inutilique lolio aptiſſime comparari poteſt deprauata vitæ inſtitutio, inolitæque ex frequentatis vitiis conſuetudines, nec non corruptæ naturæ effrenes inclinationes: inter quas cum difficillime virtutum ſatus germinent, vbere tamen prouentu vitium omne prorepit. Quæ omnia vt corrigantur, penituſq; ex animo exterminentur, magno eſt conatu, & induſtria adlaborandum.

Atque vt commodius iſta confici poſſint, plurimum iuuare poterunt primæ meditationes, è quibus homo, conſiderato vltimo naturæ ſuæ fine, ad quem à Deo conditore procreatus eſt, quantumque ab eo deflexerit: item angelorum, primorumque parentū

ſcelere, nec non criminibus aliorum damnatorum, quibus ſua forte, & numero plura, & grauitate atrociora inueniet, mortis quoque ineuitabili neceſſitate, vnicuiqe in ſingulas horas impendente: præterea ſeueriſſimo diuini iudic j tribunali, in quo ne minima quidem occultiſſimarũ cogitationũ delicta impunita relinquentur; adhæc atroci in damnandos omnes proferenda ſententia, ac immiti inferorum cruciatu, æternoque illo è cæleſti patria exilio; ſalubri horrore percellitur, cum ſe in tam calamitoſo vitæ ſtatu cõſtitutum animaduertit. vnde paulatim oculis in cœlum, cũ prodigo filio ad Deũ creatorem ſuum, parentem, ac ſaluatorem ſublatis, magno ſcelerum dolore, conſtantique ea nunquam repetendi propoſito concepto, meliora animo conſilia meditari ac diſponere incipit.

Quod dum facit erumpere incipiunt ex oculis lachrymarum flumiua, qribus ſqualentes animi ſinus inundant, atque eluuntur, quibuſque mens, quæprius frigore ac glacie aſtricta torpebat, liqueſcit, totaq. doloris magnitudine, tamquam ardentiſſimis ſolis radiis percuſſa, contabeſcit, & ſaxeum illud cor meditationi æternorũ ignium, tamquam ſolidiſſimæ incudi ſuperpoſitum, pulſante deſuper diuinorum iudiciorum malleo, in

minu

minutiſſimas partes comminuitur. Et hinc ſuſpiria, quæſtus, lãenta, preces, vota, noua conſilia, planctus, voluntaria ſupplicia, aliaque mœrentis animi, & vere contriti ac humiliati indicia, permixta cum ingenti prioris vitæ deteſtatione, & conſtanti deliberatione omnes deinceps peccatorum occaſiones vitandi. Hic primarum meditationum ſcopus, quæ ad expurgandũ animum, accurata omnium peccatorum prauarumque inclinationum exſtirpatione, diriguntur.

II. Animi ſolo ſic expurgato ac ſubacto, ſequitur vt ei variarum virtutũ ſatus, è Chriſti Saluatoris noſtri, atque aliorum Sanctorum factis petiti inſerantur. Plantandi enim in eo rectæ intentionis ſurculi, bonorum deſideriorum piarumque conſuetudinum iacienda ſemina: videndumque diligenter ne inter bonarum frugum germina, veteris adhuc lolij ſeges ſuccreſcat: nam cum non ignoremus, quam facile in agro noſtro noxiæ herbæ ſeu ex priſtinæ vitæ ſemine, ſeu nouo aliunde furtim ab hoſte iniecto pullulent; numquam ita animo libero, ſecuroque eſſe debemus, vt non perpetuo ad hoc impediendũ aduigilemus; & ſi vel minimũ ſpurij ſeminis thyrſum deprehendamus, continuo omni conatu huius ſtirpes, ac fibras perſcrutemur, nec prius deſiſtamus, quam radicitus

Digitized by Google

ſe interueniente firmiſſimo amoris nexu, coniungi meruit: Hoc enim gluten eſt, quo duæ res plurimum inter ſe diſtantes, Deus nempe, & anima, firma admodum cōpage coaleſcūt: hæc manus eſt quæ aquæ vinum, animæ, Deum commiſcet: cyathus eſt duos præſtantiſſimos liquores amplexu ſuo ſocians: filum eſt tenaciſſimum, geminas nobiliſſimo auro cōtextas lacinias, Deū nēpe, & animā, cōnectens: clauus eſt ſolidiſſimus, Deum, & hominem, tamquam duo maximi pretij, odoriſque ſuauiſſimi ligna coniungens: denique diuinus hic amor aurifaber eſt pretioſiſſimum adamantem, annulo aureo affabre elaborato illigans: aut è varijs gemmis, vnionibuſque auro inter ſe concatenatis, nobiliſſimum torquem conflans, quo Deus, & anima iucundiſſimo vtrimque vinculo colligantur. Et hic earum meditationum, quæ tertio ordine ponuntur, eſt effectus, quę omnes ad Dei amorem rerumque cæleſtium contemplationem pertinent.

Ex huiuſcemodi mentis exercitationibus mirabiles in animis fructus excitari ſolent, quorum nonullos viſum eſt hic ſummatim recenſere.

Digitized by Google

Frequentatæ meditationis fructus.

1. His meditationibus crebro iteratis, inutiles, ac noxiæ cogitationes ex animo profligantur. Cum enim in eo ex meditatione frequentes piarum diuinarumque rerum imagines existãt, vanis ac inutilibus, nec locus nec otium relinquitur. Imo vt solis præsentia omnem ex aere caliginem exigit, ita lumen, quod in mente meditandi consuetudine accenditur, omnes vanarum cogitationum nebulas dissipat.

2. Peccatorum etiam nox ac tenebræ, quas rerum corporearum, mundanarumq́; vsurpatio offundere menti solet, meditationis radiis effugantur, excitanturq́; paulatim in animo aduersus hostiũ incursiones validissima propugnacula, omni armorum genere instructa, quæ hominem contra omnes hostium molitiones, impugnationesque inexpugnabilem reddũnt.

3. Meditationum vsu excitatur voluntas ad horrorem peccatorum, virtutum studium, diuini numinis amorem, & reuerentiam.

4. Corroboratur animus meditationis subsidio, ita vt facilius expeditiusq́; à se hostium insultus propulset, rarius grauioribus culpis succũbat, ac si quandoq́; naturæ fragilitate eũ prolabi cõtigerit, prõptius resurgat, nec diutius in peccatorũ luto infixus hæreat.

5. Plu-

5. Plurimum etiam à quotidianis leuiorum noxarum erratis hominem auocat meditatio, dum ſenſim nimiam in vitia procliuitatem, ceteraque omnia ad peccatum impellentia tollit.

6. Adfert quoque meditationum vſus, magnum animo rerum corporearum faſtidium; quippe quas non modo inanes ac futiles eſſe, verum etiam plurimum, boni illius conſecutionem, ad quod poſſidendum à Deo conditi ſumus, impedire oſtendit.

7. Meditationes ſunt inſtar ſaluberrimorum medicamentorum, quæ ab anima languorem omnem, & infirmitatem depellunt, eiuſque valetudinem & vires nouo ſemper vigore confirmant.

8. Idem in animo efficiunt, quod in agris induſtrij agricolæ ſolēt, qui ex iis ſterilem omnem glaream egerunt, inutiles noxiaſq; ſtirpes euellunt, omnique culturæ genere ad bonos ſatus excipiendos parant. Nam Meditationis frequentatio animum purgat, purgatum excolit, excultumque ad vberes virtutū fruges producendas fæcundum reddit.

9. Intellectum magna diuinarum rerum cognitione, ac virtutum, rerumque eo pertinentium ſcientia illuſtrat.

10. Labores qui in virtutis via proſequenda ſubeūdi ſunt, faciles reddit, efficitque vt ma-

gna animi incũditate difficultates õnes ac impedimẽta, quæ virtuti obijci solẽt, superẽtur.

11. Ex meditatione id quoque homo consequitur, vt è rebus aduersis non minorem quam è prosperis voluptatem capiat; cum è vita Christi Domini, aliorumque Sanctorum perspicue videat, tutissimam hanc esse ad beatitudinem viam.

12. Anima frequenti meditatione exculta maiore indies sapientia illustratur: ita vt paulatim res omnes penitius introspicere & de vnaquaque certo & vero sensu iudicare incipiat: mundanas omnes fugaces ac perituras æstimare, indignasque ad quarum amorem se animus ad Dei amorem efformatus abijciat: cælestes vero, æternas reputare, ac tales, quæ solæ humanam mentem exsatiare, atque ad æternam felicitatem possint prouehere.

13. Animum quoque liberalem ac munificum meditatio efficit. facile enim nimiam fluxarum opum cupiditatem exuũt, qui perspecta earum rerum fugacitate, animum suum ad rerum cælestium amorem transtulerunt. Omnia enim huius vitæ bona pro luto ac sordibus habẽt, atq; inter ea numerant, quæ cũ nihil admodũ ad æternã felicitatem cõsequẽdã iuuare possint, nos tamẽ in maxima sæpe eius amittẽdæ discrimina conij-
ciunt

ciunt: quæque omnia tum Deus ipſe, tum quotquot eius cõſilia ſecuti ſunt, ſpernenda prorſus abijciendaque ſibi putauere.

14. Auaritiã quoq; omnẽ vana deſideria, anxias ſollicitudines, ſuperbiã, faſtũque omnẽ extinguit, cum perſpicue omnibus oſtendat ſolam humilitatem aditum hominibus ad æternam gloriam aperire.

15. Hominẽ ad perfectam ſui ipſius cognitionẽ perducit; ſine qua fieri vix poteſt, vt deprauatæ omnes animi propenſiones exſtirpentur, & pro ijs vera menti virtutum germina inſerantur.

16. Eſt etiam inſtar ſuauiſſimi vnguenti, aut aromatis, quod iucundiſſimum ſuum odorem ad ſummum vſque cælorum diffundit.

17. Meditationis rem beneficio anima maximis cæleſtium voluptatũ delicijs perfunditur, quarũ ſuauitas efficit, vt quidquid vulgo homines dulce & iucundum putant, ipſi inſipidum plane ac amarum videatur.

18. Accẽditur quoque in anima vehemens in proximum charitas: qua fit vt magnopere exhilaretur, ſi quando occaſione oblata, ad proximi ſalutem promouendã, ſubſidiũ aliquod adferre poſſit. quod tã ſtudioſe agit, vt ſui quaſi oblita, nunquam ita ſuis commodis ſeruiat, vt non magis ſemper proximi ſalutem proſperitatemque procuret.

19. Præterea adfert meditatio placidiſſimam

animæ pacem tranquillitatemque: internam omnem perturbationem inquietudinemque sedat: ita vt vix vmquam vlla rerum peritu-rarum tempestate concutiatur animus qui se intra frequentis meditatiõis portum recepit.

20. Mentem sibi familiarem procul ab omni rerum temporalium sollicitudine deducit, per despectum fluxarum opum, voluptatũ, honorum; ac pro iis spem certissimam cælestium deliciarum bonorumque animo inserit, & quantum præsentis vitæ conditio patitur, hæc etiã gustãda prælibandaque offert.

21. Vnde fit vt huiusmodi anima tamquã in terrestri paradiso cõstituta, curam, cogitationem & affectum omnem in Dei amorem rerumque cælestium cõtemplationẽ transferat, ac præter hũc nihil optet aut desideret.

22. Anima meditandi consuetudine instructa ita placide præsentis vitæ miserias toleraт, vt quæ certo norit, semper in se Dei oculos coniectos intentosque esse. quæ res cum illi magnam voluptatem adferre solet, tum etiam ab omni eo quod aliquam peccati speciem habere posset, auertit.

23. Nascitur quoqe in anima ex meditationis vsu constans ac stabile gaudium, quod mœrorem omnẽ ac tristitiam ex animo eijciat. Quicunq. enim cogitationes suas omnes, studia, dicta factaque ad Dei honorem

& cul-

& cultum promouendum dirigit, nec aliud quidquam ſpectat, quam vt vbique in omnibus voluntati eius obtemperet, atque (quantum mortalis imbecillitas permittit), ab omni ſe peccato abſtineat, quid illi mœrorem aut triſtitiam adferre poſſit? Imo quid eſt quod eum à continua hilaritate & lætitia impedire queat?

24. Eſt denique meditandi conſuetudo tanquam ſuauiſſimarum vocum ac fidium concentus, atque harmonia, quæ mentem humanam aſſidua cæleſtis felicitatis, diuinæ bonitatis ac opulentiæ contemplatione occupatum incredibili lætitia ac voluptate demulceat. Vnde fit vt quicumque in hac calamitoſa vita meditationis ſuauitate delectari cœperit, veriſſime cum Propheta dicere poſſit:

Pſal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

& Pſal. 5. *Qui ſperant in te, in æternum exultabunt.*

ME-

ſcelere, nec non criminibus aliorum damnatorum, quibus ſua ſorte, & numero plura, & grauitate atrociora inueniet; mortis quoque ineuitabili neceſſitate, vnicuique in ſingulas horas impendente: præterea ſeueriſſimo diuini iudicij tribunali, in quo ne minima quidem occultiſſimarũ cogitationũ delicta impunita relinquentur; adhæc atroci in damnandos omnes proferenda ſententia, ac immiti inferorum cruciatu, æternoque illo è cæleſti patria exilio; ſalubri horrore percellitur, cum ſe in tam calamitoſo vitæ ſtatu cõſtitutum animaduertit. vnde paulatim oculis in cœlum, cũ prodigo filio ad Deũ creatorem ſuum, parentem, ac ſaluatorem ſublatis, magno ſcelerum dolore, conſtantique ea nunquam repetendi propoſito concepto, meliora animo conſilia meditari ac diſponere incipit.

Quod dum facit erumpere incipiunt ex oculis lachrymarum flumina, quibus ſquallentes animi ſinus inundant, atque eluuntur, quibuſque mens, quæ prius frigore ac glacie aſtricta torpebat, liqueſcit, totaq. doloris magnitudine, tamquam ardentiſſimis ſolis radiis percuſſa, contabeſcit, & ſaxeum illud cor meditationi æternorũ ignium, tamquam ſolidiſſimæ incudi ſuperpoſitum, pulſante deſuper diuinorum iudiciorum malleo, in

minu

minutiſſimas partes comminuitur. Et hinc ſuſpiria, quæſtus, lāenta, preces, vota, noua conſilia, planctus, voluntaria ſupplicia, aliaque mœrentis animi, & vere contriti ac humiliati indicia, permixta cum ingenti prioris vitæ deteſtatione, & conſtanti deliberatione omnes deinceps peccatorum occaſiones vitandi. Hic primarum meditationum ſcopus, quæ ad expurgandū animum, accurata omnium peccatorum prauarumque inclinationum exſtirpatione, diriguntur.

II. Animi ſolo ſic expurgato ac ſubacto, ſequitur vt ei variarum virtutū ſatus, è Chriſti Saluatoris noſtri, atque aliorum Sanctorum factis petiti inſerantur. Plantandi enim in eo rectæ intentionis ſurculi, bonorum deſideriorum piarumque conſuetudinum iacienda ſemina: videndumque diligenter ne inter bonarum frugum germina, veteris adhuc lolij ſeges ſuccreſcat: nam cum non ignoremus, quam facile in agro noſtro noxiæ herbæ ſeu ex priſtinæ vitæ ſemine, ſeu nouo aliunde furtim ab hoſte iniecto pullulent; numquam ita animo libero, ſecuroque eſſe debemus, vt non perpetuo ad hoc impediendū aduigilemus; & ſi vel minimū ſpurij ſeminis thyrſum deprehendamus, continuo omni conatu huius ſtirpes, ac fibras perſcrutemur, nec prius deſiſtamus, quam radicitus

Digitized by Google

ſe interueniente firmiſſimo amoris nexu, coniungi meret: Hoc enim gluten eſt, quo duæ res plurimum inter ſe diſtantes, Deus nempe, & anima, firma admodum cōpage coaleſcūt: hæc manus eſt quæ aquæ vinum, animæ, Deum commiſcet: cyathus eſt duos præſtantiſſimos liquores amplexu ſuo ſocians: filum eſt tenaciſſimum, geminas nobiliſſimo auro cōtextas lacinias, Deū nēpe, & animā, cōnectens: clauus eſt ſolidiſſimus, Deum, & hominem, tamquam duo maximi pretij, odoriſque ſuauiſſimi ligna coniungens: denique diuinus hic amor aurifaber eſt pretioſiſſimum adamantem, annulo aureo affabre elaborato illigans: aut è varijs gemmis, vnionibuſque auro inter ſe concatenatis, nobiliſſimum torquem conflans, quo Deus, & anima iucundiſſimo vtrimque vinculo colligantur. Et hic earum meditationum, quæ tertio ordine ponuntur, eſt effectus, quę omnes ad Dei amorem rerumque cæleſtium contemplationem pertinent.

Ex huiuſcemodi mentis exercitationibus mirabiles in animis fructus excitari ſolent, quorum nonullos viſum eſt hic ſummatim recenſere.

Digitized by Google

Frequentatæ meditationis fructus.

1. PIis meditationibus crebro iteratis, inutiles, ac noxiæ cogitationes ex animo profligantur. Cum enim in eo ex meditatione frequentes piarum diuinarumque rerum imagines existãt, vanis ac inutilibus, nec locus nec otium relinquitur. Imo vt solis præsentia omnem ex aere caliginem exigit, ita lumen, quod in mente meditandi consuetudine accenditur, omnes vanarum cogitationum nebulas dissipat.

2. Peccatorum etiam nox ac tenebræ, quas rerum corporearum, mundanarumq; vsurpatio offundere menti solet, meditationis radiis effugantur, excitanturq; paulatim in animo aduersus hostiũ incursiones validissima propugnacula, omni armorum genere instructa, quæ hominem contra omnes hostium molitiones, impugnationesque inexpugnabilem reddũt.

3. Meditationum vsu excitatur voluntas ad horrorem peccatorum, virtutum studium, diuini numinis amorem, & reuerentiam.

4. Corroboratur animus meditationis subsidio, ita vt facilius expeditiusq; à se hostium insultus propulset, rarius grauioribus culpis succũbat, ac si quandoq; naturæ fragilitate eũ prolabi cõtigerit, prõptius resurgat, nec diutius in peccatorũ luto infixus hæreat.

5. Pluri-

5. Plurimum etiam à quotidianis leuiorum noxarum erratis hominem auocat meditatio, dum ſenſim nimiam in vitia procliuitatem, ceteraque omnia ad peccatum impellentia tollit.

6. Adfert quoque meditationum vſus, magnum animo rerum corporearum faſtidium; quippe quas non modo inanes ac futiles eſſe, verum etiam plurimum, boni illius conſecutionem, ad quod poſſidendum à Deo conditi ſumus, impedire oſtendit.

7. Meditationes ſunt inſtar ſaluberrimorum medicamentorum, quæ ab anima languorem omnem, & infirmitatem depellunt, eiuſque valetudinem & vires nouo ſemper vigore confirmant.

8. Idem in animo efficiunt, quod in agris induſtrij agricolæ ſolēt, qui ex iis ſterilem omnem glaream egerunt, inutiles noxiaſq; ſtirpes euellunt, omnique culturæ genere ad bonos ſatus excipiendos parant. Nam Meditationis frequentatio animum purgat, purgatum excolit, excultumque ad vberes virtutū fruges producendas fœcundum reddit.

9. Intellectum magna diuinarum rerum cognitione, ac virtutum, rerumque eo pertinentium ſcientia illuſtrat.

10. Labores qui in virtutis via proſequenda ſubeūdi ſunt, faciles reddit, efficitque vt ma-

Digitized by Google

gna animi iucũditate difficultates õnes ac impedimẽta, quæ virtuti obijci solẽt, superẽtur.

11. Ex meditatione id quoque homo consequitur, vt è rebus aduersis non minorem quam è prosperis voluptatem capiat; cum è vita Christi Domini, aliorumque Sanctorum perspicue videat, tutissimam hanc esse ad beatitudinem viam.

12. Anima frequenti meditatione exculta maiore indies sapientia illustratur: ita vt paulatim res omnes penitius introspicere, & de vnaquaque certo & vero sensu iudicare incipiat: mundanas omnes fugaces ac perituras æstimare, indignasque ad quarum amorem se animus ad Dei amorem efformatus abijciat: cælestes vero, æternas reputare, ac tales, quæ solæ humanam mentem exsatiare, atque ad æternam felicitatem possint prouehere.

13. Animum quoque liberalem ac munificum meditatio efficit. facile enim nimiam fluxarum opum cupiditatem exuũt, qui perspecta earum rerum fugacitate, animum suum ad rerum cælestium amorem transtulerunt. Omnia enim huius vitæ bona pro luto ac sordibus habẽt, atq; inter ea numerant, quæ cũ nihil admodũ ad æternã felicitatem cõsequẽdã iuuare possint, nos tamẽ in maxima sæpe eius amittẽdæ discrimina conijciunt

ciunt: quæque omnia tum Deus ipſe, tum quotquot eius cõſilia ſecuti ſunt, ſpernenda prorſus abijciendaque ſibi putauere.

14. Auaritiã quoq; omnẽ vana deſideria, anxias ſollicitudines, ſuperbiã, faſtũque omnẽ extinguit, cum perſpicue omnibus oſtendat ſolam humilitatem aditum hominibus ad æternam gloriam aperire.

15. Hominẽ ad perfectam ſui ipſius cognitionẽ perducit; ſine qua fieri vix poteſt, vt deprauatæ omnes animi propenſiones exſtirpentur, & pro ijs vera menti virtutum germina inſerantur.

16. Eſt etiam inſtar ſuauiſſimi vnguenti, aut aromatis, quod iucundiſſimum ſuum odorem ad ſummum vſque cælorum diffundit.

17. Meditationis rem beneficio anima maximis cæleſtium voluptatũ deliciis perfunditur, quarũ ſuauitas efficit, vt quidquid vulgo homines dulce & iucundum putant, ipſi inſipidum plane ac amarum videatur.

18. Accẽditur quoque in anima vehemens in proximum charitas: qua fit vt magnopere exhilaretur, ſi quando occaſione oblata, ad proximi ſalutem promouendã, ſubſidiũ aliquod adferre poſſit: quod tã ſtudioſe agit, vt ſui quaſi oblita, nunquam ita ſuis commodis ſeruiat, vt non magis ſemper proximi ſalutem proſperitatemque procuret.

19. Præterea adfert meditatio placidiſſimam

& cultum promouendum dirigit, nec aliud quidquam ſpectat, quam vt vbique in omnibus voluntati eius obtemperet, atque (quantum mortalis imbecillitas permittit) ab omni ſe peccato abſtineat, quid illi mœrorem aut triſtitiam adferre poſſit? Imo quid eſt quod eum à continua hilaritate & lætitia impedire queat?

24. Eſt denique meditandi conſuetudo tanquam ſuauiſſimarum vocum ac fidium concentus, atque harmonia, quæ mentem humanam aſſidua cæleſtis felicitatis, diuinæ bonitatis ac opulentiæ contemplatione occupatum incredibili lætitia ac voluptate demulceat. Vnde fit vt quicumque in hac calamitoſa vita meditationis ſuauitate delectari cœperit, veriſſime cum Propheta dicere poſſit:

Pſal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

& Pſal. 5. *Qui ſperant in te, in æternum exultabunt.*

ME-

MEDITATIONES AD VITIORVM ET PECCATORVM DETESTATIONEM EXCITANTES, IN QVATVOR HEBDOMADAS DISTRIBVTÆ.

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

De fine ad quem homo creatus.

Conſidera

1. QVis te crearit, & quem ad finem. tenetur enim quiſque Creatori ſuo ſeruire, ac mandata eius exequi, à quo habet quidquid poſſidet. Procreauit te mun-

mundus, mundo obſequere. Si opes ac voluptates in hanc vitam te produxere, has vt procreatrices tuas ſectare. at ſi hæc ab alio creata, & tu ſine comparatione his longe præſtantior, quære tuum & cæterorum omnium auctorem, qui ſolus Deus eſt. Huic famulare, eiuſque legibus optempera.

Conſidera.

II. Dei bonitatem, quæ te nullo tuo merito ad imaginem ſuam effinxit. inſpice quomodo huius *diuinæ imaginis* nitorem cuſtodias. Cogita, ſi parens quiſpiam beneuolentiæ ergo, effigiem ſu filio tradidiſſet, & hanc ille omni ignomina afficeret, quis eſſet in talem filium parentis animus? Et quis erit Dei in te animus, cum tu viuam illius imaginem tot flagitiis deformes, vt iam mundi ſit, quam Dei conditoris ſimilior?

Conſidera.

III. Non eo te fine à Deo procreatum, vt mundo ſeruias, eiuſque honoribus, diuitiis, ac voluptatibus inhies: ſed vt ipſimet Deo famuleris ac obſequaris, vitaque in eius obſequiis acta, æternitatis brauium, ab ipſius infinita benignitate poſſidendum accipias. Quanta felicitas hunc finem adipiſci: quanta miſeria, ab hoc aberrare.

quanta

quanta prudentia, vt hoc potiaris, nullum laborem subterfugere: quanta fatuitas, vt perituris vitæ huius opibus, honoribus, deliciis paululum fruare, æterna illa beatitate, ad quam à Deo conditus es, excidere.

Considera

IV. Deum, vt nos ad sibi seruiendum creauit, ita cetera omnia eo consilio produxisse, vt nobis ad ipsius obsequium intentis auxilio essent, ita vt rerum omnium creatarum vnum studium sit & conatus, vt nos ad Dei cultum inuitent, excitent, & promoueant. Vide num ea tu fidelitate Deo seruias, qua tibi creaturæ omnes ad nutum obtemperant.

Caue etiam, ne à rebus conditis aliud vnquam efflagites quam quod ad Creatoris tui gloriam faciat. sed in omni re creata illud tantum specta, quod te potissimum ad finem cuius gratia conditus es consequendum promouere possit.

Considera

V. Num cogitationes tuæ, sicut debent, omnes id spectent, vt Deo placeas, illiusque præceptis ac voluntati pareas: & an non plus operæ ac temporis insumas, vt temporalia ac mundana quam vt diuina conquiras.

VI. A quo

VI. A quo ex merito præmium induſtriæ nobis exſpectandum ſit. Nempe ab eo cui ſtudioſiſſime ſeruimus, cuius præceptis maxime obedimus, cuius conſiliis plurimum acquieſcimus, & cuius cauſa potiſſimum laboramus.

VII. Compara mercedem quam ſectatoribus ſuis mundus rependit, quæ vilis, inconſtans, fallax, peritura, cum præmio Dei famulis propoſito, quod infinitum, certum, æternum. Et hinc obſerua incredibilem noſtram ſtultitiã, qui mundo fallacibuſque eius præmiis adhæreſcimus, Deum vero, ad cuius imaginem facti ſumus, ac æterni gaudij ſtipendia negligimus.

Conſidera.

VIII. Quanto cum horrore ac metu omnem culpam mortiferam deteſtari debeas, quæ te à Deo vltimo fine tuo, illiuſque cultu, capitali odio diſiungit.

DIES

Digitized by Google

nobiliſſimarum mentium delictum punitus eſt, quid nobis expectandum ijs longe inferioribus, qui tot male cogitatis & factis non arroganter ſolum, ſed promiſcue omni flagitio Deum offendimus, à quo tamen tam frequentibus diuinæ gratiæ donis, imo pretioſo Filii eius ſanguine tam liberaliter, pro nobis effuſo, quod Angelorum gratia nunquam præſtitit, ad eum amandum inuitati ſumus? quo ex capite ſupra angelorum culpam noſtri peccati grauitas videtur excreſcere: nos tamen nihilominus frequentiſſime prauas noſtras cupiditates Dei iuſſis præferimus, nec horremus ipſius leges perfringere, vt libidines noſtras expleamus, opes accumulemus, vt honorem dignitatemque ampliorem conſequamur. Quod cum facimus, nonne exemplo Lucifer ſupra Deum nos efferimus, cupiditates noſtras diuine voluntati præponentes, dum hac contempta, illas exequimur?

VI. Cogita quam ſit horribile in manus Dei incidere, quas effugere nunquam poſſis. quapropter fuge quidquid diuinam vltionem in te prouocare queat, omnem ſcilicet noxam mortiferam, ad quam quoties obiectis irritamentis naturam allici depræhendis, ſic tecum raciocinare,

Deus

Deus Angelis vnico flagitio admisso non pepercit, quid me futurum, si huic culpæ succubuero? Nobilissimæ creatarum mentium vnius sceleris, ac semel dumtaxat admissi causa æternum iginibus excruciantur: & quid mihi timendum si leges diuinas ipse conculcauero? eodem puncto temporis quo peccauerunt Angeli, æterna felicitate in perpetuum excidere, præcisaque omni misericordiæ spe æternis sunt cruciatibus mancipati. Idem mihi accidere potest, si me letifero scelere impeditum subito mors improuisa deprehenderit, sicut hactenus tot hominum millia in ipso flagitio oppressit.

DIES TERTIVS.

De peccato primorum parentum Adami & Euæ.

I. OBserua magnam Dei liberalitatem, qui primos nostros progenitores è terræ luto ad imaginem suam formatos, tam illustribus donis à se cumulatos, ac moriendi necessitate exemptos, amplissimo in res omnes creatas dominatu, cum amplissima omnium scientia, ditauerat.

II. Insig-

Digitized by Google

II. Inſignem illorum ingratitudinem, qui poſt accepta tot à Deo beneficia, ab ipſius obedientia ad hoſtē eius capitalem deficiunt, maioremque fidem habent ſubdolis inſidioſiſque eius mendaciis, quam certiſſimis Dei pollicitationibus ac minis.

III. Quam ſeuere minas ſuas exequatur Deus, exſpoliantur primigenia iuſtitia, & innocentia, omnique ſpe eam iterum recuperandi: priuantur immortalitate, Paradiſo exterminantur, ad perpetuos labores damnantur, & in terras à Deo ſterilitate damnatas expelluntur.

IV. Pœna hac teneri non ſolos primos parentes, ſed omnes eorum filios ac poſteros, quorum millium millia modo æternis ignibus flagrant. Imo quamplurima millia ob ſolam quam à primis parentibus traxere maculam nullo à ſe alio ſcelere admiſſo, in perpetuum iucundiſſimo Dei conſpectu arcentur.

V. Perpende, quid vel vnum peccatum efficiat, quamque illud Deo ſit exe-crabile: ob quod præter miſerias omnes, morbos, paupertatem, labores, moleſtias, quæ omnia vnicum peccatum in mundum induxit, innumeri mortales æternum pereunt: cuiuſque pœna nun-

quam

quam ita ex integro remittitur, vt in eum locum ex quo primorum parentum vitio eiecti sumus, restituamur.

VI. Porro rem maxime pudendam peccatum esse, primorum parentum facto patet: qui donec peccati expertes fuere, nihil in se cuius ipsos puderet, videbant, sed infantium more innocenti inter se simplicitate versabantur, non aliter quam in felicissima cælitum societate Beati, procul omni eo quod ruborem adferre posset. At vbi primum peccati hausere labem, repente mutuo aspectu erubuere, imo & in proprio corpore quod erubescerent inuenere.

Hic qui peccatum sequitur pudor, quamdiu peccantem non destituit, necdum omnis correctionis præcisa spes est, at vbi peccandi frequentia omnino perijt, nulla aut exigua melioris frugis spes restat.

VII. Confer tuum cum Adami peccato. nam licet Adami peccatum graue admodum fuerit, quia tanta sapientia & intellectu ne in illud impingeret, à Deo munitus fuerat, nihilo tamen tua quam ipsius sunt leuiora: cum tibi, quamuis scientiæ minus ac intellectus concessum

ceſſum ſit, alia multa ſint præſtita, quæ ſcelerum tuoruum grauitatem augeant. Habes enim Chriſti Domini paſſionem ac ſupplicia, ſacra vulnera, mortem acerbiſſimam, quorum te recordatio ad virtutem excitare, & à peccatis deterrere debuiſſet, cum ſcires ipſum Deum, vt tua ſcelera expiaret, tam ignominioſam mortem pertuliſſe, & quod amplius eſt, ſcires tua ipſius ſcelera fuiſſe quæ flagris Chriſtum conciderint, ſpinis coronauerint, clauis confixerint, cum quoties mortali culpa numen offendis, toties, quantum in te eſt, Deum iterum ad crucem & mortem adigas.

VIII. Percurre interno animi ſenſu diuerſam Adami ac Euæ ante peccatum conditionem, ab ea in quam hoc admiſſo incidere.

I. Oculis intuere Paradiſi amœnitatem, arborum ſpeciem, fructuum, herbarum, florum varietatem, fontium ſcaturigines, fluminum lapſum, & quidquid demum animo, ad voluptatem optare, imo millies amplius quam cogitatione poſſes effingere.

Intuere Adamum in hoc amœniſſimo loco, omnibus quæ animo colllibuiſſent fruentem animalibus omnibus

bus imperantem, instructum incredibili sapientia, pulchritudine, robore, valetudine optima, procul omni cura, tædio, morbo, labore, fatigatione, magna animi pace tranquillitateque viuentem.

Deinde eundem hunc aspice post diuinæ legis violationem plenum pudore, metu, sollicitudine, profugum à Dei conspectu, latebras captantem, primæua innocentia nudatum: paulo post ex terrestri hoc cœlo expulsum in sterile ac malignum solum, ibique assiduis laboribus fatigatum, sudore ac lachrymis madentem, mille miserijs calamitatibusque obnoxium. In quæ mala miser vnica legis diuinæ transgressione præceps ruit. Quid ergo nobis exspectandum, qui toties eiusdem numinis imperia spreuimus?

2. Excipe interno auditu quam iucunde diuinas laudes decantet Adam tantis paradisi delicijs exhilaratus, audi eum eo aues suauissimo concentu Deum laudantes, Angelos tantæ ipsius felicitati congratulantes, ipsum omnibus animantibus magna sapientia nomina imponentem. Deinde

Deinde admiſſo peccato eundem plangentem ac lamentantem: auſculta gemitibus & lachrymis amiſſam beatitudinē proſequentem, nihilq́ue profuturis queſtibus priorem fortunam repetentem. Attende vt iucundiſſimam ereptæ felicitatis ſedem cum ærumnoſo hoc omnis miſeriæ ergaſtulo conferat.

Tu diſce temporis tibi ad beatitudinem promerendam conceſſi diligentē habere rationem, ne fruſtra gemas & plores, cum nulla vltra in querelis, lachrymis ac precibus auxilij ſpes ſupererit.

3. Interno odoratu percipe ſuaueolentium florum delicioſi huius horti fragrantiam, longe omnibus mundi huius deliciis ſuauiorem. odorare arborum primo mundi vere effloreſcentium melleos halitus: nares circumfer per omne genus odoriferarum plantarum, quæ in felici hoc ſolo à Deo ſatæ propriam ſingulæ odoris ſuauitatem grata vicinarum admiſtione augebant. Poſt peccatum quære odorum ſuauitatem in ſterilibus ac ſiticuloſis damnatæ terræ campis, in arenoſa myricarum ariditate, in vliginoſis paludum vaporibus. odorare terram ſudoris è fatigato Adami corpore profluentis graueolentiam, fœdamq; plurimarum ſordium quæ peccatum ſecutæ ſunt, mephi-

tim. Quod si te tabificus hic peccati fœtor offendat, nunc à te omni diligentia excute, & gratissimum virtutum odorem quam potes cupidissime sectare.

4. Animæ palato degusta recentes paradisi fructus à primogenio naturæ vigore sapidissimos, quibus nulli huius mundi fruticum aut herbarum fœtus possint comparari. Idem virtutis piæque vitæ sapiditati inesse scias, quæ tanto delicatissimis mundi huius illecebris sapidior est, quanto nubis diei nitor, noctis caligine pulchrior, quanto felle mella, sacchara fuligine, quanto denique suauissimarum rerum dulcor acerbissimarum amarore iucundior.

5. Vt interno contactu paradisi delicias contrectare possis, finge te Adami loco in primo illo innocentis vitæ vere cõstitutum. Expende, quantum potes, amicam illam inter animam & corpus ante peccati perturbationem, pacem & concordiam, conscientiæ securitatem, insignem animi tranquillitatem, arctam iucundissimamque mentis cum Deo amicitiam, eundem vtriusque sensum, idem desiderium, eandem voluntatem: denique incredibilem ex mira hac hominis cum Deo coniunctione voluptatem.

Post hæc alteram Adami perpetrato flagitio

gitio personam indue, vt noui ponderis grauitatem cognoscas, crudele illud animæ à corpore dissidium, mentis inquietem, pauorem, pudorem, confligentes inter se bonarum prauarumq; cogitationum fluctus, corporis aduersus animam rebellantis insultus, cupiditatum noxiarum æstus, quæ tumultuantium in mari procellarum instar, tranquillum animæ statum periculosissimis turbinibus exagitabant.

Disce ex his, quid inter innocentiam, iustitiam, *Dei cultum*, ac peccatum intersit: perpende vtrimque diuersa singulorum effecta; inde securitatem & gaudium, hinc omnem perturbationem & mœrorem: perpende, vt virtutem Deique amorem, sequatur incomprehensibile beatæ æternitatis gaudium; peccatum vero, æterni plāctus & lamenta in suppliciis nunquam finiendis.

DIES QVARTVS.

De peccatorum grauitate.

1. EA certè peccati est fœditas quæ peccantem brutis animantibus quam homini similiorem efficit: vtpote quod ius omne & æquitatem oppugnet, mentem humanam caligine inuoluat, vel potius excæcet, hominem Deo creatori suo, excusso illius imperio, perduellem constituat, nobi-

lissimum animum carni & peccato in seruitutẽ tradat. Quæ ordinis perturbatio quam est ab omni ratione aliena! cum quod in homine nobilissimũ est, animus, inquam, ille ad Dei effigiem conformatus, abiectis ac brutis carnis cupiditatibus, ac iniquissimis peccati legibus mancipii instar obtemperare cogitur. Tu si sapis, proripe te ex misera hac peccati seruitute, ac tyrannide.

II. Peccati grauitatẽ luculenter arguunt.

1. Horrenda angelis à Deo inflicta supplicia.

2. Innumeræ post peccatum primorum parentum secutæ calamitates & miseriæ.

3. Immania inferni tormenta æternum continuanda.

4. Quod hominem iucundissimo Dei conspectu arceat, ac cœlesti gloria æternum excludat.

5. Quia cum infinita Dei bonitate peccati malitia hostiliter pugnat, quantumque in se est, Deo ipsi perniciem molitur, dum leges eius despicit.

III. Acerba illa à Christo Domino tolerata supplicia liquido peccati grauitatem conuincunt, percurre præcipua passionis eius capita, 1. sanguineum illum in horto sudorem, è sacro corpore, viua peccatorum meditatione expressum. 2. immitia Christo in-

ſto inflicta verbera, præcipue in crudeli illa flagellatione. 3. diram ſacri capitis aculeato ſerto coronationem. 4. acerbiſſimam crucem. Cogita Deum eſſe, qui tunſionibus liuidus, flagris cruentus, clauis infami cruci affixus pro tua expiatione, diuinæque iuſtitiæ ſatisfactione mortem oppetiit; Deum inquam, qui nec peccato nec ſuppliciis vllis obnoxius eſſe poterat.

IV. Ex hoc item facile peccati indignitatem intelliges: Quod Deus ipſe humanam naturam aſſumere debuerit, & tam dira ſubire tormenta, vt nos à peccato redimeret, & cœli aditum reſeraret. Quanti ponderis peccatum eſſe oportet, pro quo ad iuſtitiæ libellam non alia ratione plene ſatisfieri potuit, niſi infinitum pro eo pretium ſatisfactor appenderet, quod à Deo ſolo fieri potuit, qui ſolus ex infinita ſua facultate & potentia infinitum pretium poterat repræſentare.

V. Meditare, quid tibi tanta peccatorum congerie preſſo, ſit exſpectandum. quia ſi in viridi ligno omnium virtutum ſucco pleniſſimo hæc fiant, quid in arido animæ tuæ ligno fiet, quam omni diuinæ gratiæ humore conſumpto peccati æſtus aridam exſuccamque effecit.

VI. Mirare peccantium inſaniam ac a-

mentiam, qui tam temere Dei præcepta proterunt ac conculcant, è cuius manibus elabi, cuius oculos latere nunquam possunt, cuius iustitia infinita, cuius supplicia sunt sempiterna: dum enim se grauissimis sceleribus contaminant, certissimo æternæ damnationis periculo se obiiciunt.

VII. Ingratitudinem peccantium inspice. qui nihil tot beneficiorum à Deo acceptorum recordatione commoti, tam impudenter ipsius leges infringunt.

Recordare 1. te ab ipso ex nihilo in hanc lucem productum. 2. Te repente iterum in nihil collapsurum, nisi te ipse continenter conseruet. 3. Ipsum esse qui tibi indies è terræ visceribus fruges ad pastum producat. 4. Eundem tibi esse Parentem, Dominum, Regem, Liberatorem, Saluatorem. 5 Inspice opulentos Sacramentorum Ecclesiæ thesauros, quos gratiæ suæ ac meritorum gazis plenos, tuæ paupertati sustentandæ liberalissime est elargitus 6. Promissionem æternæ beatitudinis, quam nobis tam certo addixit, si à scelere nos contineamus. Ex his perspici potest, quodq; peccatum mortale continere in se malitiam & ingratitudinem plane infinitam, cum pro immensa Dei in nos bonitate, beneficiisque innumeris, summam eidem iniuriam rependat,

nos-

nosque insuper ab adeptione interminabilis boni excludat, cuius iactura omni sensus dolore est acerbior. Quin & vlterius peccati inhumanitas ac malitia crescit: quoties enim peccator lethale flagitium perpetrat, nihilo mitior est quam si impiis pedibus, pretiosissimum Christi Seruatoris sui sanguinem obtereret, dum non minori libertate nouis se flagitiis contaminat, quam si nullo illa liberatoris sanguine & morte fuissent expiata.

VIII Cum ergo tam ingens malum sit peccatum, quod nos æterno bono priuet, ac sempiterni supplicii reos constituat; perspicuum est, homini, nisi rationis omnis expers sit, quæuis potius tormenta, immo ipsos etiam inferorum cruciatus eligendos, quã vt vel vno se lethali peccato reum faciat, cum nulla sint tormenta tam immania, quæ cum peccati indignitate comparari possint.

DIES QVINTVS

De propriis cuiusque peccatis.

I. INquire diligenter in totam tuam vitam, peccatorũ multitudinem & grauitatem, Deinde cogita, post inquisitionem quantumuis accuratã, magnam à te peccatorum partem, tum obliuione, tum incu-

ria, tum fraude diaboli præteriri, quæ piissimæ Dei clementiæ committes, obsecrabisque vt illa vero dolore ac penitentia possis diluere.

II. Rapiat te in magnam admirationem, summa illa Dei clementia, qui te tãto tempore tot tamq; grauibus sceleribus fœdatum, patienter sustinuit, vitęq; deprauatæ emendationem exspectauit: cùm interim toties in eadem crimina prolapsus fueris. Conuertere vel modo, toto corde ad Deum, seria peccatorum detestatione.

III. Recogita quæ te occasiones ad diuinorum mandatorum neglectum deduxerint: breuis nempe ac bruta corporis libido, incerti ac fugacis honoris ambitio, pauxillum diuitiarum pro fluxis his breuique interituris reculis, æternum bonum abiecisti, tibique ad sempiterna gaudia aditum interclusisti, dum te peccati auctoramento cacodęmoni ad æternorum ignium nutrimentum mancipasti.

IV. Exquisite hæc omnia tecum perpende; quod cum facies, deprehendes aut te non omnino credere Deum aliquem esse, aut non talem, cuius bonitas, potentia, iustitia omni ex parte sit infinitia, in cuius præsentia continenter verseris, cuius æquissimum ac seuerissimum iudicium tibi omni hora

hora ſit exſpectandum, quique in promiſſis fallere neminem poſſit: aut te amentem plane, omniſque rationis expertem eſſe, aut ſaltem tibi pondus & grauitatem peccati minimè perſpectam ac exploratã eſſe, quod Deo omnipotenti ex aduerſo tamquam iuratus hoſtis obluctatur, nos bono immenſo & nunquam perituro exſpoliat, ac pro eo in perpetuum ſempiterno incendio addicit. Quiſquis ergo certo credit Deum eſſe, ac talem Deum, peccatumque eſſe rem tam immanem, quomodo ad peccandum ſe vnquam induci patietur.

V. Conſidera qui fiat, quod non omnis aduerſum te creatura inſurgat, cum tu toties indigniſſime cõmunem omnium conditorem tuis flagitiis offenderis. Cur angeli acerrimi iniuriarum ſui conditoris vindices, tam iniurioſum Deo caput non interimant, ſed potius adhuc in variis quotidie diſcriminibus protegant. Cur non tibi ſol ſplendorem ſuum, tellus fruges neget, imò cur non ſub pedibus dehiſcens, viuum te ad inferos præcipitem ruere ſinat. Valde enim mirum eſt, quod non res creatæ vniuerſæ de te, Dei ac conditoris omnium hoſte capitali, vindictam ſumant.

DIES SEXTVS.

Variæ considerationes ad vitæ correctionem excitantes.

I. COnsidera insipientiam peccatorum, qui quotidie magna securitate, ipso inspectante iudice, grauissima crimina designant: cum tamen non ignorent, eadem hora, ac eodem vestigio repentina se morte extingui, ac in infernum præcipitari posse. Roga Deum ne te tantis tenebris pro scelerum tuorum merito inuolui patiatur.

II. Inquire diligenter ac perpende, quænam tibi hactenus peccandi occasionem dederint, & hæc omnia tamquam pestem ac præsentissimum animæ venenum, crudelissimosque eius sicarios deuita. Quod vt facias, cogita neminem ita insipientem esse, qui quamuis longa fame exhaustus sit, apposita fercula, quantumcumque delicate condita, gustare vel extremis labris attingere auderet, quibus lethiferum virus sciret esse permixtum. Quo tamen multo insipientior est, qui cognita peccati virulentia pestiferaque eius natura, illud suscipere non timet; cum quo perpetuum animæ exitium, sempiternum è cœlesti patria exilium, æternamque in inferni suppliciis sine morte mortem amplectitur.

III. Si

III. Si tibi peccandi ansam præbeant parentes, liberi, coniux, consanguinei, domini, sint tibi non amicorum, sed hostium capitalium numero, quippe qui tibi mortem animæ, quæ nec mundi totius pretio compensari possit, machinentur.

IV. Si te ad peccatum alliciat honorum ac dignitatum sublimitas, diuitiarum fulgor, blanditiæ voluptatum, vide ne cæca horum cupiditate, tuos ipse in tuum caput sicarios foueas: fuge hos animæ tuæ infestissimos hostes, eorumq; insidiosas illecebras inuicto animo calca, priusquam ipsi te subactum in infernum præcipitent. Qui enim inermē se, sponte sua infestis hostium telis obiicit, quid aliud quam propriæ vitæ proditorem agit?

Cogita quam iustæ tibi rationes suppetant immortales cum hisce inimicitias suscipiendi, qui & æternam tibi beatitatem, Deique iucundissimam societatem inuident, & vt te æternis rogis, vbi nulla nec clementiæ nec solatii spes superest, cruciandum tradant, nihil intentatum relinquunt.

V. Si te ad peccatum trahant aut à natura insita, aut industria quæsita animi aut corporis ornamenta, grauissimis illa vinculis, nempe Dei & gehennæ metu, constricta, indomitatum beluarum instar, in con-

tinuis tenebris contine. Melius enim est vt ista prudenti obliuione à te sepulta neglectaque iaceant, quam prolata in publicum suo te splendore, ab æternæ lucis conspectu abductũ, sempiternis tenebris immergant.

VI. Inquire, & adhibe remedia quæ te à peccatis auocare possent: & 1. fuge omne commercium eorum qui timorem Dei excusserunt, solique tibi familiares illi sint, quos Deum timere perspexeris 2. abiectis omnibus vanitatis auctoribus, eos tantum libros legito, qui te ad virtutem erudire ac incitare possunt. 3. quotidie exerceto animum tuum pia meditatione, quæ te ad vitanda peccatorum pericula excitet, ad vitia exstirpanda hortetur, ad virtutes animo inserendas iuuet, quæque te potissimum ad Deum amandum exstimulet. 4. Diligenter quotidie conscientiam tuam inspice, cum vera delictorum pœnitudine, firmoque emendationis proposito. 5. Freqenter diuina sacramenta vsurpa. 6. Studiose ea complectere quæcumque corpori affligendo edomandoque oportuna videbuntur.

VII. Meditare sæpe quis Deus sit, & quis tu. Intuere corpus tuum, quid illud aliud est quam fœdissimis sordibus saccus refertus, quem extima cutis nonnihil venustat, è terra formatus, rursumque in terram resoluendus.

uendus. Conſidera deinde viliſſimi corporis audaciam, quod ne diuinas leges proterat, potentiſſima Dei manu vbique imminente, non deterretur. Conſidera etiam animam magna vndiq; ferociſſimorum dæmonum caterua circumdatam, qui ad eam dilaniandam ſingulis momentis intenti adſtãt; quod ſtatim à primo tuo peccato feciſſent, niſi benignìſſima Dei clementia, diſſimulatis ſibi à te illatis iniuriis immitiũ belluarum impetum repreſſiſſet. Verum ſcias, niſi te mature ex horũ poteſtate ſubducas, Deum tandem frenos, quibus dæmonum ferociam coercet, laxaturum. Quod merito iis qui ſe peccatis obnoxios ſciunt, ſingulis momentis extimeſcendum.

VIII. Quis hoſtium vndique irruentium telis ſeptus, ſe ipſe abiectis armis nudabit, vt ſit omne ſibi vitæ tuendæ præſidium eripiat? Maior hac peccatoris inſipientia eſt, qui per ſcelus reiecta omni diuinæ gratiæ armatura, qua ſola omnes hoſtium inſultus facile excuſſiſſet, inermem ſe hoſtium telis obiicit.

IX. Quis validiſſimo hoſtium exercitu obſeſſus, relicta ſponte ſua bene munita arce, ſolum ſe inermemque hoſtium cuneis immiſcebit: aut deiecto arcis vallo, facilem hoſti eius occupandæ viam ſternet? Mul-

culo spondens, hoc vnum agit vt curas rerum temporaliũ, quibus assiduo distringitur, risu, cantu, iocis ceterisq; deliciis diluat.

XII. Si te humana imbecillitate in lethalem culpam prolabi cõtingat, ad Deum continuo seria pœnitudine reuertere, adhibe suspiria, lachrymas, corporis, afflictationes, ac præcipue humilem ac salubrem peccatorum confessionem, cum certa deliberatione millies potius mortem oppetendi, imo & inferni flammas subeundi, quam simili flagitio Deum iterum offendas. Quod si te nec cœlestium gaudiorum cogitatio, nec passionis Christi memoria commoueat, percurre animo inferorum tormenta, vide in iis infelices animas pro peccatorum suorum varietate, suppliciorum diram varietatem sustinere, audi detestantes diem qua primũ nati, parentes qui eos ad tantam miseriam progenuere, liberos quorum amore in tantum exitium irruere, Deum denique omnesque res creatas furibunda desperatione execrantes.

Si nec istorum meditatio saxeum tuum pectus emollire queat, confer te ad ardentem fornacẽ, ingere, si audes, flammis manum, periclitare num siccis oculis vultuque ridente ardorem sustinere possis. Tum altera ex parte illecebras tibi propone quæ ad pecca-

peccatum te pellicere solent: vide num vt hisce paululum fruare, paratus sis horam vnam hoc igne cremari. Quod si nec totius mundi pretio tantum cruciatum sustinere velles, quæ dementia est Dei leges perfringere, cum scias harum violationem, æterni incendij pœnam violatori accersere?

DIES SEPTIMVS.

De præsentia Dei.

Cogita.

I. QVis Deus sit: tuus nempe Dominus, Iudex, Rex, Conditor, Parens, Saluator. quorum singulorum notionem ac vim diligenter tecum perpende.

II. Cuius in vniuerso mundo tam proiecta audacia, qui in Domini sui ac iudicis conspectu audeat vllum eius mandatum infringere, quod pœna capitis proposita sancitum nosset? Multo sit audacior necesse est, quisquis in oculis Dei delinquere non exhorret, cum non sit nescius, vnica Dei offensa, se æternæ mortis reum constitui.

III. Quis subditorum, cui à Rege regni consequendi facta spes sit, audeat ipso inspectante Rege quidquam tentare quo illum offendendum, seque certo spe sua excludendum intelligat? Insipientior ille longe, qui

Digitized by Google

ge, qui in oculis æterni sui Regis ab ipsius lege discedere audet, cum sciat amissurum se hoc facto promissam sibi regni cælestis coronam. Et hoc quolibet lethali crimine perpetrato peccator admittere non veretur.

IV. Quis filius præsente patre flagitium concipere audeat, quo perpetrato se ab eo tamquam rebellem filium exheredandum nosset? qui ergo audebit homo, coram patre suo cælesti vllo se piaculo obstringere, à quo simul ac deliquerit, æterna cæli hereditate excludetur?

V. Inter cæteras ergo peccatorum occasiones vna ex præcipuis est, quod non semper meminerit homo Deum vbiq; sibi præsentem adesse. Qui enim fieri posset vt is cui plane perspectum esset, se quocumque se verterit, aut abdiderit, quibuscumque se latebris clauserit, numquam Dei Parentis sui ac Regis oculos latere posse: immo multo semper aperti⁹ omnia sua Deo perspecta esse, quam vlli hominum sibi perpetuo adhærenti esse possent; qui inquam fieri posset, vt is cui semper Dei maiestas obuersaretur, imperium illius negligeret, quo neglecto æternam se tanti Regis offensionem certo incursurum cognosceret?

VI. Eamdem rem penitius humanis exemplis perscrutemur. Quis auderet in sui

Regis

Regis conspectu inimicum trucidare, aut mulierculam petulantius attrectare? quis tam est amens vitæq; suæ prodigus? amentior multo is, qui tale quid in oculis Dei audet; qui longe acutius hominum occultissima intuetur quam vlla terreni Regis sagacitas posset. Quid enim Regis mortalis indignatio eripere præter vitam mortalem potest? at Deus offensus cum occiderit corpus, potest & animam mittere in gehennam. Magna ergo peccatorum nostrorum occasio est, quod non ita firme animo conceptum habeamus, Deum nobis vbiq; tam præsentem adesse, nosque illius oculis & conspectui semper obuersari.

VII. Quare adhibe in hac re internos animi sensus, visum præsertim & auditum. Intuere coram te Deum tuum altera manu æterna præmia, altera perpetua incendia ostentantem; hac cælestis regni diadema, illa horrenda inferorum tormenta, hac beatitudinem nullo fine terminandam, illa in ignibus numquã morituris dolorem numquam finiendum. Audi amplissimis certissimisque promissis ad peccatorum detestationem inuitantem, sempiternæ felicitatis securissimam possessionem promittentem. Audi etiam, ni sequare inuitantem, horrendas peruicaciæ tuæ pœnas serio mi-

nitan-

nitantem. Aſpice ad dexteram iuſtorum laureas, ad læuam ſceleratorum ardentes rogos: in medio virtutem & ſcelus, vtrum malis elige, virtuti laureæ, ſceleri incendium propoſitum. Eodem momento quo virtuti flagitium præferes, Iudicis te ſententia æternis ignibus nutriendis materiam addicet. Sequitur enim in vtramque partem, tuam electionem & opera: iudicis ſententia. Quæ ergo ſtultitia, audacia, dementia eſt, in oculis tam ſeueri Iudicis ac remuneratoris rigidiſſimi promiſſa eius ridere, coronas deſpicere, præmia conculcare, leges reſcindere, ac in omnem æternitatem ſempiterna ſibi incendia accerſere? quæ omnia mortali quocumque crimine concepto perpetrantur.

Hebdo-

Hebdomas secunda.

DIES PRIMVS.

De mundi vanitate ac fallacia.

CONSIDERA.

1 MVNDI inconstantiam, eiusque in promissis infidelitatem, à quo vix vnus multis è millibus quod sperarat consequitur, idque non in vno tantum, sed in omni vitæ genere, & cuiuscumque rei exspectatione euenire cernimus. Percurre animo diuersos hominum status ac conditiones: è tot mercatorum, militum, studiosorum, aulicorum millibus quotusquisque se voti compotem factum esse profitetur? Maxima plerumque pars, dum prensando, ambiendo, prosequendo ea quæ concupierunt, ætatem consumpsere, pro diuitiis extremam paupertatem, pro honoribus ad quos aditum sibi sternebant, infamiam, aut exitium reportant. Idem in coniugali

gali vita animaduertes, cui cum se ingens hominum numerus prosperi pacatiq; conuictus spe ac desiderio, continenter implicet, ex iis tamen vix centesimum reperies qui se quod sperauerat assecutum dicat.

II. Donorum eius fucatam vanitatem, quibus ex tot millibus vix quisquam saturari expleriq; vnquam potuit; imo quę semper maiorem sui cupiditatem, amplificandi inquietudinem, anxietatemque conseruandi excitent. Examina omnis status conditionisq; homines; *inter tot millia vix vnum* inuenies qui sua sorte contentus viuat, imo qui non semper maiorem ampliorémque meditetur. crescit enim cum rerum possessarum copia earum sitis & desiderium. nam facultates, honores, voluptates partæ iam atque possessæ nouarum concupiscendarum irritamenta sunt & illecebræ. Accidit enim his quod iis qui æstu febrique iactantur, fieri aduertimus. qui licet cum aquam gelidam biberint paululum releuari videantur, deinde tamen grauius multo vehementiusque afflictantur. Quod nulli mirum videbitur, qui amplam animæ nostræ capacitatem immortalitatemq; perspectam habet, quæ nullo quod fluxum sit & caducum satiari possit, non magis quam puteus qui fundum non habet, aqua impleri.

III, Mun-

III Mundi iniustitiam, qui munera sua ac facultates vt plurimum improbissimis indignissimisque distribuit. Hos enim videre est maioribus diuitiis circumfluere, ac amplioribus honoribus exornari, quam probos ac innocentes; quasi his Deus ad qualemcumque æternorum suppliciorum, quæ scelerata sua viuendi ratione promerentur, compensationem ac lenimen temporaria commoda largiretur. O infelicem compensationem, miserumque solatium! Et ô insanam nimis eorum cupiditatem, qui subdola hæc mundi dona tanta auiditate prosequuntur! cum ignorare non possint, mundi prosperitatem & gaudia plerumq; sempiterno supplicio post incertissimam exigui temporis vsuram, concludi solere.

IV. Exitum eorum qui mundo seruiuere qui plerumque est ærumnosus, miseriis plenus, calamitosus ac infelix: cum enim nimia viuendi licentia in profundissimam scelerum voraginem prolapsi fuerint, extremo vitę momento in desperationis hiatum, indeque in infernum præcipitant.

V. Institue comparationem inter mercedem mundi & Christi. merces mundi incerta ac peritura: Christi certissima, & æterna. Mundi præmia sunt fluxæ opes, honores, voluptates, quæ variis casibus eripi

aut

aut intercipi poſſunt, quæque licet retineantur, numquam tamen plene hominis deſiderium exſaturant: at Dei præmia cæleſtes ſunt diuitiæ, dignitates, deliciæ, quæ ſemel comparatæ numquam eripiuntur, retentæque ſine faſtidio æternum ſatiant; quæ nec furum inſidiis expoſitæ, nec inuidorum liuori obnoxiæ, nec à raptorum violentia conſeruandæ. Attende cuius præmia malis, tum cuius in circo curras circumſpice. Hinc enim facile quæ te cum ad calcem veneris, præmia maneāt intelliges, illius enim muneratrii præmia ſperare potes, in cuius circo currere incepiſti.

DIES SECVNDVS.

De Morte.

I. CONſidera vitæ huius incertitudinē, de cuius nec die nec hora vllo pacto certi ſumus. Voluit enim Deus huius omnino nos ignaros eſſe, vt tantæ incertitudinis formido, perpetuam in nobis ſalutis procurandæ ſolicitudinem excitaret, & ad continuum virtutis ſtudium fugamque vitiorum animaret.

II Incertitudinem hanc clare ſatis conuincunt ſubita quotidie & inexſpectata funera. Quæ cum frequentiſſima videamus indies, vehementer iis commoueri, cautioresque

resque. reddi debemus, vt in singulas horas ad extremam illam horam comparati inueniamur. Cùm quidquid alteri inexspectato superuenit, nobis etiam inopinantibus possit contingere. Vt enim multi subita humorum defluxione opprimuntur, alii repentina prolapsione, alii aliis incertis casibus, aut saxorum ruina, aut equorum calcibus, aut aquis aut fulmine aut sceleratorum iniuria pereunt: iisdem tu quotidie periculis expositus viuis. Videmus modo hunc in mediis deliciis dum edit, bibit, ridet, aut etiam dormit, alium ab amicorum congressu, à dignitatum splendore, ab opibus, & voluptatum complexu, eadem sæpe hora, imo eódem nonnunquam momento vita excedere. Cogita idem tibi omnino posse accidere, cui non sit magis quam illis vitæ spatium exploratum. Quid si ergo imparatos nos ac peccati mortalis reos, subito mors opprimeret, vt complura hactenus millia oppressit, an non æternum frustra dementem hanc nostram securitatem deploraremus; Tempori ergo, dum licet, rebus nostris prospiciamus, omnemque peccati lethalis noxam declinemus, quæ nos in æternæ damnationis periculo constituit.

III Si datum nobis esset, vt sæpius mori, iterumque ad vitam redire possemus, toler-

toleranda forte eius temeritas videri posset, qui reparabilem vitæ cursum mortis telis exponeret: at cum semel tantum viuere cuique datum sit, nullique postliminio in hanc vitam regressus pateat, perspicuum satis vnicuique est, quanti periculi res sit morte vitam hanc abrumpere: quæ si nos grauiori scelere obstrictos occuparit, spem omnem salutis in æternum consequendæ præscindit. Obstupesce ergo excordem peccantium audaciam, qui tanta securitate in sceleribus vitam agunt, non cogitantes postremam eam forte esse horam, à qua perpetuæ æternitatis, nullo vnquam tempore mutabilis, conditio dependeat.

IV. Internos animi sensus applica, ad ea quæ morientibus accidere solent contemplanda.

I. Oculis subiice hominem decumbentem morti proximum, voce destitutum, fractis oculis, naribus auribusque rigentibus, fronte macie extensa, collapsis genis, ore distracto, brachiis ac tibiis porrectis, manibus pedibusque emortuis, facie totoque corpore cadaueris instar pallente & exsucco. Deinde ad interiora mentis oculos conuerte. Vide internam animi agitationẽ, & luctam: diuersarum cogitationum cruciãtes anxietates, variarum vndique impugnationum

D incur-

incursus, quæ modo ad desperationem, modo ad n.miam confidentiam moribundum adigunt. Hinc rigidi iudicis obiicitur terror, inde immites inferorum pœnæ, hinc peccatorum ingens multitudo, inde immanis eorum malitia & grauitas: quæ omnia assiduis dæmonis impugnationibus infestius ingeruntur Contemplare internam hanc externamque miseri hominis constitutionem. Tu quid ea hora à te maxime factum fuisse optares? id nunc aggredere dum facultas & tempus à Deo conceditur. Lustra deinde totam familiam, lautissima vndique supellectili ornaram: quid ex ea tum aut solatii, aut securitatis, aut aduersus infirmitatem moribundo præsidii Tū percurre animo quęcunq; in vita possedit, i per eius horrea, villas, prata, campos, mõtes, siluas, hortos, fontes, palatia, arces, vicos, ciuitates, ditiones; quid ex his omnibus vel minimum domino malorum leuamen adferre queat?

Imo finge ab eo mundū vniuersum possideri, quid in vltima hac vitæ periodo inde domino commodi aut voluptatis potest accedere? aurum, argentum, gemmas, vniones, ceterasque gazas ac mundi voluptates instar vilissimi luti fastidit & execratur. Et tamen hæc illa sunt, quorum causa homo in extremo vitæ tempore tantis difficul-

ficultatibus & angustiis premetur, dum in singula momenta horribilem illam æternæ damnationis sententiam exspectat. 2. Arrige aures ad corporis variis doloribus confecti suspiria, questus, lamenta, vt lingua morbi vi præpedita inarticulatis vocibus opem imploret, animusq; incondito eiulatu ac fremitu perturbationē suam, propriæque conscientiæ morsus exhorrescat. Ausculta dæmonum opprobria, accusationes, criminationes ad desperationem instigantiū: lamenta & vlulatus cōiugis, liberorum, amicorū, ac totius familiæ. Inter quæ si ad pietatem ægrum adhortere, vix ad aures pia monita admittuntur: vlterioris vitæ spes, etiam dum extremus prope spiritus ducitur, cogitationes ab animæ salute serio procuranda abducit, nimia enim viuendi cupiditas omnes de æternitate sermones excludit; quin etiam ipsa mortis recordatio, animum tam insolitæ rei exspectatione perculsum obstupefacit: deniq; morbi molestę doloris acerbitas, voluptatum, diuitiarum honorum exspoliatio tātopere miserum percellunt, vt vix salutaribus cogitationib. locus, aut tempus, aut facultas relinquatur. Quapropter dum tempus à DEO datur, eo in rem tuam vtere, ac internos Dei instinctus commonitionesque dum valente corpore

vires ſuppetunt, exequere. Extrema namq; vitæ hora, corporis ſenſibus attritis, animique intelligētia membrorū infirmitate impedita, vix vlla ſalubria monita mentem excitare, aut ad pietatem queunt commouere.

3. Admoue odoratum tuum moribundo corpori, cùm iam in ſupremis labris anima verſatur: odorare cadauerosum illum fœtorem, è pulchris nuper ſucculentiſque membris grauius exſpirantem, vt etiam liberi parentum, ac parentes liberorum conſpectum præſentiamq; exhorreſcant, cum fatiſcente natura teter ille inſtantis mortis odor è corpore manare cœperit, cuius ea ſæpe eſt grauitas, vt etiam valentibus morbum adferat. Et hoc corpus illud eſt tam laute ſumptuoſeque paſtum cultumque, tanto impendio curatum: hic tamen quantuſcumque corporis fœtor non eſt cum interiore, quem ex peccati fœditate anima contrahit, vlla ex parte comparandus; cuius ea eſt virulentia, quæ ſi corporeis ſenſibus percipi poſſet, toti mundo peſtifera lue inficiendo ſufficeret, ideoque ipſi Deo intolerabile faſtidium ac nauſeam mouet.

4. Guſtatu tactuque interiore mortis acerbitatem experire: finge te morti proximū, eo quo ſolent moribundi ſitu decūbebere, atq; iam iā imminentis mortis amaritudi-

tudinem interno palato deguſtare. Quam tum futurum moleſtum ac triſte mundo ac vita decedere, voluptatibus, honoribus, opibus exſpoliari, amicis, familiaribus, rebuſque omnibus tanto ſtudio quæſitis, tanta ſolicitudine aſſeruatis, priuari! Cogita quantam animo amaritudinem adferet imminentis iudicii recordatio, exactaque illa iam iam ſeueriſſimo iudici factorum, dictorum, cogitatorumq; omnium reddenda ratio, tum æternarum flammarum formido, ac calamitoſi è *cœlo exilii*, metus. Denique quam anxiis amariſque curis diffidentem deſperantemque animum conficiet præteritorum flagitiorum memoria. Finge modo te huc miſeriarum perueniſſe, & ex hac cogitatione coniice quis tali tempore morientium ſit animus ac ſenſus: cogita iacere te, exterius morbi doloribus, interius anxiarũ cogitationũ cruciatu afflictum, & condẽte vt quã viuaciſſime omnes quę morientibus accidere ſolẽt, moleſtias, angores, cruciatus, dęmonũ impugnationes præſentias, vt his pręceptis inſtãtium calamitatum formido te ad vitę correctionem ſcelerumq; deteſtationem exſtimulet,

DIES TERTIVS.

De iis quæ instantis mortis molestiam exasperant.

1. ACerbissime moribundos discruciare solet præteritarum rerum reminiscentia. 1. Possessarum opum, honorum, voluptatum, conuiuiorum, familiaritatum, ludorum, similiumque memoria, quorum omnium ea hora fructum resecat. 2. Temporis inutiliter absumpti rebusque futilibus tam prodige impensi recordatio, quod omne in diuitiarum conquisitione, honorum ambitu, ac voluptatum prosecutione similibusque nugis perditum dolent. 3. Neglectæ virtutis, piorumque operum prætermissorum recordatio. magnopere enim morituros torquere solet meminisse à se tot es diuinas commonitiones spretas, exempla ad virtutem inuitantia contempta, sacrorum mysteriorum salutiferam frequentationem omissam, vt liberiore animo libidinibus se tradere, expeditiusque perituris rebus sese possent impendere. 4. Omnium scelerum tota vita commissorum memoria, quorum tum longe grauior tetriorque quam vmquam antea, oculis à dæmonibus species obiicitur. Hæc tũ omnia aceruatim ab immanibus illis salutis humanæ hostibus in memo-

memoriam reducta miſerrime ægrum exagitabunt, tamq; continuis anxium animum impugnationum machinis pulſabunt, vt vix vllum miſero ad præterita ſcelera ſalubri dolore expianda ſpatium facultatemq; ſint relictura. Quapropter modo dum à Deo facultas & mora conceditur, ea quæ tum feciſſe optabimus, exequamur. Nec enim imminente morte tempus, aut vires ad hęc ſuppetunt, cum & morbus mentem obnubilat, dæmoneſque moleſtiſſimarum cogitationum fluctibus animi tranquillitatem perturbant.

II. Non minus moribundum torquebit præſentium rerum conſideratio. 1. Enim mirum in modum affliget eum, cum ſe deſtitui iis omnibus cernet quæ tanta contentione & labore ſibi compararat, cum opes ſuas ad alios tranſire, honores ac voluptates omnes euaneſcere percipiet, quæ quo maiores lautioreſque fuerint, eo moleſtius earum iacturam feret. 2. Augebitur hic doloris ſenſus plurimum, cum meminerit quot ſcelera perpetrarit vt ea conquireret, quæ tum poſt tot labores, poſt tot peccata, poſt tam breuem fructũ tam repente in ęternum omnino erunt relinquenda. 3. Perturbabit etiam non mediocriter, videre ſe ea hora, in maximis extremiſque anguſtiis, cum alio-

rum fide ac patrocinio maxime indigebit, ab omnibus deseri ac relinqui, quod qui faciunt, indicant profecto falsos se infidosque amicos esse, qui in tali necessitate suos destituunt: cum sincera amicorum fides rebus aduersis maxime eniteat. Quare rescindamus si qua nobis est cum perfidis istis familiaribus amicitia, aliosq; perquiramus à quibus in necessitatibus nostris numquam deseramur. Hi sunt virtutes, reuerentia in Deum & charitas, mandatorum eius obseruantia, quæ solæ nobis in horribili illa calamitate adesse possunt.

III. Meditare quid tibi in extremo illo discrimine constituto Præsidii, afferre poterunt voluptates, diuitiæ, honores, amici, familiares: anne vel ad horulam vnam vitam tibi prorogare poterunt? Quæ ergo dementia est tantum laboris molestiarumque earum rerum gratia adire, quæ nos eo tempore certo destituent, cum earum subsidio maxime indigebimus. quanto satius ac tutius est earum consuetudinem tempestiue rescindere, priusquam ab iis cũ minime oporteret, deseramur; quod qui faciunt ne earum blanditiis in fraudem inducantur, prudenter cauent,

IV. Magnopere etiam tum morientem affliget luctuosus ille animæ à corpore di-

discessus, cum quo tam arcta necessitudine amicoque naturæ vinculo coniugata coaluit. Quorum quo arctior coniunctio, eo amicitia vehementior; & quanto hęc maior, tãto futura vtriusq; acerbior diuulsio. quod maxime experientur ii qui deliciis circumfluentes, opibus ac dignitate conspicui hilarem iucundamque in corporis contubernio vitam, cupiditatibus eius obsecuti, duxere.

v. Præter ista tamen grauissime torquebit imminentium rerum meditatio. 1. Viæ incognitæ. qua continuo soli ingrediendum erit, incertus exitus. Perpende solitarium istud iter per viam incognitam nec ante vmquã tritam. vbi hic amici, fortunæ, honores, vbi deliciæ, vbi arma, vbi audacia tua & magnanimitas in hac inusitata periculosaq; profectione? Quære modo, dum tempus est, fidos tibi amicos, qui te in solitudine illa plena horroris ac formidinis assiduo comitentur, atq; in extremis periculis tueantur. Hos ab opibus, vitæ splendore, voluptate, nisi decipi velis, sperare non potes, sed ab vna virtute, perpetuaq; scelerum detestatione 2. Perturbabit etiam non mediocriter moribundũ exacta illa iam iã seuerissimo iudici omniũ factorũ dictorumque, quin etiam occultissimarum cogitatio-

num, reddenda ratio. 3. Seuerum illud incorruptumq; ea hora subeundũ iudicium, vbi exclusa omni misericordiæ lenitate, omnia summo rigore iuris decidentur. 4. Sententiæ tum de nostra aut salute aut damnatione æterna pronunciandæ ignoratio. 5. Huius sententiæ sine vlla prouocatione immutabilitas. 6. Causæ nostræ ambiguitas, cum in confesso futurum sit, mortifera scelera à nobis esse perpetrata quam plurima, nec tamen an pro iis diuinæ iustitiæ satisfecerimus, certo nobis cõstabit. Deum à nobis grauissime offensum fuisse sciemus, placatusne sit ignorabimus: debita nos contraxisse satis liquebit, dissolutane sint omnia dubitabimus. 7. Formido non vana mali immensi ac sempiterni, omnem in se miseriam continentis, vbi nulla solatii spes, nullum ærumnarum leuamen, nullum in ardoribus sempiternis refrigerium.

VI. Cogita modo qualem tum optares à te actam vitam, & illam modo dum tempus suppetit institue, quodque tum cassis votis à te factum cupies, modo exequere. Nullus bene viuẽdi melior magister quam mortis memoria, nullus ad virtutem efficacior adhortator quam supremæ illius necessitatis recordatio. Vt enim supremum illud vitæ momentum mortalia omnia, ab-

stersa

ſterſo fuco, morientium oculis obiicit, eaque ſuis ponderibus librata oſtendit; ita & ſeria illius horæ præmeditatio, ad eadem clarius cõſpicienda humanæ mentis aciem acuit. Ne ergo vitæ emendationem in eam horam differamus, cum morbi moleſtiis oppreſſi vix tantillum temporis aut virium habituri ſumus, vt vel ſemel de ſalute noſtra cogitemus.

DIES QVARTVS.

De iis quæ mortem ſequuntur.

I. VIde vt continuo, poſt mortem, amici omnes etiam ii qui in vita fuere chariſſimi, vt coniuges, liberi, affines, à cadauere fugiant. hic amoris & amicitiæ terminus. Et hi ſæpe ii ſunt quorũ cauſa æternis ignibus defuncti anima excruciatur. Quam illi excordes qui ſpem ſuã omnem in talibus amicis repoſitam habent, à quibus tantum in proſperitate obſeruari ſe, rebuſque mutatis, in extrema neceſſitate deſtitui, aduertunt; præterquam quod iidem ſæpe ipſis ſint æternæ miſeriæ conciliatores.

II. Obſerua quantum adferat cadaueris fœditas omnibus faſtidium, etiam ſanguine atque neceſſitudine proximis, vt ſunt coniux, liberi, familiares. Hæc tamen cor-

pus illud est quod horum causa dum viueret plurimum laborauit, quodque vt in eos munificum esset ac liberale, Deum diuinosque thesauros contempsit.

III. Quid tibi tandem heredes tui rependent pro quibus tantum laborum molestiarumque corpus tuum sustinuit, quorumque occasione æternis forte ignibus aliquando exuretur? laceram forte & ex omni suppellectili vilissimam sindonem, & capulum quatuor tabulis temere compactum ab iis auferes. Hæc futura tantorum laborum remuneratio, hoc tuæ in eos munificentiæ præmium.

IV. Quam tibi gratiam referent heredes tui pro omnibus curis, vigiliis, laboribus, quibus eos locupletare studuisti? quæ pro te vota, quas preces ad Deum aut ipsi facient, aut ab aliis vt fiant curabunt? quam de tua post mortem beatitudine curam suscipient? Attende quid plerumq; à profanis heredibus defuncti manibus rependatur, & ex iis quæ quotidie aliis accidere aduertis, quid tibi cum è vita excesseris, à tuis heredibus sit exspectandum coniice.

V. Impensas quæ in humationem ac sepulturam fiunt, cui illas fieri arbitraris? non eæ sane mortuo, sed cognatorum atque heredum viuentium honori ac famæ impenduntur.

duntur. quæ si absque eorum infamia omitti ab iis omnino possent, ne teruncium quidem in mortui curationem erogatum vellent. Commune inter eos prouerbium est, Mortuos nihil sentire. Sed heu plerumque nimis quam vellent acerba multa sentiunt, idque sæpe heredum suorum causa, quos nimium ditare studuere: à quibus tamen tam indignam tantæ benignitatis compensationem auferunt.

VI. Exanime corpus vix obriguit, continuo effertur, tumulo iniicitur, arcte in eo aut terræ aggestu, aut prægrandibus saxis concluditur. vbi tum lectorum mollities, vestium cultus, atriorum laxitas, aulæorum ac peristromatum, splendor, reliquusque exquisitissimatum deliciarum apparatus, quibus foueri corpus ornarique consueuerat? Quam ad exiguum tempus vitæ huius deliciæ durant, quam cito possessorē suum aurum, argentum, gemmæ, vestes cæteraq; mundi suppellex destituit?

VII. Et quæ tui etiam apud tuos post sepulturam remanebit memoria? eodem plerumque die & domo effertur defunctus, & ex animis superstitum illius recordatio effluit. Et si forte cuiuspiam sit luctus pertinacior, is facile omnis funebrium epularū lautitia aut discutitur aut plurimum diluitur.

Quod

Quod ſi vero opimam heredibus moriens hereditatem cernendam reliquerit, longe is iucundiſſimum eis mœroris leuamen prouidit. De hac tum omnes loquuntur, hanc inſpiciunt, hanc ſolam curant: de mortui ſtatu nulla mentio. quin imo illæ ſunt quouis triumpho lætiores exequiæ, mors illa natali die iucundior, quæ heredes amplioribus quam ſperarant opibus locupletat: quæ iure ne an iniuria partæ ſint, ſua intereſſe nihil putant. Quin etiam quanto maiores opes congeſtas inueniunt, tanto eas innocentius partas facile ſibi perſuaderi patiuntur; vt nihil aut minimum ex tanto aceruo egenis ſit largiendum. Quibus ſi hinc inde ex viliſſimis deteriora quædam diſtribuant, omne quod male parti nomine reſtitutioni obnoxium videri poterat, abunde compenſari putanr. Cæterum ipſi de ſumma hæreditatis diſputant, ſuas quique portiones ad calculos reuocant, quæ quo lautiores, hoc mœrori ſunt & lachrymis præſentius ſolatium, de anima defuncti nulla eſt quæſtio. Sit illa vbicumque poteſt, imò ſæpe in teterrimum inferorum barathrum compactam malunt, modo ipſi ex illius interitu opulentiores euadant, quam eandem, nihil aut parum heredibus relicto, in cœlo æternis gaudiis perfrui. ita plerumque ingrata here-

heredum turba pluris facit suum ex defuncti æterna miseria exile emolumentum, quam sempiternam illius cum modico suo detrimento felicitatem.

VIII. Considera tecum exangue corpus: disseca illud & introspice quale tandem sub cute sit, quod tam stulte amatum fuit. Mirum ni rubore perfundaris, cum videris quam fœdam cloacam tenuissimæ cutis inuolucro vestitam in deliciis habeas: quidquid enim extima illa pellicula interius est, tabes est, putor est, nihilque præter oculorum ac narium cruciamentum. Needum hoc forsan persuadere tibi potes; accede ad cadauer propius, manibus contrecta, quo penitius introspexeris, maiorem semper fastidii, nauseæ ac horroris causam inuenies.

IX. Progredere vlterius, & dispice in quæ tandem corpus illud tabefactum dissoluetur; in lutum & puluerem, ex quibus coaluit, imo in vermes, bufones, serpentes: & non hæc digna tanti fastus, digna superbiæ materia? Pudeat nobilissimam animã tam putidæ carnis seruituti mancipare, pudeat diuinitatis imaginem ad luteæ massæ ministeria damnare, quæ breui in vilissimũ puluerem dissoluta, omnium pedibus proteretur: non enim est profecto hinc vlla nobis tumoris, nulla arrogantiæ occasio, cum tam

vilia,

vilia, abiectaque corporis nostri elementa introspicimus. Etenim quæ tibi causa insolentius animos efferendi, aut alta sublimiaque moliendi suppetit, cuius corpus hodie validum vegetumque crastinus forsan dies in puluerē, tabum & lutum rediget? Quod si ergo aliquando elatiores animo spiritus subdiderint aut opes aut honores, aut voluptatum blanditiæ, cogita ex qua tibi materia artis natura formarit, quamque facile in eandem sint redigendi. Percurre cogitatione eos qui ante te diuitiis voluptatibusque abundauere, perscrutare arentia eorum in tumulis ossa, & vide quas secum opes, dignitates, quæ gaudia abstulerint, ex iis quæ tam copiose in eos dum viuerent, fortuna congesserat. Cogita idem de te aliquādo futurum, forsan cras, forsan etiam hodie, & forte, quis scit? hac ipsa hora. Deinde perspecta satis conditionis tuæ vilitate, oculos tuos ad diuinam benignitatem refer, quæ te è limo terrę figuratum ad æternam cælestis gloriæ possessionē destinauit, nisi per summam incuriam & socordiam, tua te sponte, tam felici sorte indignum reddideris, Dei præcepta negligendo, ac tuis tibi sceleribus aditum ad immortalitatem obstruendo.

X. Quid est post mortem quod cadauera regum

regum, nobilium, diuitum, à subditorum, ignobilium ac inopum cadaueribus distinguat? quod inter hanc & istam terram discrimen? inter horum & illorum saniem? inter vermes è regum putrescentibus membris, & pauperum tabe procreatos?

II. Disce ab exangui cadauere, 1. opes deliciasque contemnere, & naturæ appetitiones vilibus & abiectis rebus placare. 2. vanas mundi cupiditates, ac turpes libidinum motus, quãtum fieri poterit, ne sentire quidem, aut saltem contemnere. 3. animum ab iis rebus quas mundus tantopere admiratur, quàm longissime abducere. 4. voluntariam obedientiam. Quod cum feceris, exspecta in cælesti vita alios thesauros, alias dignitates, alia gaudia in perpetuum constantia, pro fluxis istis ac fallacibus, Dei amore à te neglectis.

DIES QVINTVS.

Mortem diuitibus esse quam pauperibus tristiorem, acerbioremque.

I. COgita quantus diuitum animos mœror, quãta tristitia occupet, cum vident continuo illa omnia deserenda esse quæ tot curis, laboribus, molestiis, vigiliis stetere

ſtetere. Quanto illi prudentiores qui non tam tenaciter affectiones ſuas fluxis iſtis bonis patiuntur adhæreſcere, quæ cum eripiuntur, maiore dominum ægritudine conficiunt, quam ex eorum vnquam poſſeſſione iucunditatem hauſerit?

II. Moleſtia quæ in horum iactura ſentitur, leuior eſſe non poteſt, quam fuerit ea poſſidendi cupiditas, impenſaque in iis acquirendis cura, anxietas, atque contentio: quæ ſi magna fuerit atque inuſitata, inuſitatum quoque ac magnum mœrorem eſſe oportet, qui ex horum amiſſione accipitur: præſertim ſi repente ac inopinato ea eripiantur. quod plerumque opulentioribus accidit, qui opes ſuas tanta confidentia congerunt, quaſi eas eſſent æternum poſſeſſuri. Felices illi, qui facultates ſuas ita poſſident, vt ſciāt eas ſingulis ſibi horis eripi poſſe: nec his aliter quam maxime inſtabili ac caduco fundamento nituntur: vtunturq; non aliter quam pecuniis, quarum vſuram nulla præſtituta die acceperint, quæ proinde cū ei qui dedit, placuerit, reddita prius exactiſſima ratione de earum diſpenſatione ſtatim ſint reſtituendæ. Qui vero ita opes ſuas adminiſtrat, quaſi eas nunquam aut eripiendas, aut earum ſibi rationem alicui deferendam crederet; quantum eum angi neceſſe erit, cum

eum intelliget eas repeti, & subductis ad calculum rationibus, restituendas esse. Cautius illi rebus suis prospiciunt, qui non aliter, quam conductos à possessore fundos, fortunę bona vsurpant, à quorum vsu ad arbitrium possessoris quocumq; tempore extrudi se posse intelligunt.

III. Magna ergo tristitia diuitum animos torqueri necesse est, cum morituris aduertunt vna hora, vniuersa tot laboribus quæsita, tot curis asseruata, congestaque relinquenda esse.

IV. Huiusmodi cogitationes tam graui plerunq; ægritudine diuitum animos conuellunt, vt vix vnquam mentem seria contentione ad æternæ salutis negotium possint applicare; aut si quandoque sanctior aliquis instinctus animum pulset, is continuo multitudine inanium curarum, mundanorumque negotiorum pōdere obruitur, quæ tanquam lapides molares omnes mētis ad pietatem commotiones opprimunt atque suffocant. Anxiis istis solicitudinibus omnino tum liberi sunt, qui dum viuerent, animum suum à perituris vitæ huius opibus expeditum, æternis diuitiis conquirendis occupauerunt. Hæ namq; plurimū eo tempore eos recreare solent, cū iam proxime abesse horā eam aduertunt, quæ ipsos rebus hisce terrenis

renis ereptos in æternorum bonorum possessione in cælo collocabit: quam cum semel adierint, nunquam inde vlla vi aut iniuria expellentur.

V. Deniq; nihil est quod eo loco ac tempore diuitum afflictationem non exasperet. Si cara illis sit coniux, liberi, facultates, cæteraque vitæ commoda, maior ex horum desiderio, cum iam-iam deserenda videant, mœror ac molestia exoritur. Si liberorum adhuc blanda sit ætas, mores bene compositi, indoles amabilis, durissimum est ab his auelli: si praui, si inobsequentes, si prodigi ac decoctores, & hinc curæ ac sollicitudo augescit.

VI. Quam illi felices ac beati, qui omnibus hisce molestiis sunt expediti! quibusque nulla alia tum cura incumbit, quam vt innocentem spiritum conditori suo, quem in vita toto affectu coluere, ac dilexere? æternum cum illo in cœlis regnaturi restituant, à qua cogitatione eos tum nulla fluxarum rerum procuratio aut sollicitudo diuertit.

DIES SEXTVS.

De perniciosa mortis obliuione.

I. PErspicue satis obliuionis huius perniciem euangelicus ille diues declarat.

rat. audi temeraria illius verba: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare.* Hi sunt diuitiarum fructus, cibo, potu, somno ad voluptatem refici, quę omnia nobis cum belluis communia: & hæc vt conquiramus, totum orbem peruagamur, idque tanta contentione, vt quærentibus angustus sit mundus vniuersus: quæ cum tandem magnis laboribus corrasimus, tam repentinis sæpe ac inopinatis casibus pereunt. Luc. 12.

Quanto feliciores iustorum labores, quibus in cœlo ii præparantur fructus ac præmia, quæ nulla vis vnquam eripiet, nec vlla temporis mora consumet.

11. Tanta confidentia diues hic loquitur, quasi vitam sibi in æternum addictam possideret, ita ne minimum quidem instantis exitii formidine angitur. Sed præter omnem spem suam subito audit, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Quā breue diuiti huic spatium vitæ anteactæ recogitandæ conceditur! Quam tum peccator rationem inibit, qui vix vnquam se aduersus huiusmodi calamitatem seria eius præmeditatione muniuit? quomodo tam angusto temporis momento, omnes superioris vitæ noxas salubri dolore ac detestatione expiabit? & quis, vt mora non negetur, tam saluta-

salutaris tristitiæ animo perturbato stimulos subdet? Est hæc res eiusmodi quæ totum hominem exigat, quæque vix extrema vitæ periodo confici rite queat: cum animus variis vndique perturbationibus commotus, dolore, morbo, anxietate, mœrore, repentina tot malorum exspectatione, liberorum amicorumque comploratione, medicorum desperatione, inter spem & metum distrahitur atque laceratur.

III. Stultam hanc inconsiderantiã quotidie in ditioribus ac huius mundi magnatibus videmus, qui tanquam Nestoreos annos victuri tam operose necessaria longæuæ vitæ præsidia congerunt, cum interim nihil æternitati prospiciant. qui plerunque dum se cogitationum suarum culmen prope attigisse credunt, improuiso cum diuite illo euangelico euocantur, ex felici ac iucunda huius vitæ sorte, ad infelicẽ æternamq; calamitatem. Eligamus hic potius breues miserias, vt post huius vitæ terminum æternitatis gloriam adipiscamur.

IV. Beati illi qui quamque horam tanquam supremam suspectam habent, quique perituris rebus ita vtuntur, quasi singulis diebus vltimum iis vti liceret, atque eas tanquam alienas tractant, quarum ad breue tempus vsuram acceperint, quarumque

que cum repetentur, sibi rationem reddendam sciant.

v. Considera quod est inter probos ac improbos discrimen: improbi inuiti ac repugnante voluntate, ex hac vita abripiuntur; probi magno cum desiderio supremam horam opperiuntur. Illi metu & ægritudine exanimantur; hi magna animi tranquillitate ac lætitia diuina imperia exspectant. Illi nulla mortis præmeditatione admoniti, atque eo minus ad seuerum illud iudiciũ subeundũ comparati, reluctantes desperabundiq; abstrahuntur: hi longa huius necessitatis præuisione atque exspectatione ad eam præparati, ac ad rationes cum Deo subducendas instructi, pleni spe, ac fiducia, è corpore tanquam è carcere exeunt. & quamuis natura in vnoquoque mortem reformidet ac horreat, iusti tamen ac probi numinis cultores magno illam desiderio exspectant, cum votorum ipsorum hæc summa sit, vt in cœlesti patria Deo ac conditori suo coniungantur: quod nisi morte obita adipisci non possunt.

vi. Excute horum verborum sententiam, *Quæ autem parasti*, tot curis ac solicitudinibus, vigiliis, laboribus, molestiis, *cuius erunt?* Quis domus tuas superbissimo apparatu instructas possidebit? quis hortos atque

atque camporum latifundia omni florum, stirpium arborumque varietate consita? Quem tu sensum post mortem habiturus ex hæredum tuorum opulentia? quid ab his exspectabis? quem fructum, quam voluptatem accipies? locupletesne heredes, an inopes moriens reliqueris, quid ad te pertinebit, cum corpus humo obrutum computruerit, anima vero sempiternis ignibus excruciabitur? nisi quod forte tanto immaniora in inferno tolerabis supplicia, quanto copiosius fuerint à te heredes locupletati. Plerumque enim amplæ opes sine magnis sceleribus non acquiruntur. Quapropter procura tibi dum vivis, eas diuitias & facultates, quæ te morientem consequantur; quod facile conficies si continenter mortis memoriam seruaueris, cuius exspectatio omnem in te peccandi libidinem extinguet.

VII. Non est etiam efficacior ratio ad persuadendum hominibus mundi contemptum despicientiamque, quam perpetua mortis recordatio: cuius ea vis est, vt non aliter quam validæ ventorum tempestates nubeculas dispellunt, omnem diuitiarum, dignitatum voluptatumque cupiditates ex animo abigat.

VIII. Nulla est tanta vis aut potentia, quæ tam efficaciter hominem à sceleribus

possit

Digitized by Google

poſſit abſtrahere, quam inſtabilitatis, inconſtantiæque vitæ humanæ conſideratio, ac impendentis mortis continua meditatio. quæ cogitatio inſoleſcentem animum timoris freno conſtrictum à peccatis continet, efficitq; vt à ſcelere omnino abhorreat, cum videt in quantas calamitates breuiſſimo tempore vnico peccato poſſit proruere.

IX. Nullum potentius incitamentum, nullus ſtimulus vehementior ad virtutum viam prompte expediteque percurrendam, quam frequenter extremæ neceſſitatis meminiſſe. Huius enim formido, certoq; impendentis incertiſſima exſpectatio non patiuntur hominem ſecuritatis torpore langueſcere, vrgetque non mediocriter ad bene inſtitutum iter celeriter conficiendum, aduertiſſe, quam breue & incertum ſit tempus homini à Deo ad hoc iter decurrendum, conſtitutum.

X. Diabolus probe intelligens nihil eſſe quod violentius certiuſque animas ſibi è manibus extorqueat, quam mortis recordationem, nihil intentatum relinquit, quo hanc ex hominum animis omnino deleri poſſe putet. Sperat enim, imo certo ſibi perſuadet, cum hoc aſſecutus fuerit, nullo ſe negotio cetera omnia aſſecuturum, breuique huiuſmodi obliuioſos validiſſimis vitiorum

E vincu-

Digitized by Google

vinculis sibi obstringendos. Ad quæ soluenda perfringendaque viua perpetuaque mortis memoria, est potentissima.

XI. Signum inter cetera est animi non bene constituti, omnes de morte sermones moleste inuiteque audire, tristitiaque affici, cum de ea cogitationes occurrunt, & has iocis ac facetiis conquisitisque oblectamentis depellere. Nam si animo bene cum Deo conueniret, gauderet sane de morte quam frequentissime cogitare, quam sciret vnam sibi esse ad beatitudinem viam. & nisi alte nimis esset rerum fluxarum cupiditatibus immersus affixusque nimium diuitiis, honoribus, ac huiusmodi inaniis, iucundum illi esset ac suaue de morte meminisse, postquam intelligeret, se ad amplissimas, nullo vnquam tempore corrumpendas eripiendasve opes possidendas abiturum in cælum.

DIES SEPTIMVS.

De salutari mortis memoria.

I. CErto tibi persuade, non facile illum vnquam peccaturũ, cui omni tempore mors ob oculos versatur. Sicut is, quẽ perpetuo vinculis constrictũ carnifex contineret, non difficulter scelus omne vitaret, quo gladiũ aut laqueũ meriturũ se crederet.

II. Quis

II. Quis audeat dominum ſuum ac Regem ex quo ſciat omnia bona ſua, honorem, vitam, amicorum liberorumque ſalutem pendere, in negotio vllius momenti offendere, aut ab eius imperio diſcedere? aut ſi quis hoc audeat, quis eum non inſanum & amentem diceret? Quid ergo de peccatore cenſebimus, qui Dei leges infringere non veretur, ex quo tamen vita noſtra æternaque beatitudo & calamitas ſingulis temporis punctis pendeat? Vnde inſignis omnino eſt dementia, turpiſſimumq; ingrati animi vitium. vel momento vnico in ſe peccati culpam ſuſtinere, præſertim cum hoc nonniſi in conſpectu & oculis Dei fieri poſſe cognoſcamus.

III. Si quis in præcelſa turri ex fune ſuſpenſus alterius manibus à ruina ſuſtineretur, auderetne interim dum ita in alterius poteſtate eſt, conuiciis eumdem & iniuriis miniſque laceſſere? Multo hoc eſt quiuis peccator imprudentior, cuius cum ita omnis ex Dei manibus & præſentis vitæ & æternæ pendeat conditio, vt ſi vel minimum ab illo conſeruando fouendoque curam ſuam ſubduceret, continuo in præſentis & æternæ vitæ exitium proruerer; audet tamen Deum capitalibus ſceleribus offendere, mandata ipſius proterere, iterũq;, quan-

Digitized by Google

vinculis sibi obstringendos. Ad quæ soluenda perfringendaque viua perpetuaque mortis memoria, est potentissima.

XI. Signum inter cetera est animi non bene constituti, omnes de morte sermones moleste inuiteque audire. tristitiaque affici, cum de ea cogitationes occurrunt, & has iocis ac facetiis conquisitisque oblectamentis depellere. Nam si animo bene cum Deo conueniret, gauderet sane de morte quam frequentissime cogitare, quam sciret vnam sibi esse ad beatitudinem viam. & nisi alte nimis esset rerum fluxarum cupiditatibus immersus affixusque nimium diuitiis, honoribus, ac huiusmodi inaniis, iucundum illi esset ac suaue de morte meminisse, postquam intelligeret, se ad amplissimas, nullo vnquam tempore corrumpendas eripiendasve opes possidendas abiturum in cælum.

DIES SEPTIMVS.

De salutari mortis memoria.

I. CErto tibi persuade, non facile illum vmquam peccaturũ, cui omni tempore mors ob oculos versatur. Sicut is, quẽ perpetuo vinculis constrictũ carnifex contineret, non difficulter scelus omne vitaret, quo gladiũ aut laqueũ meriturũ se crederet.

II. Quis

II. Quis audeat dominum suum ac Regem ex quo sciat omnia bona sua, honorem, vitam, amicorum liberorumque salutem pendere, in negotio vllius momenti offendere, aut ab eius imperio discedere? aut si quis hoc audeat, quis eum non insanum & amentem diceret? Quid ergo de peccatore censebimus, qui Dei leges infringere non veretur, ex quo tamen vita nostra æternaque beatitudo & calamitas singulis temporis punctis pendeat? Vnde insignis omnino est dementia, turpissimumq; ingrati animi vitium, vel momento vnico in se peccati culpam sustinere, præsertim cum hoc nonnisi in conspectu & oculis Dei fieri posse cognoscamus.

III. Si quis in præcelsa turri ex fune suspensus alterius manibus à ruina sustineretur, auderetne interim dum ita in alterius potestate est, conuiciis eumdem & iniuriis minisque lacessere? Multo hoc est quouis peccator imprudentior, cuius cum ita omnis ex Dei manibus & præsentis vitæ & æternæ pendeat conditio, vt si vel minimum ab illo conseruando fouendoque curam suam subduceret, continuo in præsentis & æternæ vitæ exitium proruerer; audet tamen Deum capitalibus sceleribus offendere, mandata ipsius proterere, iterumq;, quan-

tum per ſe poteſt, eum in crucem agere ac vulneribus conficere.

IV. Non magnopere ſe fugientibus huius vitæ rebus, vt ſunt dignitates, opes, voluptates, implicari ſinet, qui aſſiduo mentem in mortis meditatione defixam habuerit. facile enim intelliget in ſimilium rerum cupiditate profundiſſimum eſſe gurgitem, ex quo qui ſemel inciderit, difficillime enatare aut ſeipſe poſſit eiicere.

V. Cupidiſſime ſe ad Deum ſanctioremque vitam recipiet, qui perpetuo ineuitabilem mortis neceſſitatem recogitabit. Nihil enim eſt quod huiuſmodi hominem à virtute & Dei cultu poſſit auocare. Ipſa virtutum pulchritudo hominem ad ſui amplexum inuitat. idem facit, multoq; vehementius, propoſita virtuti à Deo remuneratio: excitant etiam Chriſti Sanctorumque illuſtria exempla, quæ omnia ſpes vitæ longioris impedit ac retundit. Quod ſi ergo continenti mortis memoria vanam hanc fallacemque ſpem diſcuſſeris, ſimul à te omnia virtutum impedimenta amolitus fueris.

VI. Aſſidua mortis meditatione naſcuntur in animis noſtris prope citra laborem omnia virtutum decora, cunctaque vitiorum ſemina eliduntur. Quis faſtuoſus, auarus, guloſus, impudicus eſſe poterit? imo quis

quis erit non humilis, liberalis, temperans, caſtus, qui mortem in ſingula momenta exſpectat? Si cui vnus tantum ad viuendum dies datus eſſet, iſque exploratum haberet ſibi exacta luce vita excedendum, an non facile huiuſmodi tantillo tempore à ſcelere abſtineret? Imo nonne ſatageret id omne quod ad viuendum ſpatium ſupereſſet, virtutum officiis impendere? Et quis nobis vnum ad viuendum diem, imo quis vel horam addixit? Qui ergo aſſiduo ſibi perſuadet, quamlibet horam vitæ ſuæ poſtremam eſſe poſſe, iſne ſe peccatorum illecebris tantam deliniri patietur, vt æterni incendii periculo animam ſuam proſtituat.

VII. Continua mortis memoria, lætum hilaremque, contra quam plurimi credunt, animum efficit. Cum enim huiuſmodi cogitatio à nobis peccatorum contagiũ arceat, noſque ad virtutis ſtudium excitet, cui æterna ſunt à Deo præmia in cœlo propoſita; perſpicuum eſt quantis gaudiis pectus illius circumfluat, qui in ſingulos dies, in ſingulas horas, æternæ gloriæ remunerationem exſpectat.

Digitized by Google

Hebdomas tertia.

DIES PRIMVS.

In hæc verba:

Memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.

1 COGITA mortis, extremi iudicii, inferni ac cœlestis gloriæ, & horum etiam singulorum per se memoriam, tantam vim habere, ad hominum animos à scelere ad virtutem traducẽdos; vt si bene mente concipiantur, animum quantumuis immanem & barbarum, horrore percellere, & quodammodo examinare possint. Imo fieri vix posse videtur, vt qui assiduo horum memoriam animo voluat, vllo se vnquam peccato contaminet.

II. Nonne stulti plane ac dementes haberi solent, qui facultates suas vniuersas, vnico aleæ iactu exponere non verentur, ob nimiam, quæ in hoc lusus genere est, lucri ac damni incertitudinem? licet enim fieri possit

poſſit vt hi ſine iactura quæſtum ludendo faciant, quia tamen æquale ſemper eſt cum ſpe lucri, damni periculum, quicumq; prudentiores ſunt, temerarios hos aleatores inſanos, ac amentes iudicant. Quanto illi inſaniores atque amentiores iudicandi, qui cum ne horam quidem certo ſibi ad viuendum addictam habeant, non verentur capitali ſe crimine obſtringere; poſt quod tamen ignorant habiturine ſint à Deo horæ vnius, aut momenti ſpatium, quo ſe culpæ commiſſæ execratione ab æterni ſupplicii reatu expediant. Eſt ergo omnis in eo huius ſocordiæ cauſa conſtituta, quod hanc homo incertitudinem, inſtar temerarii aleatoris, non ſuis momẽtis expendat; quam ſi quanta in ſe eſt, cognitam ſatis perſpectamq; haberet, nunquam animum ad peccandum poſſet inducere.

III. Idem etiam de extremi iudicii recordatione dici poteſt. Quis fur alienis bonis manus admouere, quis latro ſicam ſtringere auderet inſpectante iudice, qui omni hora expeditus adſte ad ſupplicium confeſtim patrato ſcelere infligendum? Quam improuida ergo eorum audacia, qui cum ſciant omni hora, omniq; momento ſupremum iudicem ad ſententiam æternæ damnationis pronunciandam ſibi imminere, peccare

non metuunt? Verum non ea audacia, sed temeraria inconsiderantia est, quæ hominem in tam ancipiti negotio, cuius præsentissima discrimina non aduertit, securum oscitantemque efficit. Quis enim peccare non horreret, cui certo persuasum esset, intra horæ spatium terribilem illam irreuocabilemque de æterna sua damnatione sententiam pronunciandam esse?

IV. Idem ex recordatione suppliciorum inferni efficitur. Quis reus tanta peccandi confidentia est, qui crucem erectam, securim strictam, rogum coram succensum intuens, rem nefariam committere non timeret? Et scelus vllum animo concipere audebit is, cui omni hora æterni incendii supplicium ob oculos versatur, in quod an non eodem momento sit deturbandus ignorat? Certus enim est se, lethali crimine perpetrato, si prius quam illud debito dolore expiarit, è vita discedat, in sempiternas flammas, sine vlla euadendi spe, coniiciendum.

V. Visne perspicue cognoscere, omne flagitium ab inconsiderantia, obliuioneque earum rerum quæ ad extremum homini incumbunt, promanare? elige hominem quantumcumque ferocem ac barbarum, propone huic ob oculos seuerissimum iudicem,

dicem, immanes cruciatus, mortem denique horrendam, & vide an non à flagitiis deterrebitur. Si ergo perpetuo hæ illi res ob oculos verſarentur, prius profecto metu contabeſceret, quam ſcelus vllum deſignaret. Idem certe nobis accideret, ſi continenter mortis, iudicii, ac inferorum memoriam animo volueremus, quæ capiti noſtro omni puncto temporis impendent: imo à quibus anni vel horæ vnius interuallo abſimus, plane ignoramus.

VI. Fierine poteſt, vt is peccato ſe contaminet, qui cæleſtis regni beatitudinem continenter ſecum meditetur? qui tam immenſam, iucundam, ac nullo vnquam fine terminandam felicitatem ſemper ante oculos habeat? Peccabitne qui ſciet vna lethali culpa admiſſa, hanc ſibi omnem felicitatem eripiendam, ſeque in perpetuum à cæleſtium voluptatum fructu excludendum? Quis tam eſt amens, qui ſpe lucri aſſis vnius viginti aureorum milla periculo velit exponere? Multo hoc dementior, qui, vt perituras opes, dignitatem, voluptateſque ad breue tempus permanſuras acquirat, ſe periculo æternos theſauros voluptateſque in perpetuum amittendi exponit: quod ab eo fit, qui peccati ſe mortalis culpa obſtringere non veretur, qua commiſſa, continuo

etiam regni cælestis hereditate excidit: quã non, nisi grauissimo dolore scelus commissum expiarit, vnquam sit recuperaturus. Et quis in ipso salubrem illum dolorẽ concitabit, aut eius concipiendi spatium concedet? an non eadem hora, repentina morte posset extingui? essetne primus ipse quem talis exitus opprimeret? Quam multa millia sic periere, ac æternum sunt à Dei conspectu ablegati? quam multis adhuc millibus similis impendet exitus? Et quis te securum reddet, non te ex hoc numero vnum futurum? In tanta incertitudine adhuc peccare, non expauescis.

DIES SECVNDVS.

De iudicio particulari.

Considera.

I. SOlitudinem ibi fore ab amicis, coniuge, liberis, cognatis, clientibus, seruis. Ab iis enim tum præsidii minimum accipies, quibus nunc maxime fidis, quorumque modo commodis studiosissime inuigilas.

II. Te sic omnibus destitutum Dei Tribunali sistendum, in conspectu angelorum omnium, ac Sanctorũ, qui tamquam Christi asses-

ſtì aſſeſſores ſententiam ſimul in te damnationis cum ipſo ſunt prolaturi.

III. Cacodæmones inſtar rugientium leonum animam cingentes, inſectanteſque, mira lætitiæ ſignificatione accuſabunt, nulloque quod reum grauare poſſit prætermiſſo, etiam ab improbis ſuis ſuſpicionibus multa numquam animo concepta peccata obiicient. Optamuſne à calumniatorum iſtorum accuſationibus liberari? nihil dum hic viuimus admittamus, cuius in ſeuero hoc tribunali argui formidemus.

IV. Nec hic ſilebit Angelus tuus tutelaris frequentiam bonorum inſtinctuū, ſanctarumque commonitionum, quibus te ad virtutem ſępe traducere nequicquam conatus fuerit. Huius conſiliis dum viuis acquieſce, & habebis ipſum fideliſſimum in hoc tribunali patronum.

V. Infinitam Iudicis ſapientiam, cui nulla aſtutia fucum facere: immenſam potentiam, quam effugere nullus poteſt: incorruptam illius iuſtitiam, quam nec gratia vmquam inflectet, nec potentia perfringet: ſupremum illius in omnes iudices imperium, à quo nulla reſtat prouocatio: decreti illius immutabilitatem, quod nec refelli nec reſcindi a quoquam poterit. Compone modo ita vitam ac mores tuos, vt talis iudicis tri-

bunal non reformident; simulque iam præmeditare, quid tum maxime à te in vita factum fuisse, optabis.

VI. Seueram illam, etiam in minutissimas cogitationes inquisitionem; quas nec salubri dolore, nec sacramentorum vsurpatione, nec denique bonorum operum frequentia compensaris. Immo etiam quæ fuerit in bonorum operum exercitatione mens & intentio, disquiretur.

VII. Horribile illud in peccatores edictum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quo dicto continuo animã Deus omnino destituet, eamq; dæmonibus quibus in vita obsecuta est, in perpetuam seruitutem tradet, qui illam ad teterrima suppliciorum loca pertrahent. Quomodo miseram animam primus in horribilem illum carcerem ingressus afficiet, cum reminiscetur, quid reliquerit, & quid modo inueniat; immitem nimirum acerbissimamque carnificinam, è qua euadẽdi omnis erit in perpetuum spes præcisa.

VIII. Clementissimam de iustorum sempiterna felicitate Iudicis sententiam: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui,* qua prolata continuo angelus custos magna alacritate animam

Mat. 25.

secum

ſecum frequentiſſima aliorum angelorum corona ſtipatam ad cæleſtem regiam abducet. Quanta lætitia & voluptate perfundetur beatiſſima illa anima, cum primum pulchertimum illud amœniſſimumque cælorum domicilium intrabit? quanta cum iucunditate eam recens è tempeſtuoſo hoc mari ſecuriſſimum felicis æternitatis portum ſubeuntem excipiet omnis Sanctorum chorus, & ii præſertim quibuſcum familiarius in hac vita vixit?

IX. Confer cum iuſtorum obitu mortem impiorum, ac vtrorumque in ſuprema hac hora, in rigido hoc iudicio animi conſtitutionem. Iuſto mortem inuenies eſſe omnium ærumnarum terminum, finem voluntariorum cruciatuum, quibus ſe ipſe Dei amore afflictauit; lachrymarum, ieiuniorum, precationũ, curarum, ac formidinum modum; initium quietis, aditum æternorum gaudiorum, ſempiternæque ſecuritatis, quam nulli vnquam luctus, nulli pauores, nullæ anxietates interpellare poſſint.

Contra vero videbis improborum mortem eſſe omniũ huius vitæ gaudiorum terminum inopinum gloriæ, dignitatis, opum, voluptatum interitũ: extremorum autẽ malorum principium, aditum ad ſempiternam accuſantis conſcientiæ carnificinam,

oſtium

ostium ad nunquam finienda æternorum ignium supplicia, quæ statim à morte in teterrimo dæmonum, omniumque damnatorum consortio, inter assiduas execrationes, probra, maledicta in Deum resque omnes creatas, perpetuo sustinere incipient.

x Cogita, nihil tibi hoc tempore præsidii fore ad veniam impetrandam, in precibus, obtestationibus, lachrymis, seraque peccatorum detestatione. Quapropter, dum tempus suppetit, Deusque adhuc pœnitendi moram largitur, illi supplicemus, scelera dolore ac lachrymis abluamus, omniaque nostra studia ad vitæ correctionem conuertamus.

xi. Nihil etiam tum vlla Sanctorum nobis prodesse poterit intercessio. Horum ergo modo patrocinium imploremus, dum eorum pro nobis supplicationes à Deo exaudiri possunt: post mortem enim nullus est vltra precibus locus. Prudenter omnino rebus suis prospicere creduntur ii, qui dum fortunæ fauor earum rerum copiam suppeditat, quibus amici comparari solent, eos quamplurimos fidissimosq; sibi concilian, quorum ipsi vicissim præsidio aduersus recedentis fortunę iniurias tuti esse possint: atque è diuerso summæ illi imprudentiæ

tiæ accuſantur, qui tantum fugace ſortis fauore nituntur, vt, quaſi nihil eſſet in amicorum fidelitate præſidii, nec hos beneficiis deuincire ſtudeant, nec mutuis officiis retinere. Huiuſmodi enim, repentinis preſſi calamitatibus, defluentibuſq; iis ſubſidiis, quibus maxime confidebãt, ſero, & fruſtra eorum opem implorabunt, quos rebus ad voluntatem fluentibus, beneuolentia ſibi conciliare neglexerũt. Idem ne tibi contingat, proſpice: atque dum incerta huius vitæ proſperitas ſinit, eos amicos cõquire, quorum tibi ancipiti illa hora patrocinium poſſit ſuccurrere, quos non alibi, quam in virtute, vitaq; probe acta, inuenies. Accinge te ergo ad virtutis ſtudium, hoc amplectere dum viuis, vitamq; omnem ad illius normam compone, hæc enim eſt, quæ ceteris omnibus amicis defluentibus, ſola tibi in hoc tribunali aderit, hęc à te dęmonum impetus propellet, hęc omnes aduerſariorum tuorum criminationes refutabit. Hæc enim eſt amicorum omnium fideliſſima, quę clientem ſuum, quacumq; obſeſſum calamitate, nunquam deſtituit; omni mundi huius potentia fortior, vnicaq; inſultantium dæmonum inuicta propulſatrix.

DIES

DIES TERTIVS.

De Purgatorio.

I. CVm nemini aditus in cœlum pateat aliqua sceleris labe infecto, est locus à Deo constitutus, quem purgatorium appellamus, in quo animæ post mortem leuiorum culparum næuos eluunt, relictaque post grauiorum criminum condonationem debita acribus suppliciis compensant.

II. Meditare loci huius horrorem, in quo animæ à desideratissimo Dei conspectu relegatæ concluduntur: quod tanto animas ibi conclusas torquet acerbius, quanto illæ perfectius diuini conspectus iucunditatem intelligunt: quanto enim boni, quo carere coguntur, perfectior est cognitio, tanto etiam quæ ex illius desiderio percipitur molestia, vehementius excruciat.

III. Magnopere molestiam huius supplicii auget ardens earum mentium, quæ hoc carcere continentur, in Deum amor. quippe quanto hic feruentior est, tanto etiam ipsis est acerbius, vel breuissimo tempore à Dei conspectu arceri.

IV. Non parum etiam ad hanc molestiam doloris accedit ex eo, quod plerumque præstituti sibi ad expiationem spatij termi-

terminum ignorent: cum nihil de præſentis triſtitiæ grauitate incognitus malorum terminus poſſit dettahere.

v. Ipſam pœnarum, quibus hoc loco animæ expiantur, grauitatem expende, quæ licet temporis breuitate multum ab inferni cruciatibus diſtinguantur, nihilo tamen iis ſunt aſperitate mitiores.

vi. Cogita omnia huius vitæ tormenta, omnes corporis afflictationes & cruciatus, nullo modo cum iis doloribus quibus ibi vel vno die animæ conficiuntur, in contentionem venire poſſe. Admirare hic incredibilem diuinæ iuſtitiæ rigorem, qui eas animas, quas infinito amore complectitur, tam immanibus ſuppliciis patitur affligi, donec omnes omnino anteactæ vitæ maculæ hiſce ſuppliciis expientur. Quantum nos merito omnia ſcelera, etiam ea, quæ leuiora putantur, horrere ac fugere conuenit, cum in hoc ſupplicii loco omnia tam acerbis cruciatibus caſtigentur.

vii. Cogita longe mitiorem doloris ſenſum fore eius qui aliquot annorum luſtris igne hoc noſtro viuus vreretur, quam qui vnico tantum die purgatorii cruciatus ſuſtineret. Quam temere nos ea ſcelera perpetramus, quæ ibi multorum annorum incendio erunt expianda!

viii. Stu-

VIII. Stultitiam eorum hominum, qui ob exiguum emolumẽtum aut voluptates, aut vanam gloriolam aut diuitias in tantos ſe cruciatus abiiciunt. Quam eum excordem duceremus, qui ſarmenta & ligna, quibus exurẽdus ipſe eſſet, magno labore comportaret? Multo eorum dementior vecordia, qui cum ſciant peccata eſſe fomitem ac nutrimentum terribilis illius incendii, non omni induſtria hanc à ſe ignium materiam amoliri contendunt.

IX. Conquire ſedulo ea præſidia quæ à te hæc tormenta poſſint depellere. Huiuſmodi ſunt: vita virtutum inſtructa comitatu, mundi, rerumque caducarum deſpicientia, aſſidua de Deo diuiniſque rebus meditatio, ſibi ipſi quam minimũ indulgere, nulla delicta in ſe impunita negligere, ac Deum frequenter orare, vt ipſe clementer in nos hic temporariis pœnis animaduertat, ne ſcelerum noſtrorum punitione in alteram vitã dilata, immitibus illis purgatorii flammis expiandi deſtinemur.

X. Moueat te ad commiſerationem miſer earum animarum ſtatus, quę modo ſuppliciis excruciantur, atque ad leuandas eorum pœnas pro virili adnitere: quodque tibi in eadem miſeria conſtituto, ab aliis officium impendi optares, iis humaniter impende.

pende. Propone tibi amicum in mediis flammis deſtitutum, quem nullo tuo incommodo inde educere ſeruareq; poſſes; an non te immanem feram potius, quam hominem dicerent, qui à te in tanto cruciatu amicum negligi viderent? Vide an non idem modo in te quadret, qui eorum animos, qui dum viuerent tibi fuere coniunctiſſimi, in tam diris flammis, vnde eos minimo labore liberare poſſes, torreri patiaris. Quid? ſi tu ipſe in ardentem fornacem coniectus, flammis vndique vrerere, quid non dares? quid non ſponderes, vt ab immani hoc ſupplicio liberarere? quidquamne bonorũ tuorum tam tibi carum eſſet, quod non offerres? vllusne tam arduus difficilisque conatus, quem non adhiberes? aut forte in ignibus diutius perſiſteres, ne qua tibi deinceps momentanea voluptate eſſet carendum? Anne amicorum, parentum, liberorum, regum, dominorum gratia aut ſpe vlla caducarum opum, diuitiarum, honorum, voluptatũ, vel vnico die imo horula vna in tantis ardoribus perſiſtere, animũ induceres. Anne vt liberis tuis ac heredibus, imo vt tibi ipſe ampliſſimas facultates, omniaq; mundi regna, ac imperia, omnes in hac vita parabiles voluptates deliciaſque comparares, diem dimidiatum, imo ſemihoram tam immanes

manes pœnas subire non horreres? Quam ergo insani illi, qui vt fugacibus caducisq; reculis ad breue tempus potiantur, non modo horribiles purgatorii ignes, saltem aliquo tandem die extinguendos non reformidant, verum etiam æternorum incendiorum euidentissimum periculum declinare contemnunt. Meditare præterea quid non tentares, si in hostium tuorum potestatem redactus, ab iisdem continuo esses non in sempiternos ignes, sed in rogum, quem ad breue tempus duraturum præscires iniiciendus: quæ tum tibi tam caræ essent diuitiæ, quas non promptissime ad tantum suppliciũ à te propulsandũ profunderes? vllisne hoc in discrimine obsecrationibus, obtestationibus, lachrymis parceres, quas ad hostium animos inflectendos vtiles sperares? Quam vero sollicite caueres ne vllo pacto eorum in te indignationẽ amplius irritares.

Nunc ergo dum viuis, tantum saltem curæ industriæque impende, vt te à dirissimis purgatorii flammis expedias, quantum ad euitandos huius vitæ ignes operæ adhiberes. quodque tibi in hostium crudelissimorum potestatem redacto, ab aliis officium impendi optares, id ipsum iis, qui purgatorii carcere conclusi, sæuissimis ibi suppliciis dilaniantur, impende.

xi Me-

XI. Meditare etiam quam futuræ ſint gratæ in te animæ illæ, quæ tuo ſe præſidio miſerrimis inferorum ſedibus ereptas, ac in cælum citius quam ſperare poterant, tranſlatas, aduertent, quem pro ſua liberatione ac incolumitate laboraſſe, Deo vota feciſſe, miſericordiæ opera, aliaque pietatis exercitia obiuiſſe cognoſcent. Nam ſi in vllis vſpiam grata beneficiorum acceptorum memoria perſeueret, hanc in beatarum mentium animis indubie permanere credendum eſt.

DIES QVARTVS.

De Iudicio vniuerſali.

I. COgita tribus de cauſis vniuerſale hoc totius mundi iudicium inſtituendum: nimirum ad iuſtorum ſolatium, improborum ignominiam, & ad Chriſti gloriam omnibus hominibus manifeſtandam.

II. Prodigia futuri iudicii prænuncia, cum quidquid in vniuerſo eſt à Deo procreatum, contra eius hoſtes armabitur, omniſque natura ad iniurias vlciſcendas omnium conditori illatas, inſurget. Cum enim res creatæ omnes inſtrumenta fuerint, quibus in homines dona ſua Deus diſtribuit, eædẽ etiam ad vindictã de eorum impietate

ſumen-

famendam seruient. Tunc elementa omnia insolitis motibus agitata in hominem conspirabunt, subsident montes, valles exaggerabuntur, sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cælo, mare horribili murmure vlulabit, trepidabit tellus, imo totus mundus, quasi in tetrum chaos dissoluendus, concutietur.

Nec minus terroris mortalibus incutiet supremus ille vniuersi depopulator ignis, qui à quatuor orbis plagis erumpens, breuissimo tempore, quidquid in mundo erit, absumet. Hic est dies ille terribilis, quo illucescẽte, orbis vniuersus, quasi fornax succensa, conflagrabit: in qua improbi omnes non aliter quam paleæ & stipulæ in medio ignium absumentur. Quo te in communi hac omnium perturbatione conuertes? quo tum pauore, qua anxietate, quanta consternatione percellere, cum elementa cælum, sidera omnia luxari conuelli que conspicies? Horreamus modo, paueamusque ad omnem peccati suspicionem, atque ob incertam rerum futurarum exspectationem assidua sollicitudine prospiciamus, ne modo ea perpetremus, quę tum nobis pauoris trepidationisque causam adferre possent,

III. Ausculta tubarum clangorem, quo angeli mortuos omnes citabunt, cogentque

que ſingulos nemine excepto, in publico illo tribunali comparere. Nulli tũc te montes operient, nulla latibula occultabunt, nulla iudicio fuga ſubtrahet. Cælum, terra, mare, inferi, continuo cum terribile hoc claſſicum inſonuerit, omnes mortuos ſuos, nullo inter pauperes amplius ac locupletes, reges ac mediaſtinos diſcrimine; protrudent. Quam prudentes illi, qui vitam ſuam modo ſic inſtituunt, vt tunc nec fugam, nec latebras circumſpicere ſit neceſſe? Quam prouidi illi, qui dum hic viuunt, non in fugaci voluptate, aut honorum vanitate felicitatem ſuam, ac ſummum bonum conſtituunt? Expende curioſe omnium hac hora conditionem ac ſtatum: quam inuenies inter Principes, ac ſubditos, Reges, ac mancipia diſtinctionem? quæ tum differentia inter locupletes, potentes, formoſos, robuſtos, generoſos, eruditos, ac pauperes, miſeros, deformes, imbecilles, ignobiles, imperitos, apparebit? Sublatum ibi erit omne huius temporis diſcrimen: hoc ſolo tantum à ceteris diſtinguentur ii, quibus ampliora fortunæ, aut corporis, aut animi bona concredita fuerint, quod exactius ab his horum omnium ratio exigetur: quemadmodũ ab eo villico, cui plures agri ac fundi colendi ſunt traditi, maior domino reddenda

ratio

ratio est, quam ab eo cui minus fuit collocatum. quidquid enim hic in bonis nostris numeramus, nō alio iure possidemus, quam aliorum facultates possideant ii, qui eas administrandas dispensandasq; pacta mercede, suscepere.

IV. Contemplare mirabile illud mortuorum vbique ad vitam redeuntium, spectaculum, intuere diuersos singulorum vultus, plerosque pauidos, anxios, atque proferendæ mox sententiæ exspectatione conturbatos; alios securos, hilares, optimæ spei plenos. Attende improborum corpora, & animas, quanta se inuicem execratione detestentur, quod sibi mutuo æterni exitii causam attulerint; cum è diuerso inter beatorum animas & corpora, summa futura sit pax & lætitia, ex mutua inter eas congratulatione, quod coniunctis studiis, inuicem sibi salutis beatitudinisque comparandæ instrumenta fuerint.

V. Intuere Christum Dominum pro tribunali sedentem, circumstantibus vndique passionis ipsius insignibus; quæ vt terrorem pudoremque incutient iis, quos tanti cruciatus, à Christo illorum causa tolerati, ad virtutem excitare non potuere; ita summam animi voluptatem, lætitiamque iis adferent, quos hæc Christi supplicia, ad virtutem

æternam-

æternamque beatitudinem perduxere Conſidera ſtipatum vndique Chriſtum infinitate angelorum ac beatorum; totidemque in hoc tribunali iudices quot angelos ac beatos; coram quibus, & inſuper orbe vniuerſo ſcelera tua omnia patefient; etiam intima occultiſſimaque animi tui ſenſa, vt ex his toti mundo æquiſſimum Dei iudicium comprobari poſſit. quod vt maximam improbis ignominiam adferet, ita iuſtis omnibus maximam laudem & gloriam. Felices illi, quorum tanta vitæ ac morum hic fuerit innocentia, vt ex hac omnium arcanorum manifeſtatione, nullam erubeſcendi occaſionem metuant: qui ita ſtudia ſua cogitationeſque vniuerſas ad normam virtutis exegerint, ac ſi reipſa oculis omnium obiicerentur: imo ita circumſpecte etiam abditiſſimos. animi ſenſus conſiliaque dirigunt. quaſi continenter in Dei conſpectu (ſicuti reuera etiam fit) verſarentur.

At quis modo rege ſuo ac iudice inſpectante, auderet leges eius infringere, aut quippiam morte dignum perpetrare? audet tamen hoc peccator, quoties flagitium vllum concipit: quo perpetrato, certiſſimo ſe ſupplicij periculo exponit, non quo, vt alter, corpore tantum ad breue tempus torqueatur, ſed quo animo ac corpore, in ſempiternũ exquiſitiſſimis doloribus excarnificetur.

VI. Lugubrem illam & acerbam separationem, cum à bonis improbos angeli diriment: in qua à liberis parentes, discipuli à magistris, ab heris serui, à subditis principes, à coniugibus coniuges diuellentur. Aspice hinc miserrimum illum damnatorum cætum, inde hilarem beatorum societatem: horum faciem serenam ac hilarem, illorum vero in suprema illa ab omni bono, iustisque omnibus distractione luctuosum dirumque obtutum. Si te infelicis huius distractionis memoria conturbet, aduerte neminem tum lamentabili hac à beatis omnibus separatione plectendum, qui non prius dum viueret, morum se improbitate, ab eorum consuetudine segregarit. Quam ergo illi amentes, qui ne ab amicis, parentibus, liberis, dominis, principibus viuendi ratione discrepent, scelere se ipsis & improbitate quam simillimos esse cupiunt, quo id efficiunt, vt ab omni Sãctorũ cõsuetudine ac societate miseri æternũ separẽtur.

Quod tamen, nisi mentis aciem nimia peccatorum caligo obscuraret, magis esset quacumque rerum carissimarum iactura formidandum. Verum frequenter, proh dolor in huiusmodi deliberatione multorum impediũtur animi; quorundã quidem stolida quadam verecundia, ac pudore, dum veren-

verentur, ne ludibrio ijs ſint, quorum ipſi errorem ſaniore exemplo debuerant refellere: quorundam vero nimia perituratum rerum cupiditate, dum metuunt, ne in eo perſequendo, quod vtilius iudicant, paululum ſit ab honorum, diuitiarum ac voluptatum conſuetudine declinandum. O pernicioſam verecundiam! ò cupiditatem exitialem! quæ ne hominis cuiuſpiam gratia excidat, vt inconſtantem, fragilem, ac fumi inſtar euaneſcentem gloriam, dignitatem, opes, voluptates nanciſcatur, certiſſimum periculum adire non veretur excidendi in perpetuũ feliciſſima beatorũ Gloria & ſocietate.

VII. Perpende dæmonum criminationes, eorumque ex damnatorum calamitate, lætitiam; Chriſti exprobrationes, cum innũera nobis à ſe collata beneficia obiiciet, nos à ſe ad imaginem ſuam conditos fuiſſe, quoad viximus ſua prouidentia ſeruatos, ſacratiſſimo ſanguine redẽptos, in ſanctæ matris Eccleſiæ gremio ſacroſanctis myſterijs expiatos, educatos, corroboratos fuiſſe. Quid ſuper hæc addi potuit, quod ab eo ſit prætermiſſum?

VIII. Horribilia dãnatorũ inter ſe probra & cõuicia, vbi parẽtes liberis, fratribus fratres, amicis amici õnia mala im precabũtur; quin immo, nec à Deo ipſo æquiſſimaq; eius iuſti-

tia implacabilis damnatorum rabies maledicentiam contineb t.

IX. Percurre hæc omnia internis animæ ſenſibus Adhibe occulos, arrige aures ad ſingula horum, trepidationis horroriſque pleniſſima. Intuere iudicem pro tribunali ſedentem, truci minacique vultu, implacabilem, ſine miſericordia: diabolos inſtar famelicorum luporum, tigridumque furentium circumſtantes: reos homines, pauentes, trepidantes, vlulantes, diras ſibi inuicem imprecantes, ortus ſui diem execrantes & inter hæc quaſi niues ad ſolem, ad ignem ceræ contabeſcentes. Finge te in prææalto monte conſtitutum, ex quo terribilem huius iudicij ſcenam videre audireque poſſis: vbi nullus clementiæ, nullus miſericordiæ locus erit; ſed omnia ſummo iuris rigore decernentur: vbi omnes reges principes, monarchæ non ſecus pauore perculſi trepidabunt quam validis boreæ flatibus agitatæ arundines: aut leuis cympa tempeſtuoſiſſimis oceani fluctibus abrepta. Intuere Imperatores omnes, Principes, mortalium fortiſſimos ſapientiſſimoſque, inſtar puerorum ad ferulæ minas expalleſcentes, vlulanteſque non aliter quam in rogo, aut picea veſte ſemiuſtus latro. Et tamen hæc omnia, ludus tantum ſunt, ſi cum ipſis huius

huius diei terroribus conferantur. Optas ab his liberari, ſcelus omne deteſtare, animumque compara aduerſus omnes vitiorum inſultus, aſſidua huius diei recordatione iugique formidine earum ærumnarum, quæ hunc diem nullo vnquam fine terminandæ excipient.

DIES QVINTVS.

De damnationis decreto.

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.

I. COnſidera Deum eſſe triſtiſſimi huius decreti dictatorem, cui nemo poſſit cõtradicere aut reſiſtere: à quo nulla ad ſuperiorem iudicem prouocatio: à cuius iudicio nulla declinatio, nulla tergiuerſatio: à quo denique nulla decreti retractatio ſperari poſſit; ſed ſicut ab eo ſemel pronunciatũ fuerit, ratum ſemper fixũque permanebit; ita vt nullo vnquam temporis interuallo decreti illius vigor & auctoritas poſſit obſoleſcere.

II. Profertur hæc ſententia ab eo, qui vt nos ab æterna miſeria liberaret, tam immanes cruciatus ſuſtinuit, quorum adhuc in cor-

pore cicatrices reseruauit, ad dedecus ignominiamque perpetuam eorum qui post tantos suos labores ac supplicia, propria culpa, æternis flammis mancipabuntur.

III. Quantus ibi futurus eorum pauor, quanta trepidatio, qui tum demum videre incipient, tempus à se omne, quod fuerat virtuti pietatique impendendum, otiose inutiliterque consumptum! quantæ ibi lamentationes, quantæ querelæ ob neglectos toties repudiatosque diuinos instinctus, salubresque ad virtutem cohortationes. Cogita quomodo plerumque animo afficiantur ij, qui ob flagita sua iudicum sententia ad mortem abripiuntur, quorum etiam robustissimi fortissimique tantum sæpe tristi hac necessitate consternantur, vt animo & viribus destituti ipsa mortis exspectatione, mortem præuertisse videantur. Si tantum etiam mortalis iudicis rigor, cui solum in corpus imperium est, animum percellit; quid futurum arbitramur, cum æterni illius Iudicis triste decretum audire cogemur, quo cum corpore, immortalem animum sempiternis ignibus excruciandum addicet?

IV. Meditare quantum nobis ruborem incutiet ipse clementissimæ Dei genitricis aspectus, cuius propensam in nos beneuolentiam

Digitized by Google

ſentiam toties neglectā à nobis videbimus. Nec minus etiam pudore nos ſuffundet, innumera aſtantium angelorum multitudo, ac præcipue angeli noſtri cuſtodis præſentia; qui tum ex patrono, accuſator factus, toties ſalutares ſuas cohortationes, conſiliaque magna noſtra ſocordia repudiata fuiſſe, arguet.

v. Non mediocriter quoque conturbabit reum, eorum præſentia, qui Deum in hac vita ſancte religioſeque coluere. Inter quos nonnullos inueniet, quos ipſe in hac vita tamquam fatuos dementeſque deſpexerit. Quin etiam è diuerſo eorum quoque nos percellet conſpectus, quibus ipſi ad peccandum auctores fuerimus, aut ſocij, conſilio exemplove: hi enim tum grauiſſime improbitatem noſtram accuſabunt, diriſſimiſque execrationibus proſequentur.

vi Adhæc non leuius nos affligent aſtantium dæmonum hoſtium noſtrorum capitalium criminationes, quorum in vita conſilia, quamuis ſubdolam eorum vafritiem non ignorauerimus, ſecuti fuerimus, ſpretis ſanioribus Dei bonorumque virorum monitis: quorum tum inter beatos aſtantium conſpectus etiam magnopere nos coget erubeſcere.

vii. Expende maxime terribile Dei

contra damnatos decretum: *Ite maledicti in ignem æternum.* Item felicem illam, iucundamque proborum compellationem: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum.* singula vtriusque sententiæ verba discute, attentaque eorum meditatione, te ad virtutem prosequendam, vitiaque declinanda ac seriam vitæ morumque correctionem excita.

VIII. Sententiæ executionem contemplate, cum terra vasto hiatu subsidet, in quem damnati omnes dæmonibus permixti, æternis flammis excruciandi, cum horribili fragore ac vlulatu, inspectantibus beatis, præcipitabunt. Beati vero magna lætitia, Dei gloriam prædicantes ad superas sedes, æternum eas in summa felicitate, possessuri, euolabunt.

DIES SEXTUS.

De tristissimo damnatorum à Deo discessu.

Considera.

I. QVid sit Deus; quid ei perpetuo adesse, atque eius conspectu assiduo perfrui: vt hinc melius expendere possis, quam futu-

futurum ſit graue, atque acerbum in æternum ab eo auelli, à tanto numine, à ſummo bono, ab infinita iucunditate, ab inexplicabili illo gaudio, quo cœlum omne perfruitur. Et vt magis perſpicue intelligas, quam moleſtum ſit futurum, pro tam exiguis reculis, tantillis opibus, inaniſſimis honoribus, pro breui fœdiſſimarum voluptatum illecebra, in ſempiternum à iucundiſſimo Dei conſpectu omnibuſque cæleſtis patriæ iucunditatibus arceri? quæ tantum mortales delicias exſuperant, quantum temporarijs & caducis bonis, præſtant immortalia & ſempiterna, Finge tibi quempiam, cuius ea ſit ſtoliditas, vt pro exigua vnius diei voluptate, aut gloria, longe excellentiorem totius anni beatitatem, ac gloriam, quam ſuo arbitratu habere poſſet, negligeret. an non merito huiuſmodi hominem emotæ mentis, ac omnino fatuum duceremus? Quid ergo de ijs iudicabimus, qui in hac vita fugaciſſimarum rerum, vt ſunt mundi huius honores, pecuniæ voluptates, fructum tam auide conſectantur, licet non ignorent, futilibus hiſce voluptatulis in perpetuum ſe à iucundiſſimo Dei conſpectu, æternorumque bonorum poſſeſſione excludendos.

III Meditare quæ quantaque ſit in cælis

iucunditas, quam omnia plena lætitiæ ac voluptatis: vt hinc quoque apertius intelligas, quam futurum sit amarum ab inexplicabilibus hisce gaudiis excludi: eoque amarius quo ab hac deliciosissima sede eiecti, in locum omnium pœnarum acerbitate horribiliorem compingentur: vbi oculi perpetua teterrimorum dæmonum præsentia, aures diro blasphemiarum maledictorum ac sese execrantium fremitu atque vlulatu; nares grauissimo damnatorum corporũ fœtore; gustatus perpetua esurie ac siti, tactus continenti omnis generis tormentorum sensu cruciabitur: quos dolorum morsus non parum exasperabit, cum intelligent quantis in cœlo voluptatibus ac deliciis cumulandi fuissent, si dum viuerent saluberrimis Dei consiliis acquieuissent.

III. Considera hanc à Deo separationem tam diu tolerandam, quamdiu Deus, qui numquam deficere potest, Deus permanebit. Obserua quantum malum esse oporteat peccatum, cum huius odio, Deus, cuius natura est bonitas & misericordia, creaturam suam, quam ad effigiem suam figurauit, proprio suo sanguine, vt æternæ gloriæ participem faceret, à dæmonum imperio vindicauit, à se in omnem æternitatem abigat, atque in perpetuas inferorum pœnas

nas præcipitet: lætetur que hiſce ſupplicijs, quod hoc pacto iuſtitiæ ſuæ decreto ſatisfiat, de cuius rigida ſeueritate toties mortales admonuerat. Quam Dei lætitiam ex iuſtitiæ ſuæ exercitio natam numquam vllus commiſerationis affectus interpellat; quod tum tempus omne miſericordiæ irreuocabiliter tranſuolarit, ſoliuſque iuſtitiæ tum vices ſuperſint.

IV. Cogita quam vilibus recuſis, iucundiſſimam diuinitatis contemplationem in æternum perdiderint, atque in teterrimum cacodæmonum hoſtium ſuorum capitalium contubernium inciderint. Quanto prudentiores illi, qui expulſa omni rerum periturarum cupiditate, elegere in hac vita cum animi tranquillitate ab aliis deſpici, inopiam tolerare, contumelijs affici, in mœrore, lachrymis, ærumnis viuere, ne in æternum à beatiſſima iucundiſſimaque Dei præſentia excludantur.

V. Compara temporarias opes, mundi honores, ac voluptates, cum ſempiternis opibus, honoribus, voluptatibus, in cælo numquam finiendis: tum æterna inferorum ſupplicia, cum breuiſſimis mundi gaudijs.

VI. Expende amentiam tuam ac ſtupiditatem,

tia implacabilis damnatorum rabies maledicentiam contineb t.

IX. Percurre hæc omnia internis animæ sensibus Adhibe occulos, arrige aures ad singula horum, trepidationis horrorisque plenissima. Intuere iudicem pro tribunali sedentem, truci minacique vultu, implacabilem, sine misericordia: diabolos instar famelicorum luporum, tigridumque furentium circumstantes: reos homines, pauentes, trepidantes, vlulantes, diras sibi inuicem imprecantes, ortus sui diem execrantes& inter hæc quasi niues ad solem, ad ignem ceræ contabescentes. Finge te in præalto monte constitutum, ex quo terribilem huius iudicij scenam videre audireque possis: vbi nullus clementiæ, nullus misericordiæ locus erit; sed omnia summo iuris rigore decernentur: vbi omnes reges principes, monarchæ non secus pauore perculsi trepidabunt quam validis boreæ flatibus agitatæ arundines: aut leuis cympa tempestuosissimis oceani fluctibus abrepta. Intuere Imperatores omnes, Principes, mortalium fortissimos sapientissimosque, instar puerorum ad ferulæ minas expallescentes, vlulantesque non aliter quam in rogo, aut picea veste semiustus latro. Et tamen hæc omnia, ludus tantum sunt, si cum ipsis

huius

ſam multitudinem, diritatem, horribilem immanitatem. Hinc intolerabilem ignium ardorem: inde extremi frigoris horrorem inexplicabilem, atque in his omnem tormentorum varietatem. Intuere hic in ignibus alios ſuſpenſos, proſtratos alios, hos igne lentiore aſſari, illos feruentibus vndis elixari: ibi alios æneis fornacibus incluſos excoqui, aut in profundas igne æſtuantes lacunas congeſtos, alibi alios quaſi in igneo mari, plumbo, ferroque liquato, pice, ſulphure, ſimilibuſque flammarum nutrimentis ardenti, natantes. Obſerua hic multo maximam partem eorum, qui in mortali vita magnates, nobiles, opulenti, docti, eruditi fuere: maximam partem Imperatorum, regum, principum, eorumque qui cæteris poteſtate, ac potentia præſtiterunt: vbi hic eorum potentia, dominatus, opes, dignitates, pulchritudo, deliciæ? Intuere hic diabolos tanquam carnifices damnatis inſultantes, qui nullis pœnis ſatiantur, nulla diuturnitate mitigantur, nulla defatigatione franguntur: ſed quorum contra crudelitas, odium, rabies, fluxu temporis, continuaque pugnarũ machinatione augetur.

2. Auribus excipe, in hoc pœnarũ ſtridore, miſerabiles clãores, ſuſpiria, eiulatus, lãenta, opprobria, maledicta, execratiões amicorũ.

fra-

3. Tactum adhibe; extende manus tuas, atque in immites has flammas, in æſtuantes fornaces, in igneas voragines ingere: abiice te toto corpore in igneos iſtos liquidi ferri ac æris fluuios, in ardentia pice ac ſulphure balnea: amplectere candenti ęre conflatas tormentorum officinas, igneos bufones, ſerpentes, ſcorpiones, dracones, earum deliciarum loco, quæ te horum tormentorum reum faciunt; & meditare quam care aliquando redimenda tibi erunt ea peccata, quæ modo tam temere exigui lucri voluptatiſue cauſa committis. Quam ſit hęc dira tantilli boni compenſatio: quam horribile tam vilis mercis pretium: quam immane quam crudele pro tam breui tam exigua voluptate ſupplicium.

Hebdo-

Hebdomas quarta.

DIES PRIMVS.

De grauitate peccati mortalis.

1. PEccati mortalis indignitatem, ex ipsiusmet natura abunde intelliges, quæ in eo sita est, quod rectæ rationi semper aduersetur: nam per peccatum 1. subditus superioris sui mandata conculcat: 2. insurgit in creatorem suum creatura: 3. homo in Deum: 4. reus in iudicem: 5. seruus in dominum: 6. in medicum æger, & saucius. 7. facinorosus in reconciliantem: 8. captiuus in liberatorem: 9. mancipium in emptorem: 10. in patrem filius: 11. corpori se animus subijcit, herus famulo, ancillæ domina: 12. denique homo ad imaginem Dei efformatus, heresque æternæ gloriæ scriptus, dæmoniorum figuram induit, ac heres

Digitized by Google

hæres æternorum inferni cruciatuum conſtituitur.

II. Eius magnitudinem diſces ex Dei immenſitate, contra cuius mandatum omne ſcelus perpetratur. Ideoque infinita eius grauitas eſt; pro qua proinde nulla hominum merita ſatisfacere, aut dignum venia pretium eſſe poſſunt.

III. Ex magnitudine ſuppliciorum, quæ in omnem æternitatem mortali culpæ parata, quæ tum in æterna ſeparatione à Deo, infinitæque bonitatis priuatione, tum in dirißimis ſenſuum cruciatibus conſiſtit, Vnde liquido ſequi videtur, peccati plane infinitam malitiam exiſtere, cum eam Deus, omnis iuſtitiæ regula, duplici in æternum pæna caſtiget, qui tamen neminem ſupra culpam punire poteſt, ne in corruptæ ſuæ iuſtitiæ limites excedat.

IV. Ex quo ſtupendam hominum dementiã agnoſcere poſſumus, qui in hac vita mancipia ſe peccati conſtituunt, huic tam ſtudioſe famulantur. omneſque ſubijciendi ſe ei rationes inueſtigant, à quo tamen tam malignam obſequij mercedem accipiunt. Scimus mercedem ſtipendiumque peccati, æternos eſſe cruciatus, & tamen ab eo ne ſic quidem deſciſcimus. quod aut magnæ cœcitatis, aut ſtolidæ incredulitatis, aut maioris

quam

ſuperbia. Comites ſecum trahit 1. vanam gloriam. quæ hominem impellere ſolet, vt ſe ſuaque omnia laudet, facta ſua extollat, ea non Deo, ſed ſibi adſcribat: quæ noxa longe grauiſſima eſt, cum virtuti probiſque operibus ita permiſcetur, vt homo ea ſibi adſcribendo, in iis glorietur. 2. aliorum deſpicientiam, ſiue illi inferiores, ſeu pares, ſiue etiam nobis ſint ſuperiores. hæc aliena opera, naturæ dotes, ac ornamenta vilipendit, deſpicit, vituperat. nulliuſque virtutem, eruditionem, ingenium, ſapientiam laudat: cum interim cupidiſſime commendari, laudarique ſua omnia ab aliis deſideret, libenter de rebus ſuis loquatur, operoſe occaſiones facta ſua commemorandi captet, alienas virtutes geſtaque laude digna parce prædicet, atque cum ea ab aliis prædicantur, parum æquis auribus excipiat. quæ omnia aperta ſuperbiſſimi animi ſunt argumenta. 3. Deſiderium amplitudinis, ac mundanæ dignitatis coniunctam cum inſolenti arrogantia: quæ efficit vt ſibi homo perſuadeat, omni ſe honore dignum eſſe, ſeque geſtorum gloria, naturæ dotibus, eruditione ac ſapientia ceteris omnibus longe præſtare. 4. Simulationem ac vanam oſtentationem, quæ exterius maius virtutis ſpecimen prodere laborat, quam in ani-

mo existat, fictaque officii ac beneuolentiæ significatione, occultam animi indignationem studet obducere. 5. Pertinaciam in sententia tuenda, nimiamque in propria intelligentia confidentiam: quod cum in negotiis ad animæ salutem pertinentibus contingit, innumeris hominem molestiis implicat, plurimisque dæmonum insidiis ac fraudibus exponit. Imo plerumque eo dementię adducit, vt sua pernicacia tristem vitæ exitum sortiantur. Ex hac enim radice pessima vitiorum germina oriuntur, vt sunt, inimicitiæ, rebelliones, execrationes, bella; aliaque similia.

II. Considera vitii huius insaniam, quod hominem eo dementię adigit, vt alienis bonis sese extollat, quæ tamen ad alterius arbitrium ipsi eripi possunt. Nam quæcumque possidemus Dei sunt, qui eorum vsuram ad breue omninoque incertum tempus nobis concessit, ita vt ea singulis horis repetere, aliisque, prout libuerit, elargiri possit.

III. Præterea magis adhuc vitii huius dementia in eo elucet, quod iis bonis hominem arrogantius sese extollere doceat, de quorum dispensatione sciat seuerissime rationem à se exigendam. Omnium enim eorum quæ à Deo accepimus, vt sunt potentia,

tia, opes, dignitates, ingenium, eruditio, aliaq; naturæ aut fortunæ dona; exactiſſime eidem largitori rationes ſunt referendæ. Quæ ergo inſania eſt, iis bonis quorum manceps tantũ ac redemptor aut potius diſpenſatores, ita gloriari atque inſoleſcere, quaſi ea iure mancipii ac nexus tua eſſent.

IV. Vitii huius grauitas ex ſuppliciis, quibus illud à Deo caſtigatum ſcimus, intelligi ſatis poteſt: præſertim ex angelorum calamitate in quam inciderunt, præciſa omni in æternum ſpe, ex illa emergendi, vnica ſuperbiæ, culpa; eaque animo cogitationeque tantum concepta.

V. Eandem ſuperbiæ grauitatem etiam ex variis iiſque horrendis quorundam in hac vita punitionibus, colligere poſſumus, quos ob ſuperbiæ culpam male olim mulctatos Deus poſteris documento eſſe voluit. Inter quos fuere Nabuchodonozor, Aman, Holofernes, Nicanor, Antiochus, Herodes, quorum calamitoſa vitæ cataſtrophe omnes mortales ab hoc crimine deterrere poteſt.

VI. Quantum huius ſceleris malitia Deo diſpliceat, liquido percipi poteſt, ex propenſiſſimo eius in virtutem huic vitio contrariam affectu, cum huius amatores tam copioſis cęleſtium donorum opibus cumulet,

 teſte-

testeturque nusquam in mundo lubentius se quam in humili corde quiescere: inter cetera enim virtutum documenta quæ discipulis suis sæpe proposuit, huius solius virtutis à se exemplum peti voluit, cum ait:
Mat.11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Perpende discrimen quod est inter orationem arrogantis illius Pharisæi, & humilis Publicani, quem supplex ac humilis oratio, ex peccatore, iustum reddidit. Obserua in duobus hisce Dei iudicium, & sectare Publicani demissionem, vt cum eodem, à Deo præmium humilitati propositum, sperare possis.

VII. Meditare immanes superbis propositos in inferno cruciatus, cum in teterrimam cloacam deiecti Lucifero superborum omnium principi substernentur; tanto ibi profundius deiecti, quanto se hic altius extulerint. Perpende eorum dementiam, qui tam ardenti studio honores, dignitatumque gradus in hac vita sectantur; quorum labores tam turpi infamiq; exitu concluduntur, ignominia nimirum sempiterna. Cum è diuerso, qui generosa sui despicientia, omnibus qui viuunt submittere se contenderint, amplissimo æternæ gloriæ decore in cælis exornabuntur: recepturi pro exigua atque ad breue tempus durante abie-

ctione,

Digitized by Google

ctione, ſempiternæ dignitatis in angelorum Sanctorumque omnium conſortio remunerationem. Hoc eſt inter Dei ac mundi iudicia diſcrimen; deliberа cuius iudicio malis acquieſcere. & cuius in æternitate remunerationem exſpectare.

IIX. Inſtitue contentionem inter hominem cuius animus ſuperbia intumuit, ac eum quem vera ſui cognitio, ſui contemptum docuit. 1. Animus ſuperbia tumidus, perpetuis perturbationibus concitatur, cum numquam ita adeptis honoribus expleri poſſit, vt non aſſiduo nouis amplioribuſque inhiet. Animus vero quem Chriſtiana humilitas continet, omni perturbatione vacuus, in perpetua tranquillitate diuinæ voluntati acquieſcit.

2. Animus ſuperbus continuo odio atque inuidia cruciatur eorum, quibus dignitate ſe imparem aduertit, aſſiduaque obtrectatione, quos inferiores ſe arbitratur, ſupprimere contendit. Humilis vero animus interna ſecum pace aſſiduo fruitur, omnibus optime vult ac precatur, aliorumque proſperitate ac dignitate gaudet non ſecus ac ſua; omnes denique ſe digniores æſtimans, reueretur.

3. Animus ſuperbus omnibus inuiſus atque exoſus eſt; cum contra omnes humi-

Digitized by Google

testeturque nusquam in mundo lubentius se quam in humili corde quiescere: inter cetera enim virtutum documenta quæ discipulis suis sæpe proposuit, huius solius virtutis à se exemplum peti voluit, cum ait: Mat. 11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Perpende discrimen quod est inter orationem arrogantis illius Pharisæi, & humilis Publicani, quem supplex ac humilis oratio, ex peccatore, iustum reddidit. Obserua in duobus hisce Dei iudicium, & sectare Publicani demissionem, vt cum eodem, à Deo præmium humilitati propositum, sperare possis.

VII. Meditare immanes superbis propositos in inferno cruciatus, cum in teterrimam cloacam deiecti Lucifero superborum omnium principi substernentur; tanto ibi profundius deiecti, quanto se hic altius extulerint. Perpende eorum dementiam, qui tam ardenti studio honores, dignitatumque gradus in hac vita sectantur: quorum labores tam turpi infamiq; exitu concluduntur, ignominia nimirum sempiterna. Cum è diuerso, qui generosa sui despicientia, omnibus dũ viuunt submittere se cõtenderint, amplissimo æternæ gloriæ decore in cælis exornabuntur: recepturi pro exigua atque ad breue tempus durante abie-

ctione,

Digitized by Google

ctione, ſempiternæ dignitatis in angelorum Sanctorumque omnium conſortio remunerationem. Hoc eſt inter Dei ac mundi iudicia diſcrimen; delibera cuius iudicio malis acquieſcere, & cuius in æternitate remunerationem exſpectare.

IIX. Inſtitue contentionem inter hominem cuius animus ſuperbia intumuit, ac eum quem vera ſui cognitio, ſui contemptum docuit. 1. Animus ſuperbia tumidus, perpetuis perturbationibus concitatur, cum numquam ita adeptis honoribus expleri poſſit, vt non aſſiduo nouis amplioribuſque inhiet. Animus vero quem Christiana humilitas continet, omni perturbatione vacuus, in perpetua tranquillitate diuinæ voluntati acquieſcit.

2. Animus ſuperbus continuo odio atque inuidia cruciatur eorum, quibus dignitate ſe imparem aduertit, aſſiduaque obtrectatione, quos inferiores ſe arbitratur, ſupprimere contendit. Humilis vero animus interna ſecum pace aſſiduo fruitur, omnibus optime vult ac precatur, aliorumque proſperitate ac dignitate gaudet non ſecus ac ſua; omnes denique ſe digniores æſtimans, reueretur.

3. Animus ſuperbus omnibus inuiſus atque exoſus eſt; cum contra omnes humi-

lem diligant, & hinc est, quod humilium consuetudine ac familiaritate delectentur; arrogantium vero consortium omnes refugiant.

Remedia huic vitio.

1. Frequenter secum agitare quantopere hoc vitium Deo displiceat.

2. Perpendere molestias atque incommoda ex hoc vitio procedentia.

3. Animum suum sæpe sancta quadam superbia ad despectum contemptionemq; periturarum rerum excitare, considerata diligenter earum vilitate ac exiguitate, si cum cælestibus conferantur.

4. Omnes ad hoc cogitationes ac vires intendere, vt in cælis quam dignissimum amplissimumque virtutum præsidio locum assequamur: atque vt eximii excellenteique in hoc studio simus, contendere.

5. Assiduo esse in humilitatis exercitatione: cum hæc virtus coram Deo, qui in suis iudiciis falli nullo pacto potest, longe dignissima sit.

6. Ad omnem superbiæ instinctum, erubescere, considerata Christi tum in ortu abiectione & paupertate, qui in stabulo, in præsepio, in fœno & palea, humi inter pecudes tamquam hominum vltimus natus de-

eus decubuit, tum in morte, in qua, præterquàm quod diriſſimis tormentis excruciatus fuerit, opprobria & contumelias indigniſſimas ſuſtinuit. Erubeſce itaque quoties ſuperbia te efferri ſenſeris, quam vt deprimeret Dei Filius, non ſe tantum infra omnes homines, verum etiam infra brutas ipſas animantes, deiecit. Quapropter tecum ipſe frequens ſic age: Quis es tu, & quis Deus tuus? Tene meliorem, ſapientiorē, maioris ingenii, dignitatis, meriti haberi, quam Deum tuum deſideras? deſpiciunt te mortales? cogita, quid, vt tuam ſuperbiam expiaret Deus, pertulerit. Si Deus pro tuis flagitiis omnem contemptum, deſpicationem, contumeliam ſubierit; an non æquum, vt & tu conſtanti animo aliquid toleres, qui toties inferorum es ſupplicia promeritus?

7. Te ipſe frequenter ad ſanctæ humilitatis ſtudium huiuſmodi verbis cohortare, Repete ô anime, tecum omnem anteactæ vitæ memoriam, inſpice omnia tua flagitia, quibus toties ſempiterna incendia meruiſti: conſidera tuam in DEVM creatorem, liberatoremq; tuum ingratitudinem, vitæ præſentis inſtabilitatem, iudicii diuini impendentis rigorem, cruciatuum æternorum, in quos forſan hodie, imo etiam

hac ipsa hora præceps rues, immanitatem. Et quæ tibi in tam præcipiti ac lubrico loco constituto tantis malis impendentibus, superbiæ occasio? Quid est quod ad fastum instigare possit hominem, qui iam securi ceruices subiecit, cui lictor laqueum innexuit, quem rogo impositum, flammæ circumstrepunt?

8. Quoties obortis cogitationibus animum efferri senseris, continuo te huiusmodi oratione ad submissionem excita: Quis tu, qui te aliis præferre gestis? an non omnes tecum sunt ab eodem conditore ac parente Deo animæ procreatæ? non ex eodem omnium corpora luto efficta? non eodem sacratissimi sanguinis pretio, omnes in libertatem à Deo asserti? Maiori es quam alii ingenio, eruditione, dignitate, amplioribus fortunis, genere, clientelis? nihil in his ad beatam vitam consequendam præsidii, nec horum quisquam commendatione apud Deum maior aut gratiosior. Non es certe maior, aut dignior quam apud æquum illum rerum omnium æstimatorem Deum habearis. quid ergo inani iactantia extolleris? quem tu despicis & aspernatis, est is forsitan Dei iudicio centies quam tu dignior. Non sunt hominum merita humani iudicii trutina examinanda; sed exactissima diuinæ mentis

mentis ſtatera quæ fraude nulla decipi poteſt; nec ipſa decipere. Hæc enim vera eſt omnis dignitatis menſura. Et quis tibi indicabit quo ſis apud Deum loco? Inſpice in ſinum tuum, & ſcrutare quam altas ibi radices egerit humilitas: quanti te ipſe æſtimes, quam te libenter omnibus ſubmittas, te ipſum, non ficta ſimulatione, verum ex animi ſententia, cunctis viliorem ducendo. nam Dei iudicia noſtrum de propria vilitate & abiectione iudicium ſequi ſolent: ita vt is Dei ſit æſtimatione maior ac dignior, qui ſibi propria opinione abiectior viliorque.

DIES TERTIVS.

De auaritia.

I. PErpende vitii huius grauitatẽ, quod ab idolorum cultu non multum abeſt: cum tam immoderata eos, quos inuaſit, opum cupiditate incendat, vt eas Dei loco habere videantur. Quæ vecordia tam eſt in hoc vitio pertinax; vt cum cetera in homine peccata ingraueſcente ætate ſeneſcant, & morborum doloribus debilitentur, hoc vnum & ſenio augeri, & imbecillitate corporis corroborari videatur.

II. Varias vitii huius inſanias conſidera.

quarum 1. est, quod auarum cogat noctes diesque laborando conterere, vt ea bona conquirat, quæ nunquam forte, aut breuissimo tantum spatio est possessurus. 2. Quod hæc bona tam ardenter auarus sitiat, tamque fidenter possideat, quasi ea æternum esset possessurus: cum ne horulam quidem ea se certo seruaturum sciat quotidianisque exemplis assiduo commoneatur, se, vbi vita excesserit (quod singulis diebus, imo singulis horis accidere potest) ne hilum quidem ex iis asportaturum. 3. Quod ea bona tam cupide appeti faciat, quorum fructum frequentissimis ac molestissimis sollicitudinibus angoribusque elidi aduertimus. Coniice oculos in auarum, & considera curas illius & labores, quibus in diuitiarum accumulatione se affligit, anxietatem qua premitur vt eas secure possideat: summam in earum vsu timiditatē, vt& multa naturę necessaria subtrahat, aut maligne suppeditet: denique consternationem eius ad omnem iacturæ suspicionem. Ex quibus facile intelliges, quam continuis auarus perturbationibus excrucietur. 4. Auaritiæ insania est, quod auarus has omnes curas & molestias, aliorum causa subeat. cum enim ipse sibi partorum bonorum fructum neget, ea necessario ad aliorum

liorum manus deuoluuntur, qui plerumque non modo gratiam ei à quo locupletati sunt non referunt, sed ne habent quidem: imo sæpe nec memoriam beneficii retinent, tantum abest vt vlla vota pro defuncti expiatione concipiant: tantaque nonnunquam est horum inhumanitas, vt ipsum opimæ hæreditatis fontem testatoris, nempe frugalitatem salsis dicteriis perstringant: ex qua plenis, quod aiunt, situlis egerunt, quod guttatim fuerat ab ipso collectum.

III Considera supplicia quibus plerumque auari conficiuntur, quorum vbique obuia sunt exempla. Giesi cum Naamani opibus, quas auare appetierat, eius lepram in se totamque posteritatem perpetuo supplicio propagauit. Ananias & Saphira repentino exitio impiam cupiditatem expiarunt: Iudas laqueo vitam sibi interclusit: sceleratam Iezabelem auaritia canibus laniandam obiecit.

IV. Quantum hoc vitium à Dei benignitate distet, perspicue ex quotidiana eius munificentia intelligere possumus, quæ nos continua donorum suorum largitione ad liberalitatem inuitat, vt merito dicere possimus, hoc quemque ad Deum, qui liberalissimus est, propius accedere, quo

est liberalior; quo vero auarior, hoc ab eo longius recedere.

v. Confer cum auaro homine, munificum ac liberalem.

1. Est omnibus amicus, iucundus, ac charus homo liberalis; cum auarum omnes oderint atque detestentur.

2. Gaudet quisque consuetudine ac familiaritate hominis munifici & liberalis, fugiunt contra omnes auarum atque execrantur.

3. Omnium ore laudatur liberalis, de auaro nemo bene loquitur.

4. Si quæ liberalem afflixerit calamitas, eius calamitate omnes commouentur: at si quid sinistri auaro obuenerit, applaudunt omnes, infelicitatique eius lætabundi insultant.

Remedia huic vitio.

1. Vitæ humanæ inconstantiam ac fragilitatem, mortisque impendentis ineuitabilem necessitatem assiduo recogitare.

2. Continenti meditatione reuoluere ea quæ post mortem exspectanda, quæ opes, quæ diuitiæ sperandæ.

3. Cogitare quis tibi sit post hanc vitam, pro tam anxia parsimonia gratiam habiturus: quo intellecto, eos, dum viuis, facultatum

tatum tuarum participes effice, qui tum ſint quam cumulatiſſime gratiam relaturi.

4. Quam gratiam aut compenſationem ab heredibus, poſt mortem ſperare poſſis. quam cum aut nullam, aut exiguam prorſus, ac inanem futuram intellexeris, eos bonorum tuorum heredes inſtitue, à quibus & gratiam & remunerationem exſpectare poſſis.

5. Perpendere cui opes tuas recondas, & quem fructum voluptatemque poſt mortem ex amplis heredũ facultatibus ſis percepturus; præſertim cum eas prodige, vt fieri ſolet, dilapidabunt, quas tantis laboribus ac moleſtiis corraſeras.

6. Inſanam hanc periturorum bonorum auiditatem, in cæleſtium diuitiarum deſiderium ac famem commuta: atque fluxis hiſce fallacibuſque facultatibus cæleſtes æternaſque opes coeme, nec prius quam eas tibi comparaTis, quietem tibi indulgeas.

7. Frequenter apud te conſidera, quam vbique gratus ſit acceptuſque homo animo liberali ac munifico, quantumque omnium ore prædicetur: cum contra auarus omnibus vbique inuiſus & exoſus deſpiciatur.

DIES

DIES QVARTVS.

De luxuria.

I. PEccati huius grauitatem cognoſcere potes ex eius turpitudine, procacitate, impuritate, brutaque impudentia. Verſatur huius vitii turpitudo in cogitationibus, ſermonibus, auſcultatione, aſpectu, operibuſque aut ex ſe laſciuis ac impuris, aut ad laſciuiam impuritatemq; tendentibus.

II. Ex conſuetis ſceleris huius punitionibus, quarum iſta interior eſt, nimirum rationis ac mentis excæcatio. Tanta enim plerumq; caligine eorum animi inuoluuntur, qui fœdis huius flagitii voluptatibus capti ſunt; vt præ illis honorem, famam, facultates, parentes, amicos, coniugem, liberos, Deum etiam ipſum negligant, & obliuiſcantur, atque æternos etiam inferorum cruciatus contemnant, modo fœdiſſimis voluptatibus libidinem ſuam explere poſſint.

III. Ex ſuppliciis exterius à Deo turpitudinis huius amatoribus olim illatis: ex Sodomitarum, Gomorrhæorumque exitio, quos cum coniugibus, liberis, pecudibus, armentis, domibus, vrbibus omnibuſque facultatibus terra vaſto hiatu diſcedens, abſumpſit. Item ex Iſraelitarum clade, quorum

Digitized by Google

rum ſupra viginti tria millia violenta morte periere, quod cum Moabiticis mulieribus hoc ſe flagitio contaminaſſent.

IV. Ex multiplici peccatorum ſegete, quę ab huius ſceleris radice germinat. quod pluribus exemplis commonſtrari poteſt. In Dauide viro, vt ſacræ Litteræ loquuntur, *ſecundum cor Dei*, hoc ſcelere, tanquam noxio ſemine concepto, continuo nouum crudelitatis germen in caput innocentis Vriæ pullulauit; Salomonem ſapientium omnium ſapientiſſimum maleſuada libido ad ſimulachrorum venerationem adduxit: inuictus Sampſon Dalilæ blanditiis faſcinatus in hoſtium poteſtatē adductus, detonſa cæſarie, priſtinū robur perdidit, ac ſibi tandem mortis cauſam attulit. Similia vbiq; laſciuorum exitia in hiſtoriarum monumentis reperire eſt. Quod ſi ergo & Sampſon quo nemo robuſtior, & Dauid quo nullus ſanctior, & Salomon quo nullus ſapiētior, huius flagitii conſuetudine, in alia tot ſcelera abrepti fuerint, quid nobis futurum credimus, qui cum his nec robore, nec ſanctitate, nec ſapientia comparari poſſumus?

V. Quantum vitii huius fœditas à Deo diſſideat, ex eo perſpici poteſt; quod Deus ſit caſtitas ipſa atque puritas. Si ergo infinito ſe amore Deus ipſe diligat; etiam

ipſam

ipsam castitatem eadem amoris infinitate amet necesse est. vnde & hoc cõsequens est. infinitum esse Dei aduersus omnem impudicitiam odium, eoque esse infestiorem omnis impuritatis hostem, quanto est ardentior castitatis amator.

VI. Confer huius vitiositatis turpitudinem cum castimoniæ nitore.

1. Libido densissimas rationi ac menti tenebras offundit, castitas animum noua luce collustrat.

2. Libido vires ac valetudinem affligit, & fœda sæpe ac horrenda lue corpora exedit, atque non raro præstitutum à natura vitæ terminum immatura morte præuertit; castitas vero valetudinis integritatem tuetur, vires confirmat, vitamque ad præfinitum diem incolumem conseruat.

3. Libido hominem in obscœnarum voluptatum prosecutione, mille periculis obiicit; castitas ab huiusmodi casibus amatorem suum subducit.

4. Cælestis ac diuina res est castitas, quæ hominem Deo, angelis ac beatis vniuersis simillimum efficit, qui omnes castitatis sunt amatores. In cælo enim nullus impuritati locus inuenitur. Quam fœdum ergo monstrum esse impurissimam libidinem putabimus, cui in tam ampla cælorum regione nul-

hc nullus in perpetuum locus concedetur?

Remedia huic vitio.

Horum præsentissima sunt:

1. In victu, & cultu corporis asperitas ac rigor.
2. Frequentes ad Deum preces.
3. Sedula occasionum deuitatio.
4. Vigilans circumspectaq; sensuum externorum, oculorum, aurium, manuum custodia, fugaq; omnium earum rerum, quibus aliqua inhonestatis suspicio permixta est.
5. Personarum alterius sexus consuetudinem, familiaritatem, præsentiam, productioraque cum iis colloquia studiosissime declinare, etiam ea quæ pietatis discendæ sanctiorisque instituionis specie suscepta, minus putantur habere periculi.
6. Matura vultus ac morum conformatione, grauitatem præ se ferre: abstinere à verborum blanditiis, arrisionibus, nutibus, omnique huiusmodi agendi libertate: nec hanc seueritatem vlla de causa vlliusve gratia vnquam relaxare.
7. Resecare omnem animi affectionem propensionemque ad omnes cuiuscumque status, sexus aut conditionis homines, siue ii in

ii in communi vita versentur, siue in seuerioti Deo dicati viuant:ita vt omnem nimis liberam familiaritatem, etiam eorum, qui eiusdem nobiscum sunt conditionis, sexusque, quacumque demum ratione contractam, rescindamus, ineundamque declinemus: nosque aduersus omnes noxiæ consuetudinis illecebras armemus, magna circumspectione, matura morum compositione, pudicaque vultus, & corporis conformatione. Est etiam non parum periculosa, quæcumque non necessaria, circa proprium corpus licentia; quapropter, hæc sola necessitatis lege vsurpanda est.

8. Sedula cogitationum refrenatio ac sollicita imaginatiuæ facultatis custodia, ita vt ne minimam quidem quæ ad libidinem spectare possit imaginem ad animum penetrare patiamur. nam maximum hinc periculum castitati: cum nullum sit vehementius cuiusq; imaginatione ad libidinem incitamentum, cuius maximum est in hominis corpus dominium. Quippe quæ pro sua impulsione concitatis diuersimode humoribus, diuersis illud affectionibus agitet. Et ob hanc causam cautissime omnia rerum impudicarum simulachra, animo tamquam pestes castitati perniciosissimæ, excludenda sunt, nec quacumque demum hone-

honeſtatis ſpecie tecta admittenda, ne quidem vt de te ipſe his contemnendis victoriam reportes: nam licet ea luxuriæ ſit fœditas, vt ipſa viuis imaginibus menti obiecta, nauſeam ſui faſtidiumque concitare poſſit; huiuſmodi tamen imaginũ in mente efformatio, animum ad ſimiles impurarum rerum ſpecies ſibi obiiciendas promptiorem̃ propenſioremque reddit: vnde efficitur vt phantaſia facile, crebro ac improuiſo huiuſmodi viſis impellatur, voluntatemque ad ea proſequenda, tanto vehementius illiciat, quanto ea fuere ante, animo his obluctanti, obiecta viuacius. Quod non niſi periculoſiſſimum caſtoque pectori moleſtiſſimum eſſe poteſt. Quare tutiſſimum contra huiuſmodi impurarum cogitationum inſultus præſidium eſt, continuo ab his mentem ad alia, etiam ad negotia familiaria, occupationeſque ciuiles detorquere, hiſque conſtanter ac magna attentione inhærere, donec omnes ex animo libidinoſarum commotionum impulſiones euanuerint.

9. Viua attentaque Dei vbique præſentis conſideratio contemplatioque, qui capitalis eſt omnis impudicitiæ hoſtis, dicendo cum Suſanna: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam* Dan. 3.
pecca-

peccare in conspectu Domini. Quod si nullius sit tam proiecta audacia impudentiaq; , qui in hoc flagitio non omnium, etiam maxime familiarium, fidorumque, & præcipue parentum, superiorum, aut iudicum oculos exhorreat, cogente naturali quadam ingenuitate, ac verecundia, quæ nunquam omnino opprimi aut exstirpari potest; quomodo non multo operosius in eodem flagitio diuinam conscientiam præsentiamque, qui eam animo semper contemplaretur, exhorreb...? quam cum nulla ratione effugere nos posse, ob intimam continuamque Dei in omni loco præsentiam, sciamus; quo pacto in animum inducere poterimus, vt vel leuissima rationis cõniuentia, tanta nos turpitudine in conspectu & oculis Dei commaculemus?

10 Ad hoc etiam multum conferet amplissimæ remunerationis recordatio, quam Deus iis qui eius amore mentem corpusque ab omni libidinis labe intactum in vita tuentur, solet rependere. Horum enim animis Deus ipse pro mortalis coniugis solatio, suauissimam suam atque castissimam cõsuetudinem offert, ac perpetuo se iis sanctioris connubii fœdere obstringens, (vt castissimæ Agnetis testimonio constat) longe eos amplioribus mentis gaudiis, placidio-

cidioreque animi pace & voluptate demulcet, quam suos sectatores mundus, omnibus libidinum illecebris, vilissimisque corporis voluptatibus, quæ cum feris homini communes, oblectare possit. vt enim anima præstantior est quam corpus, sic & eius voluptates sunt omnibus longe corporum voluptatibus præstantiores.

Quam illi felices ac beati, qui eam à natura corporis constitutionem nacti sunt, vt ad castitatem per se propendeant, quos nulli libidinum stimuli fodicent, nullæ fœdarum rerum imagines commoueant, nec vllus immodicus corporis feruor ad intemperantiam inflammet! Quamuis enim diuinæ gratiæ præsidia longe omnem naturæ bonitatem excedant; est tamen non leue etiam hæc ipsa naturæ benignitas ad castitatem adiumentum, à Deo quibusdam singulari fauore collata.

DIES QVINTVS.

De odio & inuidia.

1. PErpende vitij huius deformitatem, quod à dæmonis impietate originem traxit. qui cum homini beatissimam Paradisi sedem inuideret, omnes admouit machinas, vt eum ad Dei mandatum infringendum pertraheret, atq; hoc pacto amœnissima

niſſima paradiſi habitatione indignum redderet. Qui ſe ergo hac vitii labe infectos norunt, conïiciant, quantum Deo diſpliceat eam in hominibus peruerſitatem inueniri, quæ imitetur diram illam diaboli malignitatem, qua primos generis humani progenitores in ſcelus impulit, cuius adhuc ſupplicium quotidie omnes ſubire cogimur.

II. Vitii huius perturbationem. Inuidi enim animum perpetuo acerbiſſimarum cogitationum tumultus exagitant, aſſidui ægritudinum morſus laniant, qui ſe ipſe conficit, dum alterius felicitate non minus quam ſuis miſeriis torquetur. quod contingere ſolet. 1. dum fortunarum alterius liuido oculo incrementa contemplatur. 2. dum alterius ſcientiam, eruditionem, naturæque ornamenta conſiderat: nonnumquam etiam conſpecto felici aliorum in virtute progreſſu, quod inuidentiæ genus turpiſſimum, maximeque perniciosum, ac dæmonum inſaniæ ſimillimum eſt.

III. Nullum eſſe ſcelus tam immane, quod non ab homine odio ac inuidia inflammato, perpetretur, vt inſanæ ſuæ libidini alterius malo & iniuria ſatisfaciat.

IV. Repugnare hoc peccatum maxime fraer-

fraterno amori ac beneuolentiæ, quam tantopere Deus hominibus commendauit. quæ quanto est excellentior, Deoque gratior, eo etiam huic oppositum vitium Deo magis inuisum, ac diuinæ eius bonitati magis detestabile atque execrandum.

v. Malitiam etiam huius sceleris colligere possumus ex suppliciis in huius culpæ reos à Deo irrogatis. quorum luculenta exempla sunt Core, Dathan, & Abiron, quos in Moysen & Aaronem, inuidentiæ dolor concitauit: Saul, quem in Dauidem similis furor armauit: Filii Iacob, quos in fratrem Iosephum eadem rabies accendit: denique Iudæorum Principes, qui contra Christum inuidia furentes, eundem ad turpissimam crudelissimamque mortem adegere. Intuere modo in horum supplicio inuidiæ atrocitatem. Core, Dathan, Abiron cum sociis, coniugibus, liberis, iumentis omnique suppellectile, inspectante populo, repentino terræ hiatu, viuentes ad inferos delapsi sunt. Saul regno & vita miserabiliter excidit. Iosephi fratres diu multumque pauore & anxietate exanimati inuidentiæ suæ pœnas dedere. Iudæi toto orbe dissipati, vbique exules, adhuc indies amarissimos huius impie-

impietatis suæ fructus metunt; omnium gentium iudicio tamquam humani generis fæces & quisquiliæ contempti.

VI. Meditare quæ inuidos apud inferos tormenta maneant: quanto ibi maiore odio inuidiaque contabescent, cum videbunt quam diuinis bonis sua culpa exciderint, quamque excellentia alii facillimo negotio parta, possideant: quæ quanto ampliora augustioraq; esse conspicient, tanto eorum animos crudelius inuidiæ laniena torquebit.

Remedia huic vitio.

1. Deum in quolibet homine tanquam in opere suo intueri.

2. Vnumquemque ex diuinæ legis præscripto amare, idque propter Deum, qui hoc ipsum tam seuere mandauit.

3. Vnicuique omne bonum omnemque prosperitatem, non secus ac sibi optare: cuiusque item felicitati congratulari, ac alterius miseriis, non minus quam suis commoueri.

DIES SEXTVS.

De gulæ vitio.

I. PEccati huius magnitudo in eo potissimum consistit, quod supra cetera vitia, hominem belluis maxime similem efficiat,

Digitized by Google

efficiat, omnem illi rationis ac intelligentiæ vsum ita impediendo; vt inter hominem multo cibo & potione oppletum ac pecudem, præter externam corporis figuram, vix quidquam interesse videatur.

II. Hoc vitium illud est, cuius se labe primi parentes nostri Adamus & Eua, infecere. quo primigenia innocentia perdita; beatissima paradisi possessione, omnique felicitate excidere. Gustato enim damnatæ arboris pomo cum eo omnis calamitatis ac miseriæ pestem intra viscera recepere, quæ non eos solum, sed omnem eorum stirpem peruasit: ita vt quotquot ab Adamo & Eua orti in hanc lucem prodeunt, omnes lethifera huius vitii tabe sint infecti, omnes DEI hostes ac æternæ miseriæ sint addicti. Hocne grauius vllum aut horribilius malum excogitari posset.

III. Hoc etiam peccatum illud est, propter quod olim Deus Israelitas in solitudine seuerissime afflixit, cum vna strage multa ex eis millia occidit.

IV. Pondus item huius peccati colligere possumus, ex multorum regnorum prouinciarumque calamitate, quæ pæne omnia huius intemperantiæ vitio labefactata corruerunt. Plurimi etiam reges

ac principes, eodem vitio eneruati, infelici exitu vitam conclusere, quorum plerique in hostium suorum potestatem redacti, ludibrio ac despectui omnibus fuere. Talia experti sunt Babylonius ille Baltassar, Holofernes, aliique pæne innumerabiles, qui in crapula & ebrietate obtruncati periere.

V Quantopere vero displiceat, omnium moderatori Deo, immoderata hæc cibi potusque ingluuies, ex eo coniicere possumus, quod illa pulcherrimam DEI imaginem ita deformet ac fœdet; vt nulla prioris dignitatis in ea species appareat. Si quempiam videres elegantissimam regis sui effigiem, iniuriosa manu commaculantem fœdantemque, an non eiusmodi homini præmii loco turpissimam mortem exspectandam duceres. Multo est in Deum iniuriosior; qui viuentem illius imaginem intemperata victus potusque ratione commaculat atque obruit.

VI. Horribile huius luxus puniti exemplum referunt sacræ Literæ, nempe diuitem illum Epulonem, qui post vitam laute exquisitissimis epulis actam, in infernum deiectus, atque ibi dirissimis ignium ardoribus ambustus, supplici ac lamentabili prece vnam aquæ guttulam refrigerandæ

linguæ

Digitized by Google

linguæ ab Abrahamo mendicans, ne tantillum quidem impetrauit; & hactenus in iiſdem flammarum incendiis conſtitutus ſupplicat, nec auditur: ſicque æternum immanes illos ignium cruciatus abſque omni ſolatii ſpe cogetur ſuſtinere. Quis non amentem eum, omninoque excordem duceret, qui vnico vini hauſtu ampliſſimas facultates venales proponeret? Multo profecto amentiores illi, qui immodica cibi potioniſque cupiditate cælum vendunt, æternaque ſibi inferorum ſupplicia comparant.

VII. Confer cum ſobrietate gulæ vitium.

1. quicumque intemperanter gulæ ſeruiunt, ii plerumque brutis ſunt, quam hominibus ſimiliores, ſobrius ſemper vt hominem decet, mentis & rationis eſt compos.

2. Omnis guloſorum cogitatio eſt de corpore cibo potuque farciendo; ſobrii hoc ſolum curant, vt naturæ neceſſitati ſeruiant.

3. Intemperans multis plerumque infirmitatibus debilitatur; contra ſobrii temperantia valetudinem vireſque confirmant.

4. Riſui ludibrioque omnium ingluuies illa ventris expoſita eſt; contra ſobrietas omnium ore laudatur.

5. Gulæ vitium inſcitiæ ſtupiditatiſque

mater eſt; ſobrietas contra vera ſapientiæ ac ſcientiæ, omniumque ingenuarum artium, procreatrix ac altrix eſt.

6. Sobrios Deus plerumque longe ſuauiori interius dulcedine ac voluptate perfundere ſolet, quam ii qui ventri ac gutturi dediti ſunt, in vllis ciborum cupediis poſſint inuenire.

Remedia huic vitio.

1. Sæpe ſecum perpendere incommoda, ac damna, quæ ex hoc vitio, in alios, aut etiam in nos ipſos deriuata, meminimus.

2. Quantopere cordati omnes huic vitio deditos ridere, contemnere, atque faſtidire ſoleant.

3. Fortunarum naufragia, certamque inopiam, quæ tandem extrema helluonum cataſtrophe.

4. Corporis inualetudinem, rationis perturbationem, memoriæ ſtuporem, ac denique ad omnia grauioris momenti negotia, ineptitudinem.

5. Certam ſibi edendi bibendique menſuram præfigere.

6. Eos ſocios ac loca declinare, quorum conſuetudine nos ad hoc vitium ſæpius pertractos meminimus.

7. Certam ſibi, ſua ſponte, multam indi-

cere

cere persoluendam, quoties hoc iterum vitio peccare contigerit.

DIES SEPTIMVS.

De ira & acedia.

I. IRæ malitiam cognoscere potes, ex eo, quod ita hominem perturbet, vt de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente exisse videatur: idque eo vehementius, quo feruentius ipsa excanduerit: liquido namque apparet, eum quem ira succenderit, quantumcumque alias sapiens ac prouidus sit, magis insanire ac furere, quam sana mente esse.

II. Perniciosissima scelera plerumque ab iracundiæ radice existunt, quod obuia vbique in omnibus historicorum monumentis exempla confirmant. Ex hac non raro nascuntur, 1. continua perpetuaque in proximum odia. 2. Vindictæ insana quædam cupiditas ac libido. 3 Maleuola gaudensque alienis malis voluntas. 4. Murmurationes, malorum imprecationes, obtrectationes, maledictiones. 5 Inimicitiæ, cædes, bella, & quidquid demum mali, bellum comitatur. 6. diuitiarum, honoris, famæ, vitæ denique iactura.

III. Acediæ ac pigritiæ mala satis perspicue indicat ipse Deus, cum ait: *Vtinam*

omnino deiicit, atque ad desperationem adigit.

Remedia hisce vitiis.

1. Iræ impetus facile eliditur, si tantisper, is qui se ira commoueri sentit, dicere quidquam, aut facere differat, donec ipse se colligat: atque ad hoc faciendum se adigat, indicta sibi, multæ loco, aut afflictatione corporis, aut stipis in pauperes erogatione, aut longiore precatione, quoties se in hoc vitium prolapsum aduerterit.

2. Quam primũ quis iracundia se inflammari sentit, subducat se ab hominum congressu, & tantisper donec animus deferbuerit, in locum se solum ad precandum Deum recipiat.

3. Sæpe recogitet damna, quæ iram consequ solent, & horum consideratione, ad animi mansuetudinem sese excitet.

4 Nemini, ne subditis quidem, aut liberis pœnam vllam infligat, quamdiu perdurat hæc animi perturbatio.

5. Frequenter etiam perpendat, quanta ex animi moderatione bona proueniant. 1. Magnam hæc animi tranquillitatem, vitæque iucunditatem efficit. 2. Omnibus cara acceptaque est, eorumque qui hac præditi sunt, cõgressum omnes expetunt. 3. Sua

comitato grauissima damna, simultates, inimicitias, lites, cædes, bella è medio tollit, & pro his pacem, cōcordiam, amicitiam conciliat. 4 Constans animi mansuetudo, cum omnium admiratione, tanquam iucundissimum naturæ miraculum celebratur: cui rei congruit præclara illa Sapientis
Prou.16. sententia: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

6. Socordiæ pigritiæque vitium expugnandum est, consideratione alienæ industriæ, eorumque exemplis, qui minoribus instructi naturæ dotibus, magnas res aggredi non verentur, ac nihil obstantium difficultatum, molestiarumque impedimentis territi, animose ac fortiter ad virtutem progrediuntur, excitando in se ex horum aspectu æmulationem, & sanctam (vt sic dicam) inuidiam, quæ animos languentes ad generositatem exstimulet, omnemque pigritiam tanquam inertem animi somnum, discutiat.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONES AD PECCATORVM DETESTATIONEM EXCITANTES.

I.

MVltiplicatæ ſunt iniquitates meæ, ſuper numerum arenæ, quæ eſt in littore maris, & ſuper ſtellas cœli, ac guttas maris: nec eſt requies vlla animæ meæ, iacet illa peccatorum oceano immerſa atque obruta, obriguit tamquam rupes in medio aquarum, quam nulli diuinæ clementiæ fluctus frangere, aut conuellere poſſunt. Ad omnes è cælo labentes imbres obduruit. Iacet profundiſſimis terræ ſpeluncis abdita, in quas nullus ſtellarum, nullus lunæ, aut ſolis fulgor penetrare poſſit: latet in fœtidiſſimo lacu, quem nullus vmquam cæleſtis auræ ſpiritus perflat. Quis infelicem hanc animam oculis miſerentibus reſpiciet? quis liberabit? quis eripiet? niſi tu Deus ſolus, potentiſſima miſericordiæ tuæ manu, quam tam benigne

Google

peccatrici Magdalenæ, perduelli Saulo, atque felici illi latroni in cruce obtuliſti? Transfige me, ô benigniſſime Domine, iiſdem benignitatis tuæ telis. adige timoris tui clauos, per impauidum infelicis animæ pectus: pertunde charitatis tuæ cuſpide cor meum, contere ſinceræ pœnitudinis malleo, mentem vitiorum frigore glaciatam: vt deinceps exacta mandatorum tuorum obſeruatione, te venerer, te laudem Domine Deus meus in omnem æternitatem, Amen.

II.

O Infauſtum illum diem, quo te Dominum Deum meum animæ meæ conſolatorem, ac vnicum ſaluatorem dereliqui! cum te ſcelerũ meorum malignitate ad iram prouocaui! ô infelicem horam, quæ mihi cælum interclufit beatam animæ hereditatem decoxit, inferni carnificibus in ſeruitutem tradidit: quæ me cœli exulem, inferni ciuem, Dei iuratum hoſtem, ac dæmonum amicum effecit: quæ mihi ſempiternæ gloriæ ac cæleſtis beatitatis ius eripuit, & calamitati numquam finiendæ, obnoxium reddidit! Quis mihi tantis ærumnis mea culpa, meo ſcelere, oppreſſo auxilium feret, niſi tu Deus meus, auxiliator meus,

meus., ac vnicum in tanta calamitate præſidium? Porrige miſero benignam dexteram, Pater mi. Agnoſco, ac profiteor peccata mea, quæ me omnino tua gratia indignum reddidere. Non diffido tamen de magnitudine miſerationum tuarum, cum ſciam, nolle te mortem peccatoris; ſed cupidiſſime potius exſpectare, donec criminum pertæſus, ea cum dolore profiteri ac deteſtari incipiat. Quapropter ad te cor pœnitudine ſaucium, oculos lacrymis turgidos, pectus ſuſpriis anhelum, animam ſpei pleniſſimam dirigo, Deus meus. Auſculta ô Domine Deus meus, petitiones cordis mei, & miſerere mei, Amen.

III.

AGnoſco, & confiteor Domine, magnitudinem ac multitudinem peccatorum meorum, quibus paternum tuum à me affectum abalienaui. Scio me omnium mortalium abiectiſſimum atq; viliſſimum: & dignũ ſub cuius pedibus tellus dehiſcat, atque ſine vlla ſpe veniæ, cum Core, Dathan, & Abiron in infernum labi ſinat. Agnoſco me indignum, qui impuros oculos in cælum attollam: dignum, qui omnium pedibus proterat. indignum cui vitam proroges: dignum quem cuncti mortales exagitent, oderint, perſequantur, atque opprimant.

peccatrici Magdalenæ, perduelli Saulo, atque felici illi latroni in cruce obtuliſti? Transfige me, ô benigniſſime Domine, iiſdem benignitatis tuæ telis. adige timoris tui clauos, per impauidum infelicis animæ pectus: pertunde charitatis tuæ cuſpide cor meum, contere ſinceræ pœnitudinis malleo, mentem vitiorum frigore glaciatam: vt deinceps exacta mandatorum tuorum obſeruatione, te venerer, te laudem Domine Deus meus in omnem æternitatem, Amen.

II.

O Infauſtum illum diem, quo te Dominum Deum meum animæ meæ conſolatorem, ac vnicum ſaluatorem dereliqui! cum te ſcelerũ meorum malignitate ad iram prouocaui! ô infelicem horam, quæ mihi cælum interclusit beatam animæ hereditatem decoxit, inferni carnificibus in ſeruitutem tradidit: quæ me cœli exulem, inferni ciuem, Dei iuratum hoſtem, ac dæmonum amicum effecit: quæ mihi ſempiternæ gloriæ ac cæleſtis beatitatis ius eripuit, & calamitati numquam finiendæ, obnoxium reddidit! Quis mihi tantis ærumnis mea culpa, meo ſcelere, oppreſſo auxilium feret, niſi tu Deus meus, auxiliator

meus,

Digitized by Google

meus, ac vnicum in tanta calamitate præsidium? Porrige misero benignam dexteram, Pater mi. Agnosco, ac profiteor peccata mea, quæ me omnino tua gratia indignum reddidere. Non diffido tamen de magnitudine miserationum tuarum, cum sciam, nolle te mortem peccatoris; sed cupidissime potius exspectare, donec criminum pertæsus, ea cum dolore profiteri ac detestari incipiat. Quapropter ad te cor pœnitudine saucium, oculos lacrymis turgidos, pectus suspiriis anhelum, animam spei plenissimam dirigo, Deus meus. Ausculta ô Domine Deus meus, petitiones cordis mei, & miserere mei, Amen.

III.

AGnosco, & confiteor Domine, magnitudinem ac multitudinem peccatorum meorum, quibus paternum tuum à me affectum abalienaui. Scio me omnium mortalium abiectissimum atq; vilissimum: & dignũ sub cuius pedibus tellus dehiscat, atque sine vlla spe veniæ, cum Core, Dathan, & Abiron in infernum labi sinat. Agnosco me indignum, qui impuros oculos in cælum attollam: dignum, qui omnium pedibus proterar. indignum cui vitam proroges: dignum quem cuncti mortales exagitent, oderint, persequantur, atque oppri-

mant. Magis nefarium quam Cain, magis impium quam Annam, Caipham, Pilatum, cum peccata mea numero ac pondere, longe, scelera eorum excedant. Sum, fateor, indignior quam Lucifer, cæterique omnes infernales spiritus: quippe qui vix dignus sim, qui scelestissimorum pedibus substernar; cum hi omnes, quantumcumque scelerati, mecum si conferantur, iusti probique videri possint. Quo ergo me conuertam? cuius pedes lachrymis abluam? ô, vtinam in sanguinem lachrymæ meæ conuertantur! ô quis mihi tribuet, vt omnes nefarii mei corporis venæ dolore rumpantur, atque omnes artus, vestes ac terra ipsa, quam indignus calco, non solum sanguine meo tingantur, sed imbuantur ac natent, vt vel sic animi mœrorem atque tristitiam tibi, Deus meus, testificari possem, qui dolorum fluctibus obrutus, ad te clamat, Deus meus, Saluator meus, atque ad clementiæ tuæ promissa suspirat. Etsi enim scelera mea sint prope infinita, atque eorum malignitas inæstimabilis; est tamen tua his longe amplior misericordia, coram qua abiectus procumbo, tamquam mendicorum miserrimus ad opulentissimi principis limina, tamquam vlcerosus ante medicum, tamquam mancipium coram humanissimo

nissimo domino, tamquam prodigus filius ad pedes amantissimi parentis. Ne pereat Domine anima mea, quam tanta pœnitudinis anxietate coarctari vides: moriar potius, Domine, salubri hoc dolore suffocatus: disrumpatur noxium cor meum, æstu huius mœroris, vt vel sic tibi, Deus meus, probem quam ex animo peccata omnia mea detester. Audi hanc petitionem meam ab imo pectore, tamquam è viuo fonte erumpentem: & miserere mei, vt in æternum mihi parcas, Amen.

IV.

PRofundissimo anxietatis ac formidinis oceano immersus, fluctuo: quoquo versus sontes oculos circumfero, nusquam solatium, nusquam plagis meis, quibus ad mortem vsque saucius sum, medicinam inuenio. In miserrimo hoc vitæ statu destitutus, ad quem, ô Domine, me conuertam? Tu solus es, qui opem ferre potes, ô vnicum animæ meæ præsidium! At cum animum ad ingratitudinem meam, qua bellius sum, quam hominibus similior, atque ad innumera flagitia mea, quibus legem tuam toties violaui, deflecto, pauore totus contremisco, perinde ac folium ventorum impetu agitatum; nec video, vbi me tuto satis

abdere,

abdere, aut quem appellare poſſim. Si in te paternam indulgentiam requiro; iratum flagitiis meis iudicis animum deprehendo: ſi ad miſericordiæ tuæ officinam reſpicio; video eam iuſtitiæ decreto obſeratam. Scio tamen, benigniſſime Domine, non te morte aut exitio peccatoris delectari. toties obduratum hoc pectus frequentibus ſceleribus, ferreamque peccatricis animæ incudem infinitæ clementiæ tuæ malleis, pulſaſti; quamuis ego nullis interim pulſationibus commouerer, comminationes omnes contemnerem, blanditias, quibus ad te alliciebar, repudiarem. Ah quoties mihi præſentis vitæ fragilitatem, incertæ mortis ineuitabilem neceſſitatem ſeueriſſimi iudicii tribunal, exactiſſimam in occultiſſimas etiam cogitationes inquiſitionē, ſempiternum à cæleſti patria exilium, interminatoſque in perpetuis flammis cruciatus, ob oculos obieciſti? quæ tamen omnia quantumuis terribilia atque horrenda, tanquam ſcenæ ludos, pictas minas, & inania terriculamenta vecordi temeritate contempſi. At modo cum hæc omnia ſuis momentis examino, horrore concutior, & omnis ſolatii expers, quo me miſer conuertam, non video. animus in me exaruit, cor meum liquatū diffluxit, medullæ in intimis oſſibus

ex-

exſiccatæ ſunt, dum mecum ſcelerum meorum numerum grauitatemque perpendo: ſomnus ab oculis aufugit, cibus omnis in puluerem tranſiit, omnis à me lætitia & voluptas receſſit; deliciæ omnes, in amarorem; gaudia, in triſtitiam; riſus, in ſuſpiria & lachrymas conuerſa ſunt. nuſquam tranquillitatem, quietem nuſquam nec cœlo nec terra inuenio. Si ſolus ſum timore & imminentium rerum exſpectatione exanimor. Si me hominum cœtibus miſceo; faſtidit vana hæc ſolatia æger animus. Si me ad quietē compono; nullam perturbata mens quietem admittit. continua enim flagitiorum meorum recordatio, vermis inſtar, aſſiduo animum corrodit atque exedit, & omnem eius tranquillitatem tanquam vehemens ventorum procella conturbat: nec quidquam vſquam inuenio, quo paternum tuum, Deus meus, animum placare poſſim. Si hoc lachrymis fieri poteſt; da, vt nefarii oculi mei, nunquam inſiſtente fluxu, bina lachrymarum flumina profundant, quibus anima criminum ſuorum ſordes poſſit eluere, aut ſi parum adhuc ſit, in hoc ſalſo liquore, acrimoniæ; da, benigniſſime Domine, vt ex omnibus corporis mei venis vehementi doloris æſtu, ſanguinei fontes ſaliant, qui in vnum alueum conmeati cru-

entum

entum mare efficiant, in quo peccatrix anima flagitia sua possit demergere: aut, si placet, effice infinita tua misericordia, vt? doloris magnitudine, ac vehementi suspiriorum impetu nefarium cor meum, in minutissimas partes dissiliat, effractisque præcordiis, tristitiæ ac mœroris mei acerbitatem toti mundo palam faciat. O si venæ meæ omnes in oculos commutarentur, omnesque oculi in fontes soluerentur, quanti ex his lachrymarum riui promanarent! in quibus vtinam cum Magdalena sacratissimos pedes tuos lauare possem! O vtinam potentissimis misericordiæ tuæ radiis totus liquescam, & in gratissimum tibi pœnitentiæ mare diffluam, in quo, ad sempiternæ tristitiæ ac pœnitudinis meæ argumentum, diuinas tuas manus pedesque possim abluere! O si artus mei omnes, cataractæ existerent, quibus sanguinis mei riui coercerentur! illico eas omnes vno impetu laxari iuberem, vt animam meam, sanguineis hisce fluctibus expurgatam mundatamq; tibi ad perpetuum obsequium possem consecrare. Hæc sunt, clementissime Domine, ab acerbissimo dolore dictata verba, hæc ab intimo pœnitētis animi sensu profecta desideria. Respice paternis oculis cruentas has lachrymas, feriat benignas aures tuas luctuosa.

ſa hæc ſuſpiria, emolliant iratum animum tuum ſanguinea hæc vota. Conſtanter enim ex hoc decerno, millies prius deinceps crudeliſſima morte emori, quam vel vno iterum flagitio te ad iracundiam prouocare: imo in inferorum profundiſſimum deturbari prius, quam denno leges tuas tranſgredi. Miſerere mei benigniſſime Domine, Deus miſericordiarum, qui non vis mortem impii; ſed in ſingulas horas magna cum patientia exſpectas, vt ſe ab impietate, ad miſericordiæ tuæ ſinum recipiat: video manus & brachia tua, tam amanter ad me excipiendũ in cruce extenſa, vulnera tua ad meum ſolatium hiantia, diuinum tuum ſanguinem è quinque illis miſericordiæ fontibus tam copioſe ſalientem. Aſperge cruento hoc imbre arentem animam meam, inunge pretioſiſſimo hoc vnguento vlcerosum cor meum toties lethalibus plagis confoſſum: vt diuinis hiſce præſidiis recreatus confirmatuſque, in hac mortalis vitæ breuitate, conſtanter tibi ſeruiam, atque in æternum in cæleſti gloria cum feliciſſimo beatorum cœtu te laudem ac venerer. Amen.

Orati-

Orationes ad salutarem mortis horam impetrandam

I.

DOlores mortis inuaserunt me, terror extremæ horæ pectus meum conturbauit. O tristis hora! quam amara es diuitibus, qui spem suam in fugacibus huius vitæ bonis fixere! quam acerba, homini omnium voluptatum genere circumfluenti! quam ei terribilis, qui totam vitam in diuitiis, honoribus, voluptatibus conquirendis contriuit! Quam luctuosum vno momento, ab iis omnibus auelli, quæ tanto affectu amata, tam repente ab amicis, parentibus, liberis, opibus, dignitatibus, iucunditatibus abripi! Quam inuitus id omne tum deseret quod tanto fuerit studio quæsitum, tot laboribus partum, tanto sensu possessum! His omnibus longe hoc molestius, quod nec horam, nec diem tantæ calamitati destinatam præuideamus. Imo; quod ne quidem nobis exploratum sit, vnane adhuc hora simus victuri. Repende è medio hilaritatum fructu, ex ardenti diuitiarum ac honorum studio; nulla præmonitione è vita abripimur. nullæ tum opes, nulla potentia, fatalem illam necessitatem possunt auertere: non iuuentus, non robur ætatis,

nulla-

nulla industria, nulla sapientia, tanquam matura seges, aut adulta gramina mortis falce demetimur, quasi poma è ramis, valido turbine agitatis, nullo ætatis aut conditionis discrimine excutimur: diuites, egeni; docti, indocti; domini, serui; reges, mancipia; eadem hic omnes tenentur lege, eodem telo figuntur, eodem mortis veneno potantur, iisdemque omnes casibus implicantur. Sis mihi, ô Deus, hac hora propitius; tamque alte animo meo salubrem huius horæ formidinem imprime, vt assidua huius necessitatis præmeditatione munitus, non improuiso male comparatus, ad tuum tribunal abripiar, Amen.

II.

O Mors, quam raro mortalium animis obuersaris! quam raro suis momentis tua necessitas expenditur! quam parum plerique tuas leges reformidant! quam repente innumeros, quasi ex insidiis inuadis, atque ad æterni iudicis tribunal abripis, vbi nulla spes veniæ, nulla procrastinationis; vbi nullis opibus, nulla potentia, vel vnius est horulæ spatium ad cauendum, venale. Pendet tamen ex hac hora æternitatis conditio, hinc sempiternæ inferorum pœnæ, hinc beatissima cælorum gaudia: & interim quam raro, proh dolor! hanc temporis incertitu-

certitudinem expendimus! quinimo piget plerumque de ea hora cogitare, ex qua æternæ felicitatis nostræ, aut miseriæ fatum pendet. O felix anima, quæ omne hora cogitas, illam tibi vitæ supremam esse posse! ô sapiens, ô prudens, quæ tibi nullam certo polliceris! huiusmodi enim non facile in ima vitiorum labetur, rebusque præsentis vitæ, non aliter quam inconstantibus ac perituris, vtetur, quas sciat singulis sibi momentis eripi posse. Da mihi, Domine, salubres has cogitationes, nec patiaris eas vnquam animo meo excidere. propelle à me omnem mortis obliuionem, atque assidua eius reminiscentia, mentem meam exerce: nam quamdiu huiusmodi animo agitantur, difficulter ad peccatum mens pertrahi potest. Præuisa pericula, incommodaque præmeditata, hominem cautiorem magisque prouidum faciunt. Quis enim est, qui sciens & prudens laquei aut ignis periculum adeat, nisi omnino mente sit captus? improuisę multos sæpe calamitates opprimunt, sed ii quibus est mens sanior, cauent quantum queunt, ne se temere periculis obiiciant Quanto studiosius nobis prouidendum, ne iis nos casibus exponamus, in quibus interminatæ æternitatis conditio periclitatur; quos numquam securius declinamus,

namus, quam continenti mortis meditatione, omnem vitæ horam, tamquam ſupremam vſurpando, & ex qua cum æternæ calamitatis, tum beatitudinis ſortem numquam deinceps mutandam pendere ſciamus. Quis mihi ſalubres has cogitationes dabit, ô Deus, niſi tu ſolus, in cuius arbitrio ſingulis momentis vita mea vertitur? Da mihi has cogitationes, ô Domine Deus meus. Scio enim perſpicuum id eſſe indicium, negligi à te, atque derelinqui eum hominem, à cuius memoria omnis mortis cogitatio diſceſſit: tum enim ſine vllo metu, ex vno ſcelere, in aliud proruit. donec tandem morte non præuiſa occupatus, nefariam vitam infeliciſſimo termino concludat. Excute à me infauſtam illam temeritatem, atque immitte menti meæ perpetuam mortis cogitationem: vt anima mea ſalubri hac formidine, à vitiis coerceatur. Imple mentem meam tam ſalutaribus cogitationibus, vt aſſidua ſupremę horę recordatio, tamquã in ſpeculo menti meæ æterni temporis imaginem repręſentet, cuius omnis cõditio in ſuprema hac hora vertitur; vt huiuſmodi meditatione coercitus, ſingulos vitæ dies & horas quaſi vltimas, ſupremaſque, ac ex quibus æterna gaudia, aut immortales flammæ pendeant, tranſigam. Amen.

Amici

III.

AMici mei omnes dereliquerunt me: omne robur meum elanguit: emarcuit pulchritudo mea, voluptates omnes procul à me recesserunt: proximi mei me deseruerunt, & ii quibus plurimum fidebam à me defecerunt. Quid modo prosunt diuitiæ quarum deinceps mihi nullus erit vsus? quid mundi honores? Quomodo omnis spes mea tamquam fœnum exaruit, tamquam fumus euanuit, tamquam vmbra transiit? O Domine, tu ne me in hac solitudine desere, corrobora me in hac hora: cum me totus mundus deseruerit, tu ne me desere, ô Deus meus. nam in te solo est omnis spes mea, fiducia mea, perfugiũ meum? miserere, ô Domine, animæ meæ, nec me morte improuisa opprimi patiaris, in qua omnis æternę vitæ fortuna ac felicitas vertitur. Miserere mei, ô pater, & Deus meus, vnicum meum in extrema hac necessitate, in periculoso hoc flexu, præsidium, in quo præter te nemo opem adferre potest. Exhibe tuum mihi paternum animum, pater mi. quo etsi omnino me indignũ sciam; est tamen longe maior misericordia tua & miseratio, quam omnis mea indignitas & peccatum. Fateor indignum esse me, qui filius tuus aut seruorum tuorum vltimus dicar; venia tamen

ad te

ad te formidabili hac hora, abiicioque ex imo cordis affectu, ad benignissimos pedes tuos peccatricem animam meam, atque mœstissimis eos lachrymis abluens, hoc vnum peto, vt salutarem mihi supremam vitæ horam efficias. O vtinam à iuuentute mea huius anxietatis præmeditatio altissime animo meo fuisset impressa, non illa tam acri sensu modo pectus suffoderet. quod licet mea vecordia neglexerim, Domine, ad te tamen nunc omni alia spe destitutus, ex intimo affectu exclamo. Fac mecum secundum multitudinem miserationum tuarum, & non intres in iudicium cum seruo tuo. Ne respicias quæso, Domine, effrenes prioris vitæ annos; sed ostende paternam mihi clementiā, qui non vis peccatorem perire, sed illius emendationē magna patientia ac desiderio exspectas. Fateor serum esse, vt suprema hac hora gratiam iam apud te inueniam, quam toto vitę tempore tam negligenter prodegi; dum tanta licentia mandata tua contempsi. Sed tu promisisti, Domine, non subtracturum te misericordiæ tuæ dexteram, quacumque hora ex animi pœnitudine, ad te, Deus & pater benignissime, ingemuero. Non occulto peccata mea, profiteor ea in conspectu Maiestatis tuæ, sed ea tantum opposita la-

ta ſalutifera filii tui cruce, ſanctiſſimiſque eius vulneribus condonari mihi ſupplico. Memento miſericordiæ tuæ, quam profitenti te latroni, extrema vitæ hora oſtendiſti. Ego te quoque ô Deus, Saluator meus, hac vltima vitæ meæ hora profiteor & veneror, omniaque ſcelera mea in profundum vulnerum tuorum immergo. Eſto mihi quoque propitius Domine: nulla tibi hora breuis nimium aut anguſta ad ignoſcendum, nulla lege, nullo tempore diuitiæ miſerationum tuarum coarctari poſſunt. Intuere ô Deus, infinitæ clementiæ tuæ oculis, peccatricem animam meam, atque ſuper hunc animæ ſuæ ſicarium, diuinæ benignitatis tuæ theſauros, vltima hac vitæ periodo, effunde. offero tibi, in pignus pro delictis meis, biantia tua vulnera, acerbiſſima verbera, diram illam ſpinarum coronam, quæ verticem tuum cruentauit, immanes illos clauos, qui tibi manus ac pedes confixerunt, crudeles vinculorum nexus, crucis tormenta. Hæc enim omnia mihi tua liberalitas conceſſit, vt horum interpoſitu, irati Patris cæleſtis à me indignationem auerterem. Suſcipe hac hora iſtam pro me ſatisfactionem, cum me tempus & vires omnes deficiunt, Amen,

Oratio-

Digitized by Google

Orationes ad extremi iudicii terrores atque inferorum cruciatus deprecandos.

I.

SOla recordatio ſupremi illius iudicii conturbauit me, imo montis inſtar ſuo pondere oppreſſit. contabui tamquam cera in medio ignis, & tamquam glacies in ardentem fornacem coniecta, cum perpendo mecum, quam rigide à me, omnium tibi dictorum factorumque ratio ſit referenda. O Deus meus, Iudex meus, qui etiam in occultiſſimas cogitationes inquires, & ſecretiſſimos animi ſinus perluſtrabis, quique nec virtutes quidem, ſine iudicii tui cenſura abire patieris. Quid dicam, aut quid mihi eſt exſpectandum, cum etiam leuiſſimæ cogitationes, omnes inanes mentis agitationes, neglectæ omnes virtutes, ſeueriſſima diuinæ iuſtitiæ trutina expendentur? quis tum pro me acturus eſt? aut vbi eo die à cōſpectu tuo abſcondar? qui me montes, quæ cauernæ occultare poterunt? quæ me maris vndæ, qui fluctus operient? quæ potentia proteget? quæ ſapientia, quæ eloquentia defendet? omne enim coram te robur, omnis poteſtas, omnis ſcientia, fragilis eſt arundo, leuis ariſta, folium quod

vento rapitur, flos, vernans, mox leui prui-na moriturus. Meæ iustitiæ fidere non pos-ſum, miſericordiæ tuæ iam prope tempus omne effluxit: nullum deinceps in lachry-mis aut ſuſpiriis, nullum in precibus aut ob-teſtationibus, nullum in alterius patrocinio præſidium, tempus hoc regnumque iuſti-tiæ, vbi nullus miſericordiæ aut gratiæ lo-cus eſſe poteſt. Ne me, ô animæ meæ re-demptor, ac conſolator, inopinato momen-ti huius anguſtiæ occupent. Verum ante quam Dies hic ſeueritatis tuæ exoriatur, ſtillent cœli miſericordiæ tuæ imbrem, qui animum meum ad virtutem excitet, atque ad fideliter tibi conſtanterque ſeruiendum accendat; vt ſuprema hac hora, fidelis & prudens ſeruus, in æternum miſericordiæ tuæ donis locupletandus, inueniar, Amen.

II.

HOrror reddendæ tibi aliquando ratio-nis inuaſit me: pauore cor meum e-marcuit, gaudium meum verſum eſt in tri-ſtitiam, & ſudor vultus mei in ſanguinem tranſiit. Periit omnis iucunditas mea, ac vi-gor omnis formidine concidit. Defecit ro-bur meum, & tamquam ſtipula exaruit: vir-tus mea ſicut palmes à vite reſectus, aut fœ-num

num ardenti ſole excoctum, elanguit, cum in mentem venit terribilis illius atque immitis diei recordatio, quæ futura eſt dies ſeueritatis ac iuſtitiæ; dies ſempiternæ mihi miſeriæ aut felicitatis nuntia. Quis ſtare poterit coram hoc iudice, ad cuius etiam conſpectum angeli contremiſcunt? cum cœli ac terra diei huius exſpectatione commota trepidabunt; cum ſol luce deſtitutus, luna ac ſtellæ tenebris obſitæ, omniaq; elementa inſolita caligine obuoluta lugebunt diem illum calamitoſiſſimum, quo omnis miſericordiæ luce extincta, ſola iuſtitiæ fulgura lucebunt; diem iræ, diem punitionis, diem ſeueritatis ac vindictæ. Quid agam, vt diei huius tempeſtatem declinem? aut quo me modo conuertam, dum adhuc dies miſericordiæ lucet, niſi ad te Saluator mi ac Redemptor? Ad quem confugiam, dum adhuc veniæ ſpes ſupereſt, prius quam me dies vltionis opprimat, niſi ad te, Deus meus, Pater miſericordiarum? doce me cuſtodire legem tuam, tuis cõſiliis acquieſcere, peccata mea lugere, tum tempus eſt, nec adhuc clementiæ tuæ manus iuſtitiæ legibus cõſtringuntur: dum adhuc paternũ tuum in filios cor patet, dum maternæ benignitatis vbera vitali adhuc lacte turgent, dum adhuc pretioſus ille miſericordiæ liquor è cruen-

tis tuis vulneribus salit. dum riui miserationum tuarum adhuc vberrime fluunt Amen.

III.

O Diem vltionis ac rigoris! quis te effugiet? quis seuerissimi Iudicis manus euadet? quis terribilis atque horrendæ illius sententiæ exspectatione non contabescet? Sola huius diei recordatio omnes animæ vires constrinxit, lingua mea palato adhæsit, cor meum atque ossium medulla exsiccata est, nec in me robur vllum remansit, mentis acies obstupuit, voluntas horrore obriguit, memoria omnis deleta est, oculi caligarunt, aures obsurduere, omnis odorandi, gustandi, tangendi facultas extincta est, nec vlla in me vita superest, cum cogito ab vnius sententiæ pronunciatione, ô summe Deus, æternitatis meæ conditionem pendere. O æternitas, quam parum tuam grauitatem mortales expendunt! quam leuiter, quam temere de te cogitant! Insculpe, ô Domine, diei huius formidinem, animo meo, doce oculos meos modo profundere lachrymarum flumina: fac vt pectus meum suspiriis ac gemitibus cælos pulset ac penetret. fac vt preces meæ tanquam sagittæ per aerem in cælum perrumpant: tunde atque contunde ferreum cor meum,

con-

contritionis ac doloris malleis, super incude rigidæ iustitiæ tuæ: subige intellectum meum ac voluntatem timore huius diei; vt cum supremus ille dies orbi illuxerit, misericordiam inueniam, misericordiam impetrem, atque in sempiternum misericordiæ fructibus perfruar. Amen.

IV.

O Æternitas æternitatum! quam parum mentibus nostris obuersaris! O ignium flammarumque æternitas, quam parum timeris! O quis mortalium tuam immensitatem intelligit? quæ mens grauitatem tuam potest concipere? O calamitosa pœnarum infinitas! ô amarissima à diuino consortio repulsa! ô infaustum ab æterna cæli patria exilium! ô infelicissima Dei inimicitia! æternum à Deo disiungi, æternum vri, in cuius hoc mentem venire potest? æternum exheredari cælesti gloria, & iucunditate; æternum immortalibus flammis mancipari; quis satis hoc suis momentis poterit expendere? ex Dei filio, regni cælestis herede in sempiternam seruitutem, inferorum tortoribus tradi, quis concipere poterit quæ anima sustinebit? ô quam longa es æternitas! initium sine termino, cruciatus sine fine flammæ sine restinctione,

 id-

idque in ſempiternum præciſa omni ſpe miſericordiæ vnquam impetrandæ. Quid tum profuerit in hac vita libidinibus indulſiſſe, opibus cumulatum fuiſſe, dignitate excelluiſſe, ſuperaſſe alios potentia, robore, ingenio, eruditione, exiſtenti in mediis ignibus, & eheu! ignibus ſempiternis? quid mihi tum ſolatii adferent præteritæ voluptates, forma, venuſtas, eloquentia, gloriæ decora, in immitibus illis inferorū flammis æſtuanti; quas nulla vnquam temporis longinquitas imminuet, ſed aſſiduo magis magiſque exaſperabit? pro exigua, vili, bruta voluptate æternas cogar flammas ſuſtinere? pro vecordi cupiditate, ac breui fugaciſſimarum opum poſſeſſione, dolores ſempiternos? pro immoderato honorum ambitu, ignes inextinguibiles? pro tam exilibus ac caducis reculis, incendia ſempiterna? pro tam futili iucunditate, æternum à Deo, omnique beatorum gaudio excludar? pro breuiſſimo terrenarum opum fructu, in omnem æternitatem, ampliſſimis cælorum theſauris carebo? O duram neceſſitatem! ô infauſtam ac inæqualem commutationem! ô fatuam ſtultamque temeritatem! Quanta illa eſt amentia, pro exigui temporis proſperitate, fluxis opibus, vaniſſimis honoribus, voluptatibus fugaciſſimis, apud

inferos

inferos cruciatus sempiternos, in omnem æternitatem adire velle, vbi carnifices sunt sine commiseratione, flammæ sine termino, incendia sine restinctione, supplicia sine remissione? Libera me, ô Domine, ab insana hac electione, atque efforma in me continuam instantis æternitatis recordationem, vt horum suppliciorum atque cruciatuum meditatio, futiles omnes à me vitæ huius cupiditates propellat. O felicem meditationem, quæ infelicissimum hoc exitium nullo exitu terminandum auertit, quæ immortales flammas sopit, quæ sempiterna incendia restinguit, quę tormẽta nunquã finienda excludit! Reple Domine tã felicibus cogitationibus cor meum. Hic puni me, hic castiga; modo ibi mihi pareas.

Felices illi qui hic ita saluberrimis timoris atque amoris tui flammis exuruntur, vt in iis nihil, quod excoquant inferorum incendia, relinquatur? Fortunati illi, quos hic paterna tua seueritas plectit morborum molestiis, opum exspoliatione, hostium exagitationibus, vt sempiternorum suppliciorum acerbitate liberentur, Exerce in me ô Domine, dum hic viuo, paternam hanc seueritatem, plecte me hic clementi tua dextera, ne post hanc vitam æternis inferorum doloribus excoquendus, iustitiæ

tuæ decreto tradar. Inquirat in me dum hic viuo, paterna tua benignitas & clementia, vt in beatissimo filiorum tuorum regno æternum paternæ misericordiæ tuæ fructibus satier. Amen.

V.

ERiguntur horrentes comæ, collisi dentes strident, labia obriguere & quasi lunæ vmbra totus euanesco: corpus extabuit: ossa, quasi fulmine afflata, in cinerē soluta sunt: caro mea, quasi cera igne soluta, defluxit; artus omnes, quasi fumo tosti, exaruere; anima mea in se liquefacta est, dum secum æternorum ignium tormenta meditatur. Quis capere potest, vri æternum, excruciari æternum eo igne, cum quo compositus ignis noster elementaris, magis coloribus adumbratus, quam verus ignis videri posset; omnesque totius orbis cruciatus in vnum conflati, magis titillatio sunt & ludus, quam dolores? atque in his flammis æternum vri, tam diu est vri, quam Deus futurus est Deus, quæ intelligentia hoc assequi potest? & hoc, pro exili fructu, breuissimaque rerum incertissimarum fugacissimarumque huius mundi possessione: quam tibi ne ad horæ quidem spatium certo quisquam polliceri potest. vbi sapientia nostra?

nostra? vbi prouidentia? vbi mens? vbi sensus? Momentaneas opes, fluxas voluptates, inanissimos honores, quibus ne ad horam quidem, certo nos fruituros scimus, æternis ac interminabilibus incendiis ememus? Quis me ab hac amentia liberabit, nisi tu Deus Pater mi? Quis hanc à me calamitatem propulsabit, nisi tu Saluator mi. vulnera tua hunc ignem sopiant, sanguis tuus has flammas restinguat, lachrymæ tuæ hæc incendia opprimant, tua flagra, tui claui, tua crux hos cruciatus ac dolores mitigent. Contingat hoc mihi, Deus meus, vt anima mea pretiosissimo hoc sanguine, pretio hoc inæstimabili reconciliata æterno Patri, dira hæc æternum torquentia incendia effugiat. Amen.

VI.

QVis tui recordabitur ô Domine in inferni cruciatibus, vbi sempiterna perturbatio, perpetui conscientiæ morsus, ac lanienа animam corrodunt, vbi sempiternus horror densissimis tenebris asperatur? Quis sanctum ac benedictum nomē tuum implorabit aut venerabitur, in æterna desperatione, vbi nulla spes liberationis, nulla solatii? vbi inter ardentes flammarum vortices, rabida blasphemaque damnatorum murmura perstrepunt: vbi assidua dæmo-

num opprobria, dirissimis parentum, liberorum, amicorum, fortunarum, honorum, voluptatum execrationibus permiscentur? vbi singuli primam vitę suę lucem, & Deum conditorem suum diris deuouent; vbi temporis fluxu suppliciorum acerbitas perpetuo magis accrescit, quam languescat; incenditur magis, quam leniatur? vbi æternitas terminum non inuenit, vbi semel Periisse, æternum periisse est: semel damnatum esse, æternum esse damnatum: semel ad inferos decidisse, æternum descendisse est: semel his ignibus immersum esse, semel his pœnis addictum esse, semel his tormentis mancipatum esse, æternum est immersum, addictum, mancipatum esse. Protege me, ô Domine, ab infelici hac æternitate, atque eripe me ad irreparabili hoc lapsu, vt in felici æternitate, misericordiam tuam æternum prædicem. Præueni me Domine gratiæ tuæ fauore: nam si me, subtractis cælestibus tuis præsidiis: deserueris, non est quod æternos ignes, sempiterna supplicia me sperem posse effugere. Exsuperat enim iniquitas mea omnia humana subsidia: atque inolita iam longo vsu peccandi consuetudo, ita me ad omnia scelera depressit, ita vires omnes ad reluctandum elisit, animum ac spiritus fregit, vt à tua tantum

tum potenti dextera incolumitatem salutemque meam consequi possim: da mihi hanc gratiam, Domine Deus meus, vt te laudem, te glorificem, in omnem æternitatem. Amen.

Oratio cum quis se ad peccatum sollicitari sentit, vsurpanda.

VBI es, ô vnice animæ meæ Pater? aut vbi te à cõspectu meo abdidisti? video me vndique periculis obsessum, quæ me nusquam tuto quiescere patiuntur. Vndique in me hostes mei, tamquam efferatæ belluæ insiliunt, & omnem mentis pacem tranquillitatemque conturbant. Si animum diurnis molestiis fatigatum, interposita somni quiete ralaxare cupiam; quies omnis est assiduis perturbationibus anxia, nec somnus vllum respirandi ab hostium impugnatione interuallum præbet: si vigil excubem, vndique me hostium legionibus oppugnari sentio: si te precibus & obsecrationibus compellem, votis meis & lachrymis obluctantium aduersariorum murmura obstrepunt: si mentem rerum necessariarum procuratione occupem, aures obtundunt, oculosq; perstringunt hostium vociferationes, tubarumq; strepitus: si supplici animi submissione, solo me prosternam,

nam, vt te saluatorem meum, vnicumque animæ meæ præsidium ac solatium, ad opitulandum excitem, maiore in me furore, hostium molitiones, tamquam irati maris vndæ insurgunt: si consectandis vitæ huius deliciis aliquod molestiarum leuamen quęram, hostibus turpiter victoriam concedo, ac repente è regni cælestis herede inferorum mancipium efficior. Quo me miser conuertam? quo me suprema hac necessitate pressus, recipiam, nisi ad te, benignissime genitor? en virtus mea vitro est fragilior, palea imbecillior, pluma leuior, cum tamen hostium meorum robur sit rupe firmius, ferro & chalybe solidius, omnique mortali virtute potentius: & quis ego sum, vt solum me tantis hostibus obiiciam? vt tam potentibus legionibus vnum me parem futurum sperare possim? Tu solus es, qui opem mihi ferre potes, qui, solo potentiæ tuæ nutu, omnes has vires profligare vales. Adsis mihi in tantis periculis constituto, ô vnicum præsidium meum! & depelle à me omnem inferorum impetum, vt te, Deus meus, in æternum laudem, prædicem, extollam, omnesque meæ cogitationes, dicta, factaque hoc vnum deinceps spectent, vt pro innumeris tuis in me beneficiis, perpetuas tibi gratiarũ actiões persoluam. Amen.

Alia.

Alia item oratio aduersus hostium sollicitationes impugnationesque vsurpanda.

NVmquam se hostium meorum in me oppugnando remittit contentio; cum tamen interim me animus, tam continentibus fractus prælijs, deficiat; omnisque mea virtus, & robur succumbat. Quò me recipiam; quò confugiam, nisi ad te, Deus meus, qui tam benigne, laborantes & afflictos ad te inuitas? en ego sum, Domine, laboribus confectus, & immani hostium rabie ad terram prostratus. Miserere mei, piissime genitor; respice calamitosam animæ meæ conditionem: intuere eam plagis vulneribusque sauciam, tanta formidine ac trepidatione exanimatam; vt nihil ei, præter supremum vitæ halitum superesse videatur. Animaduerto me in mediis tempestuosi maris fluctibus destitutum, omnium præsidio nudatum, & vndique vehementissimis ventorum procellis, quas in me hostes concitant, agitatum. Video me in ipsa inferorum crepidine nutantem, minimoque à morte & æternis ignibus, interuallo disiunctum. Respice Domine, opus manuum tuarum, cuius olim amore tam copiose sanguinem tuum, cruci affixus, profudisti. Respice me indi-

indignum filium tuum paternis oculis, & libera me ab immitibus hisce teterrimorum carnificum manibus. Tu enim solus, es, ad quem tuto possim confugere. Pateat mihi continuis hostiũ impugnationibus pulsato, ad perfugium, benignissimæ tuæ clementiæ sinus, intra quem, à tam importunis hostibus tuto conquiescam, ne vnquam aut insidiis eorum circumueniar, aut viribus expugner. Melius enim est mihi mori millies, & mille tormentis excruciari, immo & æternis ignibus liquari, quam vt vel semel, hostium conatibus cedendo, grauiore te flagitio offendam; & quantum in me est, iterum diuinum tuum sanguinem, per summam iniuriã prodigam. Quod ne faciam, benignissime Domine, opem tuam suppliciter imploro, qui me iuuare, tueri, corroborare, & ab omni malo in perpetuum potes liberare, Amen.

Oratio hominis in flagitium prolapsi.

EX intimo animi sensu culpam meam, benignissime Domine, confiteor, tuamque misericordiam, quæ ab æterno est, supplex appello. Abiicio peccatricem animam meam, cum lugente Magdalena ad clementiæ tuę pedes, vt eos pœnitentis illius exemplo,

plo,

Digitized by Google

plo, lachrymis perfundam. Profiteor coram vniuerſo mundo, cum fortnato illo latrone, æternis me ſuppliciis obnoxium eſſe; agnoſco cum Zachæo, innumeris me debitis eſſe obſtrictum. Deſciui à te Domine, leges tuas tranſgreſſus ſum, conſilia tua & hortationes contempſi, dum per ſummum ſcelus, hoſtium meorum capitalium ſuaſionibus aurem præbui, & me ad ſempiternam ſeruitutem dœmonibus tradidi: venditaque cum profano Eſau, viliſſimæ ac brutæ voluptatis auctoramento, æternæ gloriæ hereditate, ſempiternis me flammis nutrimentum addidi. Ne me precor, clementiſſime Domine, pro eo ac commerui caſtiges, nec in me ſeueta illa iuſtitiæ tuæ imperia exerceas; ſed ea, pro paterna tua maternaque in homines beneuolentia, ita moderare, vt facinoroſum hoc pectus meum, vehementiſſima ſcelerum ſuorum deteſtatione emollitum, veniã à te impetrare poſſit, atque ita ex inferorum mancipio, iterum à te in filium adoptari merear. Tu ô Domine, perſpicaciſſimo diuinitatis tuæ oculo, intima animi mei ſenſa penetras, vt nihil ibi abditum abſtruſumve ſit, quod te vllo modo latere queat. Vides acerbiſſimum animi dolorem, quem in me ſcelerum meorum conſcientia excitauit, cum ani-

animaduerto, quam impudenter ac temerè diuinam tuam bonitatem offenderim, dum incredibili vecordia, imperia tua neglexi, leges protriui, ſacratiſſimum tuum ſanguinem pro me effuſum, pro nihilo habui, ſtudioſiuſque inſidioſis iuratorum hoſtium inſuſurrationibus, quam ſaluberrimis tuis conſiliis amiciſque comminationibus auſcultaui. Miſerere mei, ô Domine, & ſcelera mea mihi condona. Aliam ex hac hora vitæ rationem meditor, alia conſilia concipio: ſtatuoque deinceps prius omnes cruciatus, & acerbiſſimum mortis genus adire, quam vt vel vno iterum ſcelere mandatis tuis reluctér. Porrige tantum, Domine, imbecillitati meæ paternam tuam dexteram, meque benigniſſimis oculis tuis aſpice, quibus olim Petrum, Paulum, Matthæum, Zacchæum, Publicanum. Magdalenam reſpexiſti, cum tam abundantia eis ad virtutem perpetuo cunſectandam ſubſidia contuliſti. Amen.

Oratio ad peccatorum deteſtationem impetrandam.

CRiminum meorum mole, tamquam vaſtiſſimis vndarum fluctibus obrutus deliteſco, quæ me validiſſimorum ventorum inſtar ad terram affixerunt, hæc me

quaſi

Digitized by Google

quasi rabidi leones, venenatæque serpentes vndique circumcinxerunt. Domine quo me conuertam? quid agam? quid aggrediar. En ego sum filius ille prodigus, qui ne quidem dignus sum vt seruorum tuorum obsequiis mancipet, aut vt porcorum siliquis pascar. Ego Publicanus ille, quem peccatorum conscientia oculos in cælum attollere prohibet: indignus quem terræ solum sustineat; dignissimus vero quem dehiscens tellus ad inferos, æternum ibi exurendum, labi sinat. Quo ergo me vertam? quo ibo? ad quem oculos attollam. Ad tuosne, benignissime Dõine, cruciatus, & supplicia? Sed in his ego clarissima scelerum meorum indicia conspicor, quæ me æterni supplicii reum faciunt. Ego enim sum mortalium scelestissimus, qui sacratissimum tuum corpus, meis sceleribus tam inhumaniter concidi. tuæ lachrymæ, tuæ plagæ, tua vulnera vindictam de me expetunt; tui claui, tua crux, tuus sanguis impietatem meam condemnant. Oculosne in cælum dirigam? video ibi flagitiis ac sceleribus, quibus miser vndique obsitus sum, locum nullum esse posse. Si ad inferos obtutum deflectam, video ibi innumeros sempiternis incendiis torqueri. quorum sunt flagitia longe meis leuiora. Si mentem in tuorum iudiciorum seuo-

ſeueritate defigam; non video quid aliud, pro ſcelerũ meorũ grauitate & multitudine, exſpectare poſſim, quã vt terribili illo calamitoſiſſimoq; iuſtitię tuę edicto, à tuo conſpectu in immortales inferorum flammas abire iubeat. Si cogitatione habitatas terrarum plagas perluſtro, video me in hac mortalis vitæ breuitate, & incõſtantia, inter peſſimos nefandiſſimoſq; mortalium recenſeri poſſe. Quæ quamuis; ô Domine, ita ſe habere non neſciam, nec dum tamen omnem mihi ſpem ſalutis præciſam eſſe exiſtimo, cum memini quanta benignitate veniam & miſericordiam iis addixeris, qui vero animi ſenſu peccata ſua execrantes, ad tuæ ſe clementiæ aſylum recipere voluerint. En ego, ô clementiſſime Domine Deus, horũ vnus ſum: miſerere afflictiſſimæ animæ meæ, atque in eam infinitæ bonitatis tuæ radios dirige, vt immenſus ille miſericordiæ tuæ Sol, ſalutifero ſuo lumine, omnem ab ea peccatorum caliginem torporemq; diſcutiat. Da mihi, vt vera peccatorum pœnitudine, ex oculis meis perpetui lachrymarũ fontes manent, vt venæ meæ omnes in lachrymas ſoluantur, vt artus omnes tamquã cera in ignibus, liqueſcant, oſſa in puluerem ſoluantur,, corque ipſum tamquam fœnum falce ſucciſum, tabeſcat. vt hiſce tibi indiciis,

mœrorem

mœrorem teſtificari poſſim, quo anima mea ſuppliciter pedibus tuis aduoluta, ex ſcelerum ſuorum recordatione conficitur. Miſerere mei Domine, & ne reſpicias criminum meorum multitudinem, ſed bonitatis tuæ infinitatem, dolориſque mei acerbitatem intime mihi pectus effodientem. O vtinam ſignis idipſum exterius poſſem prodere! facinoroſum hoc cor meum in conſpectu diuinæ tuæ clementiæ mille in partes cogerem diſſilire, peccatricē animam mœrore ac pœnitudine in vaporem euaneſcere, corpus hoc in ſudorem, lachrymas, ſanguinem diffluere, totum deniq; hominem tanquam niuem ardenti obiectam ſoli extabeſcere; vt vel ſic tibi, Domine Deus veram animi mœſtitudinem poſſem explicare. Sed non opus tibi huiuſmodi indiciis, qui abditiſſimas animi agitationes penitus perſpectas habes, qui occultiſſima pectoris arcana perluſtras, & à cuius conſpectu nihil ſubduci aut occultari poteſt. Ideo te compello, ô perſpicaciſſime animorum perſcrutator DEVS, miſerere animæ meæ. Agnoſco me omnium mortalium maxime inferorum ſupplicia promeritum, atque inter res creatas omnes digniſſimum, qui ſempiterno exilio è cæleſti patria exigar. Sed nondum mihi miſericordiæ conſequen-

ſequen-

ſequendæ ſpes interclusa, quam tam propenſe peccatoribus ex animo ſcelus ſuum accuſantibus lachrymiſque ac ſuſpiriis veniam implorantibus promiſiſti. Quis mihi dabit, vt pro lachrymis ſanguineos ex oculis fontes exprimam, niſi tu Deus animæ meæ parens & ſaluator? quis efficiet, vt ſceleratum hoc pectus mæroris impetu diſſiliat, vt vel ſic toti mundo animi mei triſtitia palam fiat. Sed hæc ſola diuinæ tuæ miſericordiæ vi effici poſſunt, quæ vt in me veram peccatorum deteſtinationem concitet, obteſtor te, ô vnicum peccantium ſolatium, ô excellentiſſime animarum ſauciarum medice, ô Sol ſplendiſſime, qui omnes ex animis vitiorum tenebras potentiſſime diſpellis! Fac vt millies prius crudeliſſimo lethi genere occumbam, immo vt in profundiſſimos inferorum gurgites præceps ruam, quam vt nouo poſthac ſcelere diuinam tuam bonitatem offendam. Excita in me firmum ac conſtans deſiderium potius exquiſitiſſima quæque ſupplicia perpetiendi, quam vt deinceps vllo vnquam peccato à tuo imperio deflectam. Da vt admiſſa ſcelera, humili ac mœſta confeſſione aperiam, quam tibi verecundia & timor, ardenti tui amoris temperamento condito commendent, vt hiſce præſidiis

omni

omni peccatorum contagio expurgato, tibi, Domine Deus, conditor ac Saluator animæ meæ, æternum placere possim, Amen.

ASPIRATIONES AD VITIORVM ET PECCATORVM DETESTATIONEM EXCITANTES.

Psal. 2. *QVi habitat in cælis irridebit* (peccatores,) *& Dominus subsannabit eos.*

Psal. 11. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.*

Psal. 17. *Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est* (peccatoribus Deus.) *Ascendit fumus in ira* (Domini,) *& ignis à facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.*

Psal. 21. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me, (Domine Deus meus.)

Sicut

Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea, (in conspectu tuo Domine.)

Psal. 24. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.*

Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Vide humilitatem meam, & laborẽ meum: & dimitte vniuersa delicta mea.

Psal. 26. *Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo.

Psal. 27 *Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

Psal. 29. *Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.*

Psal. 30. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

Psal. 37. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ: & sicut onus graue grauatæ sunt super me

Cor

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorū meorum, & ipsum non est mecum.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Psalm. 38. *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens.*

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.

Psal. 39. *Multiplicata sunt* (iniquitates meæ) *super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.*

Psal. 48. *Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur; relinquent alienis diuitias suas. & sepulchra eorum domus illorum in æternum.*

Ne timueris cum diues factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

Psal. 50, *Cor mundum crea in me Deus*

& spi-

& spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Ne proiicias me à facie tua: & spiritũ sanctum tuum ne auferas à me.

Psal. 54. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.

Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & tribulatione peccatoris.

Psal. 67. *Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

Psal. 75. *Domine tu terribilis es, & quis resistet tibi? De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit.*

Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Psal. 82 *Sicut ignis, qui comburit siluam: & sicut flamma comburens montes: ita persequeris* (Domine peccatores) *in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos*

Imple

Digitized by Google

Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.

Pſal. 84. *Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?*

Pſal. 89. *Mane ſicut herba tranſeat* (peccator & diues) *mane floreat & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat.*

Pſal. 93. *Niſi quia Dominus adiuuit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.*

Pſal. 96. *Ignis ante* Dominum *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Montes, ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.

Pſal. 101. *Defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.*

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.

Non auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam (ô Domine Deus meus.)

Pſal. 102. *Homo, ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, ſic efflorebit.*

Pſal. 114. *Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.*

Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.

Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam* (Domine.)

Psal. 129. *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?*

Psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Psal. 143. *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra praetereunt.*

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIONES VIRTVTIBVS COMPARANDIS ACCOMMODATÆ,

IN QVATVOR HEBDOMADAS *Diſtributæ.*

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

In hac verba.

Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.

1 DOCEMVR hic Deum nobis eſſe patrem; ſed non diutius quam nos filii eius ſumus. Hoc eſt, ſi filii eius eſſe perſeueremus, ipſum diligendo, obediendo, imitando, nihilq; quod ab officio filiorum alie-

 num

num sit faciendo;ipse etiam verus nobis pater permanebit,nosque cælestium suorum bonorum heredes constituet.

II. Attendamus anne reipsa testemur talis nos parentis esse filios, mores eius imitando, monitisque eius tamquam obsequentes liberi parendo. Nobis enim omnino persuasum esse debet, ipsum nec affectũ nec vultum paternum nobis exhibiturum, cum in neceessitate constituti,hæc maxime exspectabimus, si modo in nobis filii animum affectumque non inuenerit. quem ex eo in nobis esse intelliget,si à scelere abhorreamus. virtutes sectemur, frequentibusque piatatis officiis amorem nostrum in talem parentem prodamus.

III. Exploratum nobis esse debet, Deum paterni erga nos affectus humanitatem depositurum, si nos eam, quæ probos filios in patrem decet,pietatem neglexerimus.

IV. Meditare quæ nos pœna exspectet, si parentem hunc tam mansuetum, benignum,liberalem, tamque pro nostra salute sollicitum deserentes ad nostros ipsiusque infestissimos hostes deficiamus.

V. Anne tam benigni parentis nomen pie sancteque colamus. quod vitæ innocentia diligentique virtutum studio præstamus. nam profanis cogitationibus, curisque

que fluxarum opum, honorum, voluptatum continenter distringi, est iis quæ à Dei nos obsequio & oculti auocant, occupari.

VI. An non contra nomen ipsius ignominia afficiamus vitæ improbitate, deprauatisque exemplis, quibus alios ad similem viuendi prauitatem adducimus: quæ dum facimus, tam benefici parentis honori, & gloriæ plane obluctamur.

VII. Quid nobis exspectandum, si paterno augustoque Dei nomini scelerata nostra vita, iniuriam inferamus; studiosiusque mundi vanitatem, quam eius honorem curemus: si maiore conatu, & vigilantia fluxis perituri sque nostris commodis, quam gloriæ ipsius inseruiamus; plus operis ac laboris consumentes in diuitiis & facul, tatibus conquirendis, voluptatibusque indagandis, quam in diuino nomine amplificando eiusque cultu promouendo.

DIES SECVNDVS.

In hæc verba.

Adueniat regnum tuum.

I. COgita quale sit regnum Christi, quam amplum, quam amœnum, quam stabile, ac diuturnum, quantisque voluptatibus instructum.

II. Inſpice diſcrimen, ac diſſimilitudi-
nem viarum ad Chriſti regnum ducentium
ab iis, quæ ad mundi regnum tendunt;
his declinatis, illas ingrediaris. Quemad-
modum enim vtrumque ſimul regnum a
eodem poſſideri non poteſt; ita fieri pl
ne nequit, vt idem ſimul vtramque via
proſequatur: aut vt qui viam ad alteru
regnorum ducentem ingreſſus fuerit, ad o
poſitum perueniat. Vide quam viam t
neas, Chriſti, an mundi: ex quo facile in
telliges, vtrum tibi regnorum ſit exſpecta
dum.

III. Incertam, inconſtantem, perituram
que regnorum huius mundi conditionem
è contrario vero firmum, conſtantem, pe
petuumq; regni cæleſtis ſtatum: vt euide
tius perſpicias quinam prudentiores ſa
entioreſque iudicandi, illine qui vt flu
huius mundi regnis potiantur, an qui vt
ternum in cælis poſſideant, totis virib
connituntur.

IV. Adhibita ſeria conſcientiæ diſcuſ
one conſideranda neceſſaria ad regnu
Chriſti conſequendum præſidia, vt intell
gere poſſimus, eane ſine quibus ſperari n
poteſt adhibeamus: & an non ſollicitius
as & rationes inueſtigemus, quibus
mundi regnum ac opes perueniri poſ

qua

quam quibus cæli dominatum cæleſteſq; gazas comparemus,

V. Conſiderandũ quod præmium quodue regnum ſperare poſſimus; cum decuplo diligentius ad mundi potentiam, & regna poſſidenda, quam ad cæleſtia promerenda laboremus.

VI. Quid Deo reſponſuri ſimus, cum in vitam noſtram inquirere cœperit, inueneritque, nos ſine comparatione plus laboris ac induſtriæ in mundi pecuniis, ac facultatibus conquirendis; quam in cæleſtis regni gloria promerenda poſuiſſe: potiſſimam vitæ noſtræ partem in mundi compitis conſũmpſiſſe, vixque à longe ſemel viam ad cælum ducentem, inſpexiſſe. Nam ſi curioſius vitæ ante actæ ſpatia reſpicere velimus; videbimus maximam eius partem mundi obſequiis corporiſque commodis datam: imo quam plurimos exiſtere, qui ne vigeſimam quartam quidem vitæ portionem Domini Dei ſui obſequiis impendant. Diem noctemque quatuor & viginti horæ diuidunt. Harum quis vel vnam quotidie in Dei cultu ponit? imo quam pauci vel dimidiatam, quæ prope quinquageſima eſt vitæ portio? denique quam multi qui ne quartam quidem horæ partem Deo piiſque operibus ſeponunt, qua tamen data

vix centesimam darent. A quo ergo hi vitæ suæ laborumque præmia exspectare debent?

VII. Considera diligenter vtrumque regnum, & vnius conditionem, statum, promissa, remunerationem, cum alterius confer, tum discrimen horum inter se, exitus diuersos, viarumque ad hæc tendentium varietatem attende. Quod vt magis perspicue facere possis, neque in delectu fallare, propone tibi vtrumque regnum, & mentis oculis intuere hinc Deum, inde mundum; hinc virtutem, impietatem inde, tamquam duos imperatores, qui pro se quisque milites ad sua signa conuocent. Aspice primo mundum & impietatem, cum omni suo comitatu & ostentatione: Contemplare hic lautas delicatasque mensas, cantus, tripudia, saltationes, ludos, omnis generis oblectationes, commoditates, diuitias, ornamenta, luxum, splendoremq; vestium, hortos omni florum varietate fructuumq; copia consitos; superba palatia, aut in pulcherrimarum vrbium celebritate, aut in late prospectantibus montũ iugis, aut in amœnissima camporum planitie regio sumptu exędificata: vbi pratorum ac siluarũ viror, fontium scaturigines, fluminũ liquores perlucidi, viridissimi riparum vestitus oculorum sensum oblectent.

lectent. Tum cogitatione progredere, ac meditare quamdiu harum deliciarum vſus, poſſeſſioque tantorum bonorum durare poſſit quam cito, quam repente hæc omnia euaneſcant: quam pauci in hoc mundi comitatu ad ſatietatem bonis hiſce perfruantur: quam multi in ipſo aditu, & quaſi limine gaudiorum iſtorum, morte opprimantur: quanta ſit hiſce deliciis amaritudo permiſta, quam ſint acerbis omnia odiis æmulationibuſque implexa, quam frequentibus obiecta periculis, quam innumeris obſeſſa cladibus, quanta calamitatum congerie cumulata, quantiſq; laboribus ac difficultatibus, vt haberi poſſint, conquirenda. Denique ad harum voluptatum, cæterarumque quas mundus polliceri ſolet, finem exitumque animum conuerte, qui eſt in ſempiternis ignibus cruciatus ſempiternus, in tormentis perpetuis perpetuum à cæleſti patria exilium, in æternis doloribus ab æterna gloria æterna eiectio: quæ omnia immortale in Deum odium, perpetuæque cum eo inimicitiæ exaſperant. Hæc ſunt quæ à mundo ſperari poſſunt emolumenta, hæc merces, hoc eorum, qui mundo impietatique militant, ſtipendium. Poſt hæc oculos ad Deum, viamque virtutis conuerte: quæ etſi primo aſpectu ar-

ꝯcta, difficilis, horrida, impeditaque appareat, terminus tamen eius amœnus eſt ac iucundus, nullis erroribus aut periculis expoſitus, & ſuauiſſimæ ſempiternæque requietis beatiſſimum principium?

Quod ſi vlterius animum attendere velimus ad promiſſam nobis mercedem, ad æternam cæleſtis regni gloriam, ad eas voluptates quas à fruente nulla vis vnquam auferet, ad beatiſſimam ſempiternamque Dei ſocietatem: quis Deum inuitantem ſequi recuſabit? quis præceptis eius obedire, quis viam ad virtutem hilari lætoq; animo percurrere dubitabit? Quis enim labor difficilis videri poterit, cum addictum nobis à Deo regnum, ac præmium aſpexerimus? Quis non alacer ignes & enſes perrumpet? quis non forti ac libenti animo quoſcumque dolores ac cruciatus huius vitæ perpetietur, vt coronas, diuitias, honores, gaudia in omnem æternitatem continuanda poſſideat? labor ad breue tempus duraturus eſt, præmium futurum ſempiternum. illum dies conſumet: hoc nulla æui longinquitas terminabit. Quis non cupidiſſime decem aureis ciuitates ac prouincias comparare velit, è quarum vectigalibus quotannis plurima talentorum millia recipiat? Omnes huius vitæ labores, ac moleſtiæ longe

ſunt

ſunt decem aureis viliores, ſi cum æternis regni cæleſtis gazis conferantur.

DIES TERTIVS.

In hac verba:

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

I. DEi voluntas eſt, vt eius mandatis ſatisfaciamus, conſiliis eius acquieſcamus, eum pluſquam alia omnia diligamus, omnes noſtras cogitationes, dicta, factaque ad illius honorem & gloriam, noſtramque ſalutem dirigamus.

II. Perpende quantum à perfecta diuinorum præceptorum obſeruantia diſtes: hoc te ſcelera tua, viuendiq; licentia docebunt, non tibi alio doctore eſt opus.

III. Conſidera an non ſtudioſius mundi voluntati, quam diuinis imperiis obſequare: Attende hic quid vt plurimum cogitationes tuæ ſpectent, quo verba ſtudiaq; tua tendant: an non aſſiduo perituris opibus inhient, honores ac delicias anhelent: ac perraro de diuino obſequio, debitaque Deo obedientia præſtanda, meditentur.

IV. Contemplare quam plene exacteque in cælo diuinæ voluntati, non ſecus in maxi-

maximis quam leuissimis rebus satisfiat, in quo beatorum omnium lætitia ac felicitas sita est: & obserua non esse tutiorem, compendiosioremque ad beatitudinem semitam, quæque hominem ab inferni præcipitio longius abducat, quam diuinæ voluntati, à qua omnia pendent, obsequi.

v. Considera rem nullam digniorem esse, nullam pretiosiorem, Dei voluntate, quæ non aliud est, quam Deus ipse. Quanti ergo Dei voluntatem facimus, quantumque illi obtemperamus, tanti Deum à nobis fieri, tantumque amari ostendimus. & contra, quantum eius voluntatem aut negligimus, aut contemnimus; tanto Deum ipsum neglectu contemptuq; afficimus. Quapropter si pluris ducimus, alacriusq; exequimur aut mundi, aut amicorum, aut parentũ, aut propriam voluntatem, quam Dei; nobis etiam non à Deo, sed à mundo, amicis, parentibus, aut à nobis ipsis merces remuneratioque exspectanda. Confer mercedem quam ab his remuneratoribus sperare potes cum ea, quam Deus spondet: fluxam ac perituram cum stabili & sempiterna.

vi. Quanta nostra est dementia, qui Diaboli malumus hostis nostri capitalis voluntati obdedire, quam Dei conditoris nostri,

stri, liberatoris ac parentis. quod satis perspicue pater, cum sine comparatione maiori labore ac studio ad mundi nos arbitrium voluntatemque, cuius vt plurimum diabolus auctor est, componere contendamus, quam ad Dei nos præcepta conformare.

VII. Principes duo sunt inuicē sibi contrarii, Dei voluntas, & mundi: quibus vtrisque simul obsequi non possimus. Statuendum ergo nobis est, vtri subesse, obedire, ac famulari; & à quo stipendium exspectare malimus, à mundone, an à Deo; temporariumne, an perpetuum. Perspicue hoc ostendunt sacræ literæ, sub Lazari ac diuitis illius Epulonis persona, quæ Abrahamum cum diuite sic loquentem inducunt: *Fili: recordare quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Luc. 16. Rationem cur infelix ille diues æternis flammis torqueatur non aliam reddit, quam quod in vita opibus ad voluntatem cumulatus, corporis cupiditatibus, lautis epulis, splendidoque cultui nimium indulsisset. Contra vero Lazarum ideo æternis deliciis recreari, quod vitam ærumnosam ac miseram perpessus, pauperiem ac miserias, tamquam à Dei voluntate immissas, æquo animo tulisset: quod sciret, melius esse hic breui

breui tempore miseriis conflictari, quam in altera vita sempiternis destinari: hic paululum inopia ac morbis confici, & æternæ felicitatis solatia post hanc vitam exspectare. Considera modo cuius tibi conditio potior videatur: & si tibi eligendi potestas à Deo facta esset, cuius exitum eligeres: non dubium quin Lazari. Sed nemo Lazari exitum inuenire poterit, nisi qui eam, quam Lazarus ingressus est viam, tenuerit. Optas ergo Lazari exitum? elige dum potes, etiam vias Lazari. Si tibi magis ratio viuendi Epulonis placeat, exspecta non disparem ab illius calamitate in altera vita conditionem: cui in sempiternis flammis æstuanti, etiam frigidæ guttula, ad qualecumque ardentis linguæ refrigerium, in æternum negabitur. Ex his liquet discrimen, quod est inter Dei & mundi remunerationem. duo enim isti viua sunt exempla vtriusque mercedis ac præmii. Elige, vtrius tibi viam & terminum malis. sua ad vtrumque terminum propria est via, vtriusque item viæ proprius terminus. vtriusque in tua potestate arbitrium reliquit Deus. nam velle ea via quam tenuit diues ille, ad terminum quem Lazarus consecutus est pergere, error est manifestus; quem Deus diuersa duorum istorum conditione indicare, nosque, vt caueremus,

iam

eam viuis exemplis commonere voluit.

DIES QVARTVS.

In hæc verba:

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

I. QVotidianum à Deo victum petere monemur, vt meminerimus quantum Deo debeamus, à quo in dies omnia nobis ſunt exſpectanda.

II. Aduerte diſcrimen quod eſt inter ea quæ Deus petenda monet, & quæ mundus. Deus nihil præter panem quotidianum poſcendum docet, vt intelligamus alia nos re in hac vita non egere, ad æternam felicitatem, ad quam conditi ſumus, promerendam: & cætera omnia, quæ ſupra neceſſariam corporis ſuſtentationem tanto ſtudio quæruntur, ad beatitudinem nihil conducere; imo etiam plerumque, maximo impedimento eſſe. quod ex Euangelio ſatis patet. Contra vero mundus ad continuas curas & ſollicitudines, ad inſatiabilē rerum non neceſſariarū conquiſitionē, ad omnium rerum abundantiam comparandam, nullo cupiendi modo aut termino, homines exſtimulat. Perſpicue hoc videre deſideras? obſer-

obſerua quam pauci inter mundanos, iis quibus abundant, contenti viuant. Quem vnquam dicere meminiſt, ſibi ea quæ habebat ſufficere; nihil vltra ſe petere, iis quæ poſſidebat, contentum ſe eſſe, nihil ſe vltra optare, votiſque ſuis eſſe abunde ſatisfactum? Quin immo contrarium plerumque videmus, quanto indies maior diuitiarum, honorum, voluptatum cumulus acceſſerit, tanto ardentior earum cupiditas inflammatur: quaſi nunquam multa ſatis æternæ beatitudinis impedimenta nobis congerere poſſemus.

III. Conſiderandum agnoſcamuſne omnia nobis ad victum neceſſaria, à Deo ſuppeditari debere: an vero cum conquiſita fuerint, ea induſtriæ noſtræ & labori potius, quam diuinę liberalitati accepta referamus. Si enim aduertamus omnia à Deo proficiſci debere, vt aliquid induſtria noſtra efficiat; maior erit haud dubie noſtra erga Deum, in horum adeptione, gratitudo.

IV. Quemadmodum in nobis duplex eſt vita, altera corporis quæ nobis cum brutis communis, altera mentis ſeu animi; ita etiam ſuo quælibet pane ac paſtu indiget. Vita corporis quotidiano victu ſuſtentanda, vt animo in Deo colendo, auxilio eſſe poſſit. Hoc enim ſolo fine vitam iſtam mortalem

talem à Deo accepimus. Animi vita quæ hac longe excellentior præstantiorque est, suo quoque cibo fouenda. Hanc quodlibet lethale flagitium abrumpit: ita tamen, vt, nisi simul & corpus extinguatur, reparari iterum, sincera peccati detestatione sacrorumque mysteriorum vsurpatione possit, ac præcipue religiosa peccatorum confessione, & sacrosancti corporis dominici susceptione, qui verus propriusque animi cibus est, vitam eius reparare, ac perpetuo incolumem seruare sufficiens.

v. Examina diligenter in quos vsus facultates tibi à Deo datas, expendere consueueris; iisne ad Dei laudem & gloriam vtare, an eas tantum ad cupiditatum tuarum arbitrium profundas.

vi. Cogita omnia fortunæ bona, non alio fine nobis à Deo præbita, quam ad eius honorem nostramque beatitudinem promouendam, vnde consequitur omnem eorum dispensationem, nec ad Dei gloriam, nec animæ nostræ salutem spectantem, illegitimam esse, nec Deo gratam, ac proinde pro hac supplicium potius, quam aliud quidquam exspectandum.

DIES,

Digitized by Google

DIES QVINTVS.

In hac verba:

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

I. COnſidera quæ tua ſint debita, & flagitia; quæque his parata ſupplicia, pro quibus nunquam ex æquo ſatisfacies. Imo pro quibus vt per te ſatisfacias, niſi te ſingularis Dei fauor & benignitas iuuerit, nunquam ſufficies.

II. Horum debitorum magnitudinem expende, quæ vt diſſolueret Deus ipſe, humanæ ſe naturæ miſeriis ſubiecit, poſtque tolerata acerbiſſima ſupplicia turpiſſimam mortem adiit. Ex quo coniicere poſſumus, quantum ipſi debeamus, qui nomen illud quod nulla noſtra facultate diſſolui poterat, hac tam operoſa ſibi ac moleſta ratione deleuit.

III. Merito debitum hoc infinitum dici poſſe: quoniam ex iniuria Deo infinito irrogata, contractum; & cui puniendo interminabiles inferorum cruciatus deſtinantur: quos vt effugiamus quid nobis non tentandum? quis nobis labor, quæ contentio, quis dolor non ſubeundus videbitur?

IV. De-

IV. Debita hæc nostra Deus numquam remittet, nisi nos iis, qui nobis obstricti sunt, debitum relaxemus. Nostra enim in proximum benignitas, diuinæ in nos benignitatis est mensura.

V. Qui nolunt iis, à quibus offensi sunt, iniuriam condonare, cum hunc Dominicæ orationis versum vsurpant, duram contra se immitemq; sententiam pronunciant. Cum enim poscant vt simili modo sibi Deus culpam relaxet, sicuti aliorum ipsi; quid aliud postulant, quam ne sibi Deus culpam remittat, cum ipsi aliis veniam dare abnuant?

VI. Confer ea quæ Deo nos debemus, cum iis quæ nobis ab hominibus deberi possunt. Circa quæ considerandum.

1. Quis sit Deus, cui obstricti sumus; & qui nos, quibus alii sunt obstricti. propone tibi diuinam maiestatem per omnia infinitam, cuius omnipotenti dextera vniuersi globus libratus sustinetur. Huic oppone naturæ tuæ vilitatem, corpus è terræ luto conformatum, animamque tot calamitatibus ac ærumnis obsitam.

2. Quid nos Deo, & alii quid nobis debeant.

3. Quo pretio à nobis Deo, itemq; quo hominibus satisfieri possit.

4. Qui-

4. Quibus nos pignoribus reipsa Deum placemus: expendamusque an similibus à proximo nos placari sinamus, nec ampliorem ab iis, qui nos offendere satisfactionem exigamus, quam nos Deo pro longe grauiori offensa rependimus.

VII. Cogita sic nobis debita remitti, vt nos iis à quibus læsi sumus, iniuriam condonamus: eadem nimirum iniuriarum obliuione; pariq; animi reconciliatione. Quare si optamus vt Deus nobis non solum culpam dimittat, verum etiam omnem delicti memoriam deponat; non remaneat apud nos vlla culpæ in nos admissæ recordatio. Si desideramus vt ita debitum omne nobis Deus condonet; quasi nulla vnquam debiti suspicio prius exstitisset; pari nos obliuione, proximi crimen apud nos sepeliamus. Si cupimus tam nos Deo caros esse post culpæ condonationem, quasi antea numquam vlla nos iniuria à Dei familiaritate diuellisset; ea nos sinceritate integritateque proximo reconciliemur, quasi nulla prius inter nos animorum dissensio intercessisset: atque ita ad omne ei officium deferendum prompti paratique simus, sicut erga nos Deum esse optamus. Si enim offensus dicat, ita se iniuriam ei, qui offendit condonare, vt tamen nullam vnquam cum

eo

eo communionem ſocietatemque deinceps coire velit, tantumdem eſt ac ſi diceret, cupio quidem vt mihi Deus ſcelerum meorum veniam indulgeat, nolo tamen vt in priſtinam me familiaritatem amicitiamque admittat, aut deinceps paternum vultum exhibeat, aut depoſita omni priorum facinorum memoria in chariſſimi rurſum filii locum recipiat,

DIES SEXTVS.

In hæc verba.

Et ne nos inducas in tentationem.

I. TEntatio ſeu impugnatio, eſt inſtinctus, ſeu impulſio quædam ad peccatum adigens; quam in nobis concitant aut mundus, aut caro, aut genius malus, qui tres ſunt ſalutis noſtræ iurati hoſtes.

II. Perpende quinam te frequentius importuniuſque ad peccatum inſtigent. cui enim aduerſarius ſuus eſt perſpectus, facilius ab eo ſibi cauere, inſidias eius declinare, conatus præuertere, neceſſaria aduerſus eius impetus præſidia comparare, blandam ſimulatamque frontem (qua plerumque fraudes ſuas occultat) ſuſpectam habere, omni-

omniaque ab eo profecta tamquam hostilia formidare potest.

III. Cum perspexeris grauiores, quibus ad peccatum sollicitaris, commotiones, inquire quænam earum causæ & occasiones, vt illas aut præscindas, aut fugias; teque aduersum has firma quotidie deliberatione ac sedula conscientiæ tuæ inquisitione munias: ac si te lapsum esse in culpam aliquam deprehenderis; continuo salubri te dolore è peccati salebris eripe, firmoque animi proposito, ad cautiorem vigilantiam te compone: atque imitare eos, qui grauiore vulnere accepto in mortis periculum incidere: qui sine procrastinatione illico remedia conquirunt. Plagæ quas animo scelera infligunt, non caducam hanc vitam, sed sempiternam in præsentissimum discrimen adducunt, quæ semel perdita æternum periit.

IV. His ad peccatum impulsionibus perpetuo resistere non potes, absque præsenti Dei opitulantis subsidio: ideoque quam sæpissime tibi rogandus est Deus, vt hoc ab eo impetres, impetratumque vigilanti custodia asseruandum.

V. Est etiam magna tibi solicitudo, circumspectioque necessaria, quoniam hostes tui nullam nocte nec die quietem capiunt, vt te

vt te ad ruinam pertrahant. Conſidera eorum indefatigatam diligentiam, tuamque ſocordiam. Illi nullum laborem vt te perdant ſubterfugiunt; & tu quid meditaris, vt te ab eorum inſidiis expedias? quid ita ſine cura quieſcis? quid tam remiſſe in ſtatione tua excubas? quid inermis inter iuratorum hoſtium turmas deſides? omnis tibi hora ſuprema & fatalis eſſe poteſt, & tam ſecurus vagaris?

VI. Vide ne hoſtibus tuis nimium fidas, quantumcumque blandam frontem, virtutiſque ſpecimen præferant. explorate namque tibi cognitum eſſe debet, nihil hos præter perniciem tuam: animæ nempe tuæ interitum moliri; qui tanto tibi magis extimeſcendus, quam corporis, quanto anima dignitate præſtantiaque corpus antecedit. nec vnquam tibi eorum, conſiliis acquieſcendum; nec ſi quid ſuadeant reſponſione vnquam digni iudicandi. nunquam enim ab hoſtili animo profecta conſilia, ſalubria eſſe, aut bono ab iis fine ſuggeri ſolent.

VII. Crebro ardenterque Deum rogabis vt à te omnes ad peccatum concitationes arceat: poſt has enim peccata conſequi ſolent, quæ nos ex Dei amicis, capitales eius hoſtes ac dæmonum familiares, atque ex cariſſimis Dei filiis, cœleſtiſq; regni heredibus

redibus, diaboli filios ac æternorum supliciorum mancipia efficiunt. Non sunt hæc profecto parui momenti negotia, quibus tuto indormire possis, in quibus æternæ salutis tuæ cardo vertitur. In pecuniariis rerumque fluxarum rationibus, simus, vtcumque placuerit, negligentes & remissi, certe in iis negotiis vnde animę æternus status pendet, nulla sat anxia solicitaque esse potest sedulitas: qui cum semel collapsus fuerit, nulla vnquam industria denuo restitui potest. Expende hic eorum dementiam, qui toties æternæ suæ salutis negotium periculo exponunt, exiguæ alicuius pecuniolæ aut gloriæ, aut voluptatis consequendæ gratia: qui momentaneæ iucunditatis ergo præsens damnationis æternæ discrimen adeunt: qui pauculorum numorum, aut vanissimæ gloriolæ, aut fugacissimæ voluptatis amore (quæ homini cum belluis communis est) aut insana potandi libidine, (quæ brutis est quam hominibus congruentior) aut nimia odii, inuidiæ, vindictæque cupiditate, aut denique stulto stupidoque fastu, ac superbia, in æternos se rogos perpetuum eorum nutrimentum futuri præcipitant. Quanto illi sapientiores, qui animum ad hæc vitia procliuem rationis freno timorisque DEI vinculis continent? qui

qui ſe acriter aduerſus haſce impugnationes tuentur, quique ſumma cura ac contentione, occaſiones omnes, quæ ad peccatum aut allicere, aut impellere poſſent, fugiunt; vt inuicti illæſique, poſt vitæ huius militiam, in æternitatis triumpho lauream conſequantur?

DIES SEPTIMVS.

In hac verba:

Libera nos à malo.

1. COnſidera quantum ſit inter Dei & hominũ iudicia diſcrimen. homines vt plurimum paupertatem ac deſpicationes in maximis malis ponunt; vt contra ſummis bonis adnumerant opulentiam, dignitatem, voluptates, omnẽque vitæ huius proſperitatem: verum Deus contra, paupertatem ac deſpectum in bonis habet; reſque omnes aduerſas, ſecundis longe ſalubriores æſtimat. Quas cum immittit, eas tamquam certa fauoris ſui argumenta, æquo ac hilari animo excipiendas docet. quod ſuo ipſe exemplo commonſtrauit, cum ſpretis honoribus ac diuitijs, paupertatem contemptamque vitam eſt amplexus. Quod ſi diui-

tiæ omnesque huius vitæ commoditates, inopiæ ac despectioni præstarent: nonne quod melius ac dignius erat, sibi Deus elegisset? aut forte quid cui præstaret nesciebat. Quod si haud dubie ignorare non potuerit, paupertatem tamen, & humilitatem ceteris postpositis, prętulerit, necesse est profecto paupertatem, miserias, abiectæque vitæ innocentiam, longe cunctis gazis, dignitatibus, libidinibusque vtiliorem ac digniorem existere. Quod facile tibi persuadebis, si attenderis, quomodo amicorum suorum coniunctissimos, & in his præ omnibus carissimam suam matrem, congruenter huic suo iudicio cumularit ijs rebus, quas tantopere mundus auersatur. Nec enim credibile vllo modo esse potest, ab eo filio, qui tam grauibus verbis parentum honorem ac reuerentiam liberis omnibus commendauit, amantissimæ matri vilissima quæque ac deterrima attributa fuisse, cui pro suo arbitrio, optima & iucundissima seligere potuisset. Quæ esset enim hæc filij in matrem caritas? quæ reuerentia, optime de se meritæ, negatis melioribus, abiectissima molestissimaque relinquere.

11. Quapropter ea mala, quæ fluxu temporis finiuntur, nemini vera mala videri; sed vt maxima potius bona ab omnibus

quæri,

quæri, captarique debent. nihil enim vere malum est, nec, vt tale, ab vllo vitandum, præter æternum malum, & quidquid ad illud ducit: quod solum est peccatum, & præter hoc nihil aliud. Sola enim peccata, & summum à nobis bonum auertunt, & ad sempiternas ærumnas impellunt. Hæc, immortalibus animis æternam mortem inferunt, hæc eosdem cacodæmonum dominatui inferorumque pœnis subiiciunt: & tamẽ prohdolor! hæc toties, tam temere, tam leui sæpe de causa committimus: & grauis plerumque exiguo rei familiaris detrimento præuiso turbamur, aut accepto affligimur quam imcomparabili æternorum bonorum iactura commoueamur. Nec enim ita exhortescimus, capitali nos scelere obstringere, vti vel tenuissimum sustinere fortunarum detrimentum. Quod clare perspici potest, ex ea contententione, quam quisque adhibere solet, vt etiam leuissimum à se rei familiaris damnum propellat; cum contra exigua sane cura & studio peccati mortalis periculum declinet.

III. Præcipua ad peccatum incitamenta sunt ista: 1. Amplas opes & copias possidere: inter grauissima enim, ex Christi sententia, ad cælum tendentibus impedimenta, sunt opes, non quod eæ ipsæ

malæ ſint; ſed quod maximas peccandi o-portunitates, vehementiſſimaque vitiorum irritamenta contineant. 2. Eſſe apud omnes ſummo in honore & pretio. ex hoc enim multiplex peccatorum ſeges germinare ſo-let, præſertim ingens animi tumor, & ar-rogantia. 3. Aſſidua rerum omnium pro-ſperitas, qua plerumque homo delinitus, Dei & æternitatis memoriam deponit. 4. Frequentes hilareſque ſociorum coitio-nes, lautæ menſæ & conuiuia: in quibus plurimarũ ineptiarum, & in primis intempe-rãtiæ, gulæ, & linguæ nũquam deeſt occaſio.

Hæ præcipuæ ſunt peccatorum illece-bræ, & quaſi conciliatrices vitiorum, qua-rum lenocinijs multi quotidie in vitia per-trahuntur. quippe quæ ſuis blanditijs, in-genitum homini ſapientiæ ac prudentiæ iu-dicium deprauant, & ad diuinæ gratiæ in-ſtinctus, monitioneſque, animos faciunt obſurdeſcere.

IV. Quam illi inſani ac dementes ha-bendi, qui leuia illa vitæ huius incommoda, vt ſunt paupertas, contemptus, aliaque his ſimilia, ſtudio ac labore nunquam inter-miſſo à ſe amoliri contendunt, cum parum admodum aut omnino nihil agant, vt à ſe peccati contagiũ auertant! quo tamen æter-na ſibi ſupplicia, perpetuamque à Dei cõ-

ſpectu-

ſpectu repulſam accerſunt. Confer inter ſe, hinc mundi prudentiam, diuitijs, honoribus fluxiſque delicijs nimium inhiantem; & inde horum ſapientiam, qui Deum ſolũ quærunt, ac in virtutũ ſtudio omnem operam ponunt, omneſq; eo cogitationes dirigũt, vt ſpretis caducis mundi opibus, gloria, voluptate; æternas in cælis gazas, dignitatem, & gaudia, Christi Domini Sanctorumq; imitatione aſſequantur. è quorũ exẽplis facile intelliges, virtutũ ſtudiũ vnicam eſſe ad cælũ viam. Hanc tu conſtanter perſequere. eadẽ enim ſemita quę tam multos ad cælum perduxit, ad eundem te terminũ perducet. Nec præter hãc, quam ſuis ipſe veſtigijs Christus Dominus, proximique eius ſectatores complanarunt; aliam vſpiam inuenies. Hæc enim ſola eſt regia publicaq; via, nullis errorum deuijs, nullis ambagibus implexa. Sed forſan aſperitatem eius ac labores exhorreſcis. Verum certo tibi perſuade, arctam hanc virtutũ ſemitã, eſſe longe molliorẽ, faciliorẽ, amœnioreque, quam ſit lata illa primoq; aſpectu iucunda vitiorũ via. Fidem tibi huius faciẽt, quoquot omnem vitã Dei obſequijs impendere, qui vno ſæpe die plus iucunditatis ac ſolatij hauriunt ex aſſidua virtutum cõſuetudine, quã ex ſuis libidinibus, multa facinoroſorũ millia, annis plurimis. Sunt enim perpetuo facinoroſorum gaudia multa

acerbitate permixta: proborum vero lætitia pura semper sinceraque est nullis suspicionibus anxia, nullis sollicitudinibus inquieta, quæque possessorem suum, etiam in medijs hostibus, ac in ipsa morte tranquillũ, securum ac hilarem reddit. Vnde patet, crassum omnino ac stupidum eorum esse errorem qui mundum sequuntur, dum se ad fælicem beatitudinis sempiternæ terminum, alijs vijs, quam quas Christus Sanctique omnes tenuere, pertingere posse sperant. quasi mollem hanc delicatorum hominum viam Christus ignorasset, eoque solum eam neglexisset, quod commoda eius & compendia perspecta non habuisset. dum præ hac semitam virtutis, primo ingressu asperam impeditamque delegit.

Hebdo-

Hebdomas ſecunda.

Septem præcipua incarnationis ac pueritiæ Chriſti capita.

DIES PRIMVS.

Angelica ſalutatio.

1 PRopone tibi cæleſtem illam de Verbi incarnatione deliberationem, in qua miſericordia iuſtitiæ rigore mitigato, vnigenitum Dei filium inflexit ad humanam naturam tanto diuortio à diuina ſeparatam, inauditis ſibi nuptijs conſociandam. Imitare diuinam hanc deciſionem, quoties contra miſericordiam ſummum ius ſtabit, ſemperque pro miſericordia potius quam extremo iuris rigore pronuncia. Quinimo ſi quando rei grauitas ſeueritatem exiget, nunquam

tamen hæc ſine clementiæ temperamento, exerceatur. quo vt propenſius faciamus, propria quemque conditio etiam hortatur, quibus, niſi ſummus omnium Iudex iuſtitiæ ſeueritatem, infinita ſua miſericordia mitigaret, nulla poſt tot crimina, ſalutis ac veniæ ſpes ſupereſſet.

II. Intuere perſonas ſingulas, quæ decreto huic concipiendo exſequendoque interfuere.

1. Pater cæleſtis. 2. Filius qui primas in hoc myſterio ſuſtinet 3. Spiritus ſanctus. 4. Angelus internuncius. 5. Beatiſſima Mater, è cuius puriſſimo virgineoque ſanguine Spiritus ſanctus Chriſto corpus efformauit. Perpende quod ad te quotidie de cælo legationes mittantur, dum mentem pij inſtinctus, afflatuſque diuini concitant: quotque ex his aut repellas, aut diſſimules. Meditare quid Deus ſit reſponſurus, cum te obortæ calamitates ipſius opem implorare compellent, quem tu vocantem, toties contempſiſti.

III. Conſidera, quanto amore arſerit ſacrum Filij Dei pectus, qui eum, ad tam imparem dignitati ſuæ conditionem, pertraxit.

IV. Quid nos Deo pro tanto amore nobis, ſuper omnia quæ continenter ab eo accipimus,

cipimus munera, impenso debeamus: tum quid ad aliquam tantorũ beneficiorũ compensationem rependamus. an non maiori studio mundo, quam Deo placere laboremus: proptius obediendo iniquissimis mundi imperijs ad æternam nos miseriam adigentibus, quam æquissimæ Dei voluntati, ad sempiternam nos beatitatem inuitantis.

v. Quanta honoris significatione Gabriel, è primis angelorũ ordinibus delectus legatione hac ad Virginem fungatur. Vnde nobis exemplum, quanta Deiparæ Virgini reuerentia debeatur, quæ à sanctissima Trinitate ad opus delecta fuit, quo maius nec cælum nec terra possunt concipere. cum nempe virgo, Dei mater effecta est, quod angelorum omnium vires intelligentiamque excedit.

vi. Singula hic angeli dicta excuti possunt: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1 An non illam gratia plenam fuisse necesse est, è cuius purissimo sanguine Deus ipse carnem & sanguinem hausit? An non Dominus cum illa, qui nouem in ea mensibus habitauit? Nonne illa benedicta, quæ ex omnibus mulieribus, vt Dei mater esset, fuit electa? Virgo eadem & mater, quæ contereret caput serpentis, cuius insidijs primi nostri parentes cum tota

 stirpe

Digitized by Google

stirpe è paradisi felicitate exciderã. Meditare hic ingentẽ plenitudinẽ gratiarũ in futura Dei matre, cuius sinũ quãto altius profundiusq; depresserat vera humilitas, tãto erat ad maiores gratiæ influxus excipiendos capacior. Quippe quo latior alueus vallisque depressior, eo aquis capiendis aptior. Non dispar in hoc cælestis gratiæ proprietas: cui recipiendæ, quo quis altiorem in se humilitatis alueum effoderit, eo copiosius diuinum hunc imbrem excipiet, continebitque. nam diuinæ gratiæ mensura nobis est humilitas: hac quo pectus plenius, eo cælestium aquarum capacius; quo per superbiam inanius, hoc incapacius. Preterea cogita Dominum cum hac Virgine assiduo fuisse, cuius omnis cogitatio, sermo, desiderium, semper de Deo, & cum Deo erant: ita vt in eius anima Deus, tanquam in dicato sibi templo perpetuo habitaret. Inspice, num & tu templum & habitatio Dei sis; an tuæ cogitationes omnes ac desideria ad ipsum tendãt: an potius in te mundus sedem fixerit. vide vtrius te frequentius negotia occupent, & illius te templum esse scias.

VII. In sacratissima Virgine obseruabis, I. Eius solitudinem, rerumque diuinarum studium cum lætissimus illi nuncius est allatus. Quo docemur lætos cœlo nũcios in solitudine

dine & oratione exſpectandos. 2. Eius ex anguli conſpectu perturbationem. vnde diſcant virgines, verecundiam caſtitatis eſſe cuſtodem; tum quomodo illas coram altero ſexu affici deceat. 3. Ipſius humilitatem, quæ cum pro tanta ſibi à Deo collata dignitate, quod nempe mater Dei effecta eſſet, gratias referre deberet; memor quam eſſet ex ſe tanto honore indigna, maluit ancillam ſe Deo offerre. Quo docemur in omnibus nos Deo ſubmittere eoque profundius, quo altius ab ipſo erigimur. nam humilitas omnium virtutum eſt fundamentum, quo ſubducto omnes virtutum ſubſtructiones corruant neceſſe eſt. & quamuis nonnunquam ſine hac virtute quiſpiam aliarum virtutum fulcris ſubnixus conſiſtere videatur, non aliud tamen à tali molitione exſpectandum, quam quod ædificio nullis fundamentis ſuffulto, accidere ſolet: quod paululum ſtare, & exterius ad oculum in ſolido fundatum videri poteſt; verum minima tempeſtate pulſatum, ad terram proſternitur. Sic cum virtutum ædificio fit, quod niſi humilitatis rupe nitatur, leuiſſimo tētatū vēto ita collabitur, vt ne veſtigium quidē ſtructuræ prioris reliquatur. 4 Verba ſacratiſſimæ Virginis diſcute, *Ecce ancilla Domini*, in quibus deprehendes 1. fidem conſtan-

tissimam. 2. altam humilitatem, quæ quanto laudatur verius, eo se profundius submittit. 3. perfectam obedientiam, in omnibus, sine exceptione, diuinæ voluntati se committentem. Intuere in hoc speculo, quid tibi ad harum virtutum perfectionem desit.

Indicia quædam Veræ humilitatis.

I. Verus humilis optat in omnibus videri minimus, abiectissimus, contemptissimus, exigui ingenij, nullius eruditionis, minimæque virtutis.

II. Gaudet si quando tāquam stirpe ignobilis, eloquentia destitutus, eruditione impolitus, à sapientia, virtutum perfectione, ceterisque gratiæ aut naturæ dotibus malè instructus contemnatur, quamuis interim hæc omnia eximia habeat aliosque ijs longe præcellat.

III. Iucundum etiam humili est, ab allijs despici ac rideri: singularemque ex eo voluptatem capit, si quando intelligat, haberi se stupidum, hebetem, insipientem, indoctum, negligique tamquam cui nulla sit in dicendo gratia, nulla in congressibus comitas, nullus rerum gerendarum vsus: eoque huiusmodi despicationes ei gratiores sunt, quo illustriora se à Deo naturæ ornamenta accepisse cognoscit.

IV. Quan-

IV. Quandoque data opera stupiditatis aliqua, aut imprudentiæ, aut ignorantiæ, aut insipientiæ, aut denique inciuilitatis alicuius, in moribus indicia prodit, quo vt talis ab alijs habeatur, licet ab eo hæc absint longissime.

V. Nec se ipse, nec sua vnquam deprædicat, eaque vnde ipsi apud alios existimatio posset accedere, vt sunt procerum amicitiæ, affinitates, maiorum nobilitas, literæ, ingenium, ac eiusmodi naturæ phaleræ, supprimere magis, quam iactare gaudet, quamuis & ob his merito laudari posset.

VI. Rubore ac mœrore perfunditur, cum se suaque laudari ac magni fieri aduertit, quamuis eiusmodi sint, quæ pro dignitate & merito omnibus laudanda prædicandaque videantur.

VII. Neminem ipse despicit, nec aliorum viuendi rationem, quamuis à sua multum discrepantem, contemnit: vt nec vllius sententiam, iudicium facta dictave aut quidquid demum huiusmodi ad alios spectat.

VIII. Condemnat ipse neminem, nec facta alterius verbo vnquam aut gestu eleuat, nec animo apud se despicit.

IX. In alijs, etiam leuissima virtutis argu-

argumenta prolixe laudat, extollit, veneratur.

x. Insita item à natura alijs ornamenta, sint licet mediocria, ea tamen, quantum veritas patitur, efferendo, magni à se fieri indicat.

xi. Magnam ei voluptatem adferunt aliorum, seu naturæ, seu gratiæ decora, eaque ab alijs commemorari ac magnifieri audit cum beneuola tum animi, tum vultus, hilaritate: quæritque subinde oportunitatem vt de his aut alios differentes audiat, aut vt ipse ad proximi commendationem de ijsdem loqui possit.

xii. Si quæ de alijs minus probanda referri audiat, ea excusat, aut mitiorem in partẽ interpretatur: ac vbi id non potest, aliam eius qui reprehenditur mentem fuisse contendit: si ne hoc quidem valet, humanæ naturæ imbecillitatem prætexit, frequentesque ac graues occasiones quæ hominem in errorem impulere; leue esse quod à proximo admissum, præ eo quod ipse, similibus, aut etiam leuioribus tentationibus pulsatus, admittere potuisset. Adducit præterea multos ac graues aliorum lapsus erroresque magnorum virorum sacris literis proditos, vt Dauidis cum adulterio homicidium, Salomonis idololatriam, Sampsonis viuendi licen-

licentiam, Petri à Christo Domino defe-ctionem, Matthæi in telonio iniustas exa-ctiones, Zacchæi vsuras, Magdalenæ dede-cus, Paulum Christo reluctantem, Publica-num tantum post scelera ingemiscentem, latronem à cruce, quam flagitijs meruerat, cælo donatum, aliosque complures, quo-rum post lapsum restaurata virtus, multo-rum grauioribus sceleribus intactam inno-centiam superauit. Adhæc demonstrat ne-minem, aut raros admodum esse, qui non a-liquando in turpiora sint prolapsi. Denique; si nos ipsos inspicere velimus, indigniora forsan inuenturos, quæ inter nos & Deum sint transacta: à quo tamen solo verum om-ne, & quod falli non possit, de omnium statu iudicium, non ab hominum coniectu-ris dependeat: hominum enim plerumque ea est cæcitas, vt non raro cum flagitioso negotium se habere existiment, cum tamen ille, de quo tam sinistre suspicantur, sit sæpe in paucis Deo gratissimus. Et quamuis in nobis ipsi grandiora scelera non depre-hendamus; hoc ipsum tamen propriæ sa-pientiæ ac industriæ acceptum ferre nec de-bemus, nec possumus: sed soli Dei miseri-cordiæ. Quid ergo in aliena virtute ac beneficentia gloriamur, quæ si nobis negaretur, multo nos ijs, qui pluri-

bus

bus criminibus sunt obnoxii, imbecilliores esse deprehenderemus? Si ergo prolapsi nondum sumus, soli hoc Deo nos debere profiteamur. Si proximus in peccatum præcipitauit, iusto illum Dei iudicio, etsi occulto, destitutum, lugeamus: luctuosamque hanc eius ruinam cum commiseratione audientes, pro ijs, qui in peccatorum sordibus infixi hęrent, Deo supplicemus.

Considerationes quædam ad humilitatem excitantes.

I. Quoties te propriæ virtutis opinio vanæ gloriæ fastu efferet, oculos in sinum tuum conuerte: inspice vitæ anteactæ turpitudinem, criminum tuorum multitudinem, & atrocitatem, ingratum in Deum animum, toties illius imperia detrectando proditũ supplicia quæ sæpenumero meruisti, quam leuibus, aut nullis tua sponte susceptis pœnis tot tantaque peccata expiaris, exiguam pœnitudinem ac satisfactionem, tuis tantis debitis imparem.

II. Oculos in cælum attolle, & cogita, tantum te esse, nec maiorem, tantaque nec ampliori laude dignum, quam sis apud summum illum omnium inspectorem ac iudicem

cem Deum. Facile est mortales omnes in iudicando errare; sed Deus est qui errare nunquam potest: à cuius proinde suffragio vera omnis ac infallibilis de nostra dignitate æstimatio exspectanda, cuius sententia omnis est exellentiæ mensura.

III. Frequenter tecum huiusmodi sententias repete, easque alte animo inprime: Quo apud te fueris humilior, eo eris apud Deum altior; quo hic minor, hoc ibi maior; quanto hic depressior, tanto futurus in æternitate eminentior; quãto hic obscurius latueris, tanto ibi clarius emicabis; quanto hic pauperior, tanto ibi opulẽtior; quo mundo cõtẽptibilior, eo apud Deũ dignor; quo in hac vita ad ima magis descenderis, hoc in altera sublimius fastigium conscendes, quanto hic despiciere indignius, hoc apud Deum suspiciere gloriosius; quãto inter homines neglectior, tanto apud Deum carior; quo remotior à diuitijs mundique fastu, hoc vicinior Deo eiusque thesauris; quanto hic insipientior, tanto à Deo sapientior æstimabere; quanto hic opinione hominum vilior, tanto Dei existimatione pretiosior. Tantum à mundi iudicijs discrepant Dei iudicia: illa temporaria, incerta, inconstantia; hæc perpetua, infallibilia, ac in æternum numquam immutanda.

IV. Im-

Digitized by Google

IV. Inquire quem in vniuersali illo mundi tribunali, locum sis occupaturus, quamque in te incorruptus ille omniũ iudex prolaturus sententiam. Hæc omnem tuum fastum deteget, animi elationem toti mundo palam faciet, ac numquā desituris ignibus excoquendam addicet: quidquid modo abditum, proferetur; quidquid animi latebris occultum, explicabitur; fronti fucus, menti simulatio, peccatis inuolucra detrahentur. nullæ cogitationes tam abstrusæ, nulla scelera tam recondita, quæ ibi omnium hominum, angelorum ac dæmonum oculis palam conspicienda, non explicabuntur.

V. Non eos fatuos ducis qui alienas opes, pulchritudinem, ingenium, dignitatem, vestes, gemmas, tamquam propria illa habeant, ostentant, ijsque gloriantur? vide quid ipse proprium tibi possis asserere, cuius non aliquando rationem minutissime reddere cogere. quam insanus ergo qui donis à Deo mutuatis, tantum insolescis! quæ non magis tua possis dicere, quam vestem tibi ad breuem vsuram ex alienis scrinijs commodatam.

VI. Nonne mendicum illum insanum arbitrarere. qui quod in scena regis personam, apparatu à chorago mutuato, susti-

ſuſtinuiſſet, arrogantius ſe efferret, ſeque tamquam regia ſtirpe prognatum regem, colendum habendumque crederet. Par huic omnium ſuperborum eſt inſania, quid enim vita hæc, æternæ collata aliud quam comœdia aut ludus ſcenicus, in quo alius regem agit; alius ſeruum diuitem alter, alter mendicum? Immo hiſtrionum in ſcena regna, ſi cum vita noſtra comparentur, multo ſunt diuturniora quam vlla vitæ noſtræ ſpatia, æternitati compoſita. Infinitum enim inter hæc diſcrimen.

VII. Quæ tibi, vt ſupra alterum te efferas occaſio? corpus omnibus commune, eodem ex luto formatum, & in idem breui diſſoluendum. anima item communis ab eodem vnaquæque conditore, eadem conditione creata, quam idem ſeruator in libertatem aſſeruit, eodemque pretio redemit.

VIII. An quia inter homines honoratior aut opulentior, ceteris te meliorem æſtimas? Memineris (& ita reipſa eſt) honores ac diuitias tibi tantum conceſſas ad fidelitatem tuam in ijs diſpenſandis, Deo probandum: cui, quo hæc am-

modo ac deinceps in altera vita magnũ honoratumque esse, ita difficile est, vt sperari vix possit. è millibus centenis vix vni contingit. Liquet hoc in Sanctorum, ac præsertim in Christi Domini vita: nec alijs testibus ad hanc veritatem adstruendam opus. Deus ipse disertis verbis affirmat: *Qui se exaltat, humiliabitur. & qui se humiliat exaltabitur.* ex quibus quod inter hæc duo sit discrimen discimus. elige vtrum mauis, temporariam humilitatem, cum æterna dignitate; an decus ad breue tempus perdurans, cum æterna ignominia. *Luc. 14. & 18.*

XI. Quotiescunque arrogantibus cogitatationibus animum concitari senties, cogita vltimam forte esse hanc vitæ tuæ horam, momentum supremum rationibus Deo referendis designatum, momentum inquam, à quo seu beata, seu calamitosa æternitas pendeat. Quæ tibi in tanto discrimine occasio vllius gloriolæ fumum captandi? Imo quæ non rationes in tanta anxietate & pauore ad profundissimam animi demissionem excitantes suppetunt.

XII. Inquire etiam vbi modo sint plerique eorum qui toto orbe fuere nominis gloria clarissimi; & vbi ij, qui generoso famæ contemptu, mundo ignoti latuere: mentis oculos in immane inferiorum præcipitium

deijce,

deijce, indeque ad ſublimia beatorum ſubſellia attolle, & conſidera, qui tam diuerſis ſedibus diſtinguantur. Breuis hæc cogitatio omnem ſuperbiæ tumorem animo exprimet.

XIII. Perpende horribile angelorum ruinæ exemplum. quos vnica ſuperbiæ meditatio cælo deiectos inferorum ſupplicijs numquam intermorituris, in omnem æternitatis infinitatem mancipauit, omni ſpe clementiæ, ac liberationis obtinendæ aut pœnæ vmquam minuendæ præciſa.

XIV. Ito per omnes, quos tum ſacræ, tum profanæ hiſtoriæ ſuperbiæ vitio infectos commemorant, nec horum quemquam ſeueram in ſuperbis deijciendis Dei manum effugiſſe inuenies. Eandem tu expaueſce ſi viam eandem inſiſtis; eædem enim viæ ad eoſdem exitus ducunt.

XV. Conſidera celeberrimorum Sanctorum in humilitate, tamquam opulentiſſimo theſauro, conquirenda ſtudium ac induſtriam ſingularem, quam illi modo ampla laboris præmia, percepere! quam alte in cælo collocati, quanta etiam inter homines dignitate conſpicui! Quis vſquam modo tanta potentia, opibus, dignitate, ſapientiæ fama, variarum linguarum, artium, ſcientiarum peritia, robore corporis, pulchritudine,

Digitized by Google

tudine, ingenio: quis item potentissimorum principum, regum, Imperatorum, qui non Pauli, Hilarionis, Antonij, Francisci conditionem suæ præponat? nemo est qui horum gloria frui non concupiscat. sed tædet laboris sudorisque, quibus illi eam sibi peperere. Nulla tamen citra pugnam victoria; sine labore, nullum præmium, nec sine innocẽtia, submissione, patientia, cælestes corollæ comparantur. sola enim animi demissio est, quæ viam & adscensum ad cælum sternit: vt ex aduerso superbia ad angelorum ruinam præcipitium aperuit.

XVI. Adspice Virginem Deiparam, quam illa se toto vitæ suæ cursu paruam, vilem, abiectam, humilemque gessit. quæ quamquam Dei mater, cœlorum Regina, Beatis ac angelis omnibus sanctitate excellentior; se tamen infra omnes angelos ac Beatos sua existimatione deprimebat. Huic te Matri, Virgini, Reginæ compone, si audes, & te tuæ atrogantiæ pudeat pigeatque, cum tantam cælorum Reginæ, Deique parentis humilitatem intueris.

XVII, Perpende Christum Dei filium pro te hominem factum, Saluatorẽ, ac liberatorẽ tuum. Inspice vitã ipsius plenã contẽptu, despectione, ignominia, omnis generis iniu-

rijs

rijs & opprobrijs exercitatiſſimam, omniũ imperijs ſubiectam. Intuere crucem illius, paſſionem, tormenta, corporis deformationem, & deſpectum: quam accerbas in his cõtumelias pertulit, quam amara ſcommata audiuit! Aſpice eum inſtar viliſſimi vermiculi deſpectum, ſputo fœdatum, calcibus protritum, verberibus laceratum, ac quaſi omnium diris deuotum portentum, feritate pluſquam belluina tractum, raptatum, conciſum. & hic Deus tuus eſt. Non pudet vel ſupra hominum vltimum caput extollere; cum Deus tui cauſa, vt faſtum tuum frangat, omnibus ſe homininibus ſubijciat, beſtiæ habitus quam homini ſimilior? Si alia vlla nobis commodior ad cælum patuiſſet via, anne tam indignam ſubiectionem Deus elegiſſet? Si ad regnum æteruum per corporis commoda, honores, voluptates, opes, aditus planior fuiſſet, cur ſuprema infinitaque Dei ſapientia, tam facile ac expeditum iter viæ longe moleſtiori poſtpoſuiſſet?

XVIII. Quoties animum tuum ſuperbiæ ſtimulis concitari ſenties, hiſce ſimilibuſque verbis teipſum compella: Quid ſuperbis ô lutum, quid extolleris vile figmentum, cui iam iam mors imminet, Dei tribunal inſtruitur, inferni ignes præparantur? Quid extolleris miſer nullo mortalium nec anima

nec

nec corpore dignior? non alio Chriſti ſanguine quam cæteri omnes in libertatem aſſerte? non ad ampliora quam cæteri virtutis præmia, nec ad mitiora ſcelerum tormenta deſtinate? quid alienis honoribus ac opibus, tanta cura quæſitis, tam ſero partis, tanta anxietate ſeruatis, tam breui repetendis. quarumque diſpenſationem tam minutim ad calculos ſcis reuocandam, inſoleſcis? Quid alteri te præfers, quo fortè in Dei ęſtimatione multo es indignior, ac in ęternum ſine comparatione futurus inferior? cuiq; forſan, ſi perpetuo famulari poſſis, beatũ te duces. Imo forſan indignus reperiere, cuius pedibus tota æternitate ſubſternare.

DIES SECVNDVS.

Beatiſſima Virgo cognatam ſuam Eliſabeth viſitat.

1. MAria audita angeli legatione, Dei filium, humana iam carne veſtitum vtero geſtans, Spiritu ſancto ſuadente, abit viſitatura Eliſabeth cognatam ſuam, Primus hic humilitatis effectus, & egregiũ cæterarum virtutũ fundamentum. Ipſa Dei mater, adhuc Deo grauida viſit Eliſabethã, quæ Ioannem Baptiſtam vtero gerebat. quę hic comparatio inter Dei parentem, tanto ſuper homines omnes, ac angelos dignita-

tis interuallo conſtitu am, ac Eliſabeth Io
annis matrem? quæ Deum inter & Ioan
nem æqualitas? Ipſa tamen Deipara vt Eli
ſabetham viſat, ipſique inſeruiat, pergit; no
tantũ Domini, ſed etiam cognatæ ſua ſpo
te ancilla effecta. vbi noſtra humilitas? qu
do nos minimi eſſe, taleſq; haberi optamu
tutiſſima tamen hęc ad beatitudinẽ ſemit

II. Eliſabeth admiratione obſtupefac
Lucæ 1. clara voce exclamat, *Vnde hoc mihi, vt v
niat mater Domini mei ad me? & Bened
cta tu inter mulieres.* Aduerte hic inſigne
ſui cum alterius prædicatione deiectione
quæ admodum iis neceſſaria eſt, qui via
virtutum ingredi meditantur: his enim
mnino neceſſe ſe ſuaque omnia, non ling
& verbis tantum, verum intimo animi ſe
ſu deſpicere ac vilipendere, aliorumque v
tutem magnopere laudare, quæ certiſſi
tutiſſimaque eſt via ad virtutem.

III. Singula Cantici glorioſiſſimæ V
ginis capita percurre.

1. *Magnificat anima mea Dominum.* D
ce dum ab aliis laudaris, omnem laud
Deo adſcribere, ipſique ſoli bonum om
acceptum referre, qui vere ſolus eſt om
boni auctor & largitor.

2. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalut
meo.* Non exultat in excellentiſſimis d

b

bus; quibus eius animum & corpus Deus inſtruxerat; ſed in Deo ſalutari ſuo bonorum omnium largitore. vide quam ab hoc Virginis ſenſu mores tui diſcrepent: contende deinceps vt Dei genitrici ſis, quam mundi ſectatoribus ſimilior; qui opibus, honoribus, voluptatibus, inconſtantique proſperitate gaudentes, æternis miſeriis plerumque breue ſolatium penſant.

3. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Non ſufficiebat beatiſſimæ Virgini, audiente angelo, ſe ad ancillæ vſque humilitatem deieciſſe: en hic iterum, coram cognata, ancillam ſe facit, cumque ab Eliſabetha Domini mater ſalutetur, ſeſe conſtanti humilitate famulam profitetur. Imitare hanc animi ſubmiſſionem, ſi aliquando exaltari deſideres. non eſt enim alia extra humilitatem, ad gloriam via

4. *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Merito ab omnibus beata dicitur, quæ inter omnes iis rebus locupletiſſime inſtructa erat, quarum poſſeſſio Dei iudicio homines beatos reddit. 1. Erat ſpiritu pauperrima; & ideo ſuper omnes cælos potentiſſimæ reginæ dignitate decorata. 2. Mitis erat, ideoque terram poſſidebat, id eſt, in corporis ſui ſenſus commotioneſque, nullo reluctante, dominatum tenebat. 3. Lu-

gebat tantam ſcelerum colluuiem, & hinc frequentibus è cœlo ſolatijs perfundebatur. 4 Eſuriebat & ſitiebat humani generis redemptionem, qua in mirabili illa hominis cum Deo reconciliatione, per filium ſuum perfecta, cumulate ſatiata fuit. 5. Miſericors erat, vnde deſcendit in ipſam immenſa ac inexhauſta Dei miſericordia, quæ diuinis illam muneribus cumulauit. 6. Erat pacifica, & hinc ſupra omnes Dei filios inſigni prærogatiua Dei filia nominata fuit. 7. Erat mundo corde, mundiorem enim nunquam virginem mater genuit, in qua virgineam puritatem cum materna fœcunditate Deus inaudita ſocietate coniunxit; quapropter Deum modo clarius intuetur, quia Deo in hac vita ſupra omnes caſtius miniſtrauit. 8. Nec defuere integerrimæ virgini triſtia quæ toleraret, cum animum ipſius acerbiſſimus ille gladius toties tranſfixit: & hinc æternæ gloriæ diademate redimita, modo ampliſſimum inter omnes, qui aduerſa pro iuſtitia pertulere, regnum in cœlis poſſidet.

5 *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Illam ex omni muliebri ſexu ſelegerat in virginẽ & matrem, quod ante ipſam conceſſum nemini, nec in poſterum vlli concedetur.

6 *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Maiuſne opus

opus vnquam ab æterno Deus molitus eſt, quam cum diuinæ ſuæ ſublimitati humanæ carnis infirmitatem coniunxit? cæli terræque molitio nulla ex parte cum huius operis magnitudine conferri poteſt. Verbo vno cælum & terra create ſunt; ſed vt Deus homo exiſteret, dixit multa Deus & fecit: primum namque in arcano diuinitatis concilio opus hoc deſignauit, deinde ſuo tempore Angelum Gabrielem ad Virginem legauit: hic Virgini ſumma cum reuerentia ſalutatæ, diuinam voluntatem aperuit: eius conſenſum in hoc opus approbationemque exſpectauit: tum Spiritus ſanctus ex puriſſimo Virginis ſanguine Chriſto corpus figurauit. Quodlibet horum in ſe miracula complura naturæ vires excedentia complectitur; & ſi penitius opus hoc inſpicere velimus, ſuiſque momentis examinare, reperiemus totam mundi conſtructionem, nullo modo cum huius magnitudine, Deique in eo efficiendo molitione conferri poſſe. Quid enim Deo facilius quam cælum & terram vnico nutu condere? imo tot quot voluerit cæli ac terræ globos? nihil ei in hoc difficile, nihil quod reluctari poſſit, nihil quod diuinam eius, maieſtatem deprimere queat aut humiliare; imo (ſi humano more loqui velimus) multa in nouorum mundo-

rum conſtructione erunt, quæ ipſius ma
gnificentiam potentiamque magis intelle
ctui humano explicent. At quod ſuprem
illa Dei maieſtas eo ſe ſubmittat, vt viliſſi
mæ rei à ſe creatæ naturam, carnis & ſan
guinis nexu induat, omnem intelligentiar
ſuperat: nec enim concipi poteſt, quomod
infinitum illud ſupremumque numen, tan
tum ſe abiiciat, vt eo, quod in animantibu
eſt ſordidiſſimum viliſſimumque, corpo
nempe mortali, veſtiri non dedignetur: i
que ſolum vt hominibus ſalutē, quam ip
proprio ſuo ſcelere extinxerant, ſua beni
gnitate iterum reſtituat.

Hic tecum perpende frequenter, quid t
cauſa Deus præſtiterit, & quid præſtet mu
dus: quid à te Deus exigat, quid ei debea
quantum amorem, quātum cultum, qua
tam obedientiam, denique quam ſedula
vitæ morumque imitationem; cum om
ſua vita continuum nobis dederit ad bea
tudinem conſequendam exemplum & i
citamentum.

7. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: &*
poſuit potentes de ſede, & exaltauit humil
Conſidera, quomodo à mundi exordio
perbi ab eo fuerint diſperſi, 1. Angeli. 2 B
bylonicæ turris architecti. 3. Pharao to
que Ægyptus. 4. Nabuchodonoſor cu

Balth

Balthaſare filio. 5. Holofernes. 6. Antiochus & Nicanor. 7. Horodes aliique complures. vide contra humiles ab eo exaltatos. 1. Abraham, Iſaac, Iacob. 2 Iſraelitas cum Moyſe à Pharaone oppreſſos. 3. Iobum & Tobiam. 4. Iudith & Heſter. 5. Danielem cum ſociis. 6. Iudam Macchabæum eiuſque fratres. 7. Beatiſſimam matrem ab humillima deiectione, ſupra omnes mortales exaltatam.

8. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Quis vmquam auidiore, quam Deipara fame Dei amorem ac virtutem, verum propriumque animæ paſtum appetiit? quo qui caret, cadaueri, quam animanti ratione prædito eſt ſimilior. Quis etiam abundantius hoc cibo nutritus, quam beatiſſima hæc mater, quæ referta omni è cœlo gratia, ipſam inſuper Dei bonitatem infinitam corpore complexa eſt? *Diuites dimiſit*, nec enim regis filiam in matrem elegit, quæ plerumq; (vt paſſim diuites) ita vilibus fluxarum opum deliciis refertę ſunt, vt nullus cæleſtibus locus ſuperſit. Conſidera quibus tu animæ ſinum diſtentum habeas. Inquire quid ſapiant cogitationum ſecreta, quid dictorum factorumque ſpiritus oleat. Hæc enim plerumque eum quo plenus eſt animus odorem ſpirant. Vaſa non

alium quam quem continent liquorem fundunt.

IV. Conſideranda hic illuſtria duo Chriſti Domini opera. 1. Inſigne veræ ſubmiſſionis exemplum, cum ipſe Rex regum ac Dominus dominantium, cum ſanctiſſima Matre, ad Eliſabetham Ioannemque prodromum ſuum viſitandum, pergit. quod factum noſtram vilitatem ad imitationem & ſuperbiam noſtram ad verecundiam inuitat. 2. Illuſtre diuinæ liberalitatis argumentum, cum tam amplo præuenientis gratiæ ſuæ munere Ioannem eiuſque matrem Eliſabeth Chriſtus ditauit. quo docemur, quanta Deus munificentia humilitatis ſubmiſſionem ſoleat compenſare.

V. Ioannes adhuc matris viſceribus incluſus, omni quo poteſt modo ingentis lætitiæ ſignă prodit quo excitamur vt omni conatu, Deum cum humilitate quæramus. Quo inuento, incredibilem, animo voluptatē capiemus, præ cuius ſuauitate nobis omnis terrenarum deliciarum dulcedo amareſcet.

Hic iterum perpendenda Mariæ humilitas, quæ ab Eliſabetha, tam veris laudibus exornata, Deique mater ſalutata, ſe Domini ancillam profitetur, omniaque ſibi à cognata laudi data, Deo ſoli, ſibi nec minimū

adiici-

adſcribit. Quo docemur 1. nobis vbiq; ſemper veram animi demiſſionem quęrendam, optandumq; magis cum minimis negligi, quam inter maximos haberi: cum conſtet quo propria ſumus æſtimatione viliores, tanto nos eſſe Dei ſententia præſtantiores; quo apud nos ipſi minores, hoc apud Deum maiores, quo noſtro iudicio abiectiores, hoc Dei æſtimatione altiores. 2. Laudem omnem, quæ nobis ab hominibus tribuitur, Deo aſſignandam eſſe, qui ſolus omni laude & gloria dignus eſt, à nobis enim ipſi nihil præter peccatum & ignorantiam accepimus, præter quæ ne minimam quidem ſuperbiæ occaſionem in nobis vmquam inueniemus.

DIES TERTIVS.

De Chriſti Natiuitate.

1. COnſidero glorioſiſſimam Dei genitricem, obita ciuitate Bethlehem vniuerſa, neminem inueniſſe, à quo hoſpitium impetrare poſſet, & hinc coactam relicta ciuitate, ad commune iumentorum ſtabulum diuertere, vbi ſacroſancto partu, vnigeniti Dei filii mater effecta eſt. Vbi conſideranda.

1. Quanta patientia Deipara virgo, quamque libenti animo contemptum hunc

& repulſam tulerit. Vbi tua patientia? qu
tu contemptum aut reiectionem pac
potes animo tolerare? & tamen, quis tu,
quæ Dei mater?

2. Paupertas, quam præ omnibus mu
diuitiis Deus elegit. Quid tu amas, opes,
paupertatem? vtrum imitaris in alterut
electione, Deum an mundum? à quo
borum tuorum præmium exſpectas?
ius tibi iudicia prudentiora tutioraque
parent?

3. Inexplicabile ac incredibile gaudiu
quo in vnigeniti filii ſui natiuitate perf
eſt caſtiſſima mater. quæ lingua hoc ex
mere poterit? quæ intelligentia aſſequer
ſuperat omnem hominum ac angelor
dignitatem, matrem Dei effici.

4. Tua inhumanitas, qui toties Deo a
mæ tuæ hoſpitium præcludis? quan
cumque enim diuinos eius inſtinctus
gligis, ipſum ab animi tui diuerſorio re
lis: adſtat tum ipſe præ foribus, admitti
gitat, & tu diuinum hoſpitem abigis. D
ce à Magdalena, Zacchæo, Paulo, pulſ
ti vocantique Domino beneuole adit
aperire. Perpende quam cumulate ho
tis ſui beneuolentiam cæleſtis hic hoſ
compenſet, quibuſque muneribus ſu
omnes mundi gazas locupletet eos, cu
q

quibus ipſi hoſpitium eſt: quem ſi clamantem pulſantemque ſpreueris, fors tempus erit cum tu regiæ ipſius fores pulſabis, & intromitti ſupplicabis, ſed cum fatuis illis virginibus omni ſpe præciſa, excludere.

II. Defige oculos tuos in Saluatorem tuum Chriſtum recens ex puriſſima Virgine natum, & conſidera, omnique mentis, voluntatis ac memoriæ contentione, tam admirabilis myſterii opus expende:

1. Vnicum Dei filium hominem factum, non ſuo commodo, aut angelorum gratia; ſed *propter nos homines & propter noſtram ſalutem*. Quid nos in ipſius gratiam, & ad æternæ vitæ beatitudinem obtinendam facimus? Quid Deo ſimilia nobis obiicienti reſpondebimus? anne opum luxu, voluptatum blanditiis, honorum faſtu, cæteriſque laute viuentium commodis, ad cæleſte regnum viam nobis ſterni putamus? Aliud Deus verbo & exemplo docuit.

2. Incredibilem Chriſti Domini humilitatem, qui noſtri amore humana natura aſſumpta, naſci voluit in communi ſtabulo, iacere in præſepio tamquam futurus paſtus iumentorum, vt vel ſic ſuperbiam noſtram compeſceret. Si hoc ſpectaculo animi noſtri non deprimantur, quæ ſpiritus noſtros exempla frangent? Cogita Deum

eſſe qui in ſtabulo, in præſepi, inter bruta animantia, abiectus decumbit, & te tandem tuæ ſuperbiæ pudeat pigeatque.

3. Infinitum Dei amorem, qui ipſum è cælo in terras abduxit, carne noſtra & ſanguine veſtiri, nobiſque per omnia, citra peccatum, ſimilem fieri coegit, vbi noſter amor? vbi caritas? quas nos diuitias, quos honores, quas voluptates Dei amore abiicimus? Quem contemptum, quas contumelias, quæ opprobria pro Dei gloria, immo etiam ſalutis noſtræ cauſa ſuſtinere optamus? Quid ad hæc Deo in ſeuero iudicii examine ſumus reſponſuri?

4. Confer ſuauiſſimi huius pueri diuinam maieſtatem cum humanæ naturæ imbecillitate. Cæli cælorum ipſum non capiunt, & hic inter beſtias recumbit in præſepi. Hic, Verbum eſt, cuius poteſtatia conditi ſunt cæli & terra, & hic iacet puerilibus faſciarum vinculis conſtrictus. Quis ſe non abiiciat, cum ad tantam humilitatem Deum ipſum deiectum videat? Effectus eſt puer, vt nos doceat innocentia pueris ſimiles effici. Intuere lachrymas, ad tua peccata abluenda, per infantis pueri genas manantes. vbi tuæ lachrymæ, quibus tua ſcelera abluas, quæ Deo has ceteraſque lachrymas excuſſere? Vide quam prompta voluntate extremam pauper-

paupertatem ſit amplexus, & inquire num Deus, an mundus in ſua electione decipiatur. Deus paupertatem, mundus diuitias præoptat; cuius tibi melior, tutior, prudentior videtur optio? Vide quem imiteris, an mundum, diuitias, honores, voluptates perſequendo; an Deum, his præferendo paupertatem, deſpectionem, contemptum, caſtitatem: & ab eo laborum præmia exſpecta, quem vitæ ducem elegeris. Mundi enim partes ſequi, eiuſque parere legibus, & à Deo ſtipendium exſpectare, ab omni ratione longiſſime abeſt.

III. Auſculta angelos ſuauiſſimo carmine Deum in Chriſti ortu laudantes, ac hominibus bonæ voluntatis pacem felicitatemq; precantes. Nihil hominibus magni ingenii, raræ memoriæ, eloquentiæ, eruditionis, omnique ſcientiarum genere excultis precantur, nihil diuitiis abundantibus, faſtu elatis, voluptate circumfluentibus: quos ſæpe inter hæc cupiditatum blandimenta anxios continuoq; aduerſus Deum bello implicitos afflictoſque eſſe ſciebant; ſed tantum hominibus bonæ voluntatis. Obſeruemus quorum hic in numero ſumus, & 1. an iis qui bona ſunt erga Deum voluntate annumerari poſſimus à voluntatis enim integritate & ſanctitate, aſſidua-

duaque virtutum exercitatione omnis beatitudinis noſtræ exſpectatio pendet.

2. An pacem hanc animique tranquillitatem in nobis inueniamus, quam hominibus bonæ voluntatis hic angeli precantur: ii enim quorũ voluntas deprauata eſt, & peccatis occupata, pace hac deſtituti continuũ in ſe diſſidium, & bellũ circumferunt.

Conſidera Angelorum lætitiam, qui noſtri cauſa, tam inuſitatis ſignis palam faciunt ſuam voluptatem, quam ex eo, quod nobis eſſet natus Saluator, conceperunt. Quam nos in hac natiuitate lætitiæ ſignificationem exhibemus? Quin immo in nos ipſi inquiramus, an non maiorem nobis pariant lætitiam temporaria mundi munera, honores, voluptates, quam æterna ac diuina: an non maiore nos gaudio afficiat, quantulacumque opulenti amici morte inſperato oblata hęreditatis portio; quam admirãda illa ſalutiferaq; Chriſti natiuitas, ex qua omnis noſtra in ęternũ felicitas pendet.

IV. Primi qui lætum hunc de Chriſto nato nuncium audiuere, primique eundem inuiſere, fuere paſtores. Vbi obſeruandum 1. Citius ad pauperes quam diuites lætos è cælo nuncios perferri, quia pauciora ſunt quæ in paupertatis ſolitudine, rerum cæleſtiũ nunciis obſtrepant. 2. Expeditius pau-

peres

peres animum ad diuina obſequia, quam diuites applicare. Hi enim opum ſuarum, honorum, deliciarumque immerſi profundo ægre caput aut oculos ad cæleſtium diuinarumque rerum conſpectum attollunt, prægrauibus periturarum rerum ſollicitudinibus depreſſi; cum contra inopes his omnibus expediti, nullis à Dei cultu impedimentis arceantur. 3. Indicia, quæ Deum paſtoribus quærentibus oſtendere, fuerunt puer, faſciæ, panni, præſepe, ſcrutare quid in te natiuitatis Chriſti indicium faciat: an ibi reperias puerilem innocentiam, faſciarum vincula effrenem cupiditatem voluntatemque frenantia; ſtudium paupertatis, veræ animi ſubmiſſioni coniunctæ: nec enim aliæ ſunt à Chriſti via ad ſalutem ſemitæ. ab hac qui aberrat, ab æterna quoque ſalute aberrat.

v. Conſidera diſcrimen inter Deum & mundum, homines Deum ac mundum ſectantes.

1. Deus rerum omnium indigentiam amplectitur: mundus omnium affluentiam. cuius ſententia melior? cuius beatior cuius magis ſecura ac tuta? Quid ergo incertiora magiſque dubia certiſſimis ſecuriſſimiſque itineribus præfers?

2. Deus familiaritate & conſuetudine pauperum

perum & abiectorum delectatur, omnes mundanorum curæ ac cogitationes excellentiam, magnificentiam, faſtum ſpirant. Optas Deo familiaritate coniungi? dilectiſſimorum eius amicorum mores imitare: malis, Chriſti exemplo, cum pauperibus, quam locupletibus verſari. hi enim plerumque à Deo rerumque cæleſtium meditatione remotiſſimi.

3. Deus locum maxime ignobilem in quo naſcatur deligit; homines nobiliſſimum, ſplendidiſſimum, ac ornatiſſimum liberorum ſuorum natalibus deſtinant. & tamen quis Deus, & qui homines? cuius ſcientia maior, cuius iudicium melius, tutius, ſalubrius, Dei an hominum? examina cui credas, quem ducem ſequare; errare non potes Dei ductum ſequendo, errabis vt plurimum homines ſecutus.

VI Exerce hic internos animi ſenſus, & potiſſimum mentis oculis 1. aſpice cæleſtem hunc infantem inter beſtias in præſep o recumbentem, & ad tātam tanti numinis abiectionem obſtupeſce. Aſpice pulcherrimum hunc puerum, & eius amore animus in te liqueſcat; aſpice eius lachrymas, tibi abluendo, defluentes, eique & tu lachrymas tuas dolori ac deteſtationi criminum permixtas propina. Aſpice eius paupertatem, manſue-

manſuetudinem, patientiam, humilitatem, eaſque toto conatu imitare. Aſpice beatiſſimam pueruli matrem, eiuſque genas ſuauiſſimis lachrymis rorantes, ipſius modeſtiam; deuotum filio animum, ſupplicem reuerentiam, immaculatam caſtitatem, inflammatam charitatem. Aſpice attoniti Ioſephi ſollicitudinem, ſedulitatem, officium, pietatem.

2. Arrectis auribus auſculta quid loquantur MARIA, Ioſeph, Angeli, Reges: audi quid clamet ſtabulum, præſepe fœnum, extrema hæc pauperies: audi quid puerulus madens lachrymis, ſuſpiriis anhelus, in corde tuo clamet: & ſi nihil dum intelligas, conſtanter ad has Chriſti cunas aſſiſte, & ſedato animo opperire donec eum monentem, & ad virtutem inuitantem exaudias, quem vbi audieris, continuo omni mora reiecta, monita eius exequere.

3. Odorare cæleſtem quem puer hic ſpirat odorem, vniuerſum ſtabulum replentem, odorare virtutum eius ſuauitatem, cælum ac terram complentem: & conſidera quam execrabilem graueolentiam, peccatorum mortalium fœditas exhalet, cum vnius lethalis culpæ tam dirus ac virulentus ſit fœtor, vt robuſtiſſimo homini examinando ſufficeret vel tenuiſſimus eius afflatus,

ſus, ſi corporeis naribus percipi poſſet. Percurre putidiſſimos tabidarum rerum halitus: nihil in his tam viroſum, etiamſi quidquid vbique putidum reperitur commiſceas, vt vel cum vnius peccati mephiti comparari queat.

4. Interno guſtatu, myſterii huius ſapiditatem percipe. Quid virtute huius puſionis ſapidius? quid hoc cibo ſuauius? quid vberius mentem voluntatemque exſatiat? nam vt ſcelus & impietas, omni felle amariora, ſic virtutes quouis melle ſuauiores ſapidioreſque. Quare cogita, huic infanti eandem vim ineſſe, quæ delicatiſſimis cibis, quibus qui dum coquuntur, adſtant, gratiſſimo eorum nidore complentur, & quodammodo paſcuntur. nam qui ad præſepe huius infantis pueri inter iumenta decumbentis cum beatiſſima eius matre aſtiterit, ſuauiſſimo virtutum eius ſpiritu ac nidore etiam implebitur ac reficietur.

5. Tactu interiore amplexuque continge hoc ſtabulum, præſepe, fœnum, pannos, amplectere ac ſuauiare pedes diuiniſſimi pueri, eoſque lachrymis pœnitudine priorum criminum expreſſis ablue: tum ſinu puerum excipe, vlnis cum Simeone cõſtringe, pectori tuo applica, cordi tuo imprime, oſculare denique interiore animæ oſculo,

& con-

& continuo amoris illius ardore afflatus liqueſces. Interim præſepis duritiem obſerua, & hanc Bethleemiticam paupertatem cum tua mollitie & opibus confer. Ora demum potentiſſimum hunc puerum, vt animę tuæ facultates ita omni labe expurget, vt cum eo æternum in cæleſti eius gloria viuere merearis.

Conſiderationes quædam ad amorem paupertatis excitantes.

I. Diuitiæ ad cælum proficiſcentibus tantum impedimentum inferunt; vt facilius ſit camelum per foramen acus ingredi, quam diuitem in regnum cœlorum. Quis hoc crederet, niſi Deus ipſe præmonuiſſet? cuius verbis falſum ſubeſſe nequit, cum prima ſit ipſe veritas.

II. Opes earumque cupiditas magnum peccandi irritamentum ac fomitem ſuppeditant. immo ab his quidquid vbiq; eſt malorum promanat, ſicut ex fontium ſcaturiginibus flumina: quod antiqua hiſtoriarum monumenta, & quotidiana exempla ſat liquido demonſtrant. Nemini quia pauper eſt inſidiæ ſtruũtur, aut mors intentatur. furum, latronum, prædonum ſicæ ac tela non in pauperes ſed locupletes ſtringuntur: nulla bella, nullæ deprædationes, nullæ

nullæ innocentium oppreſſiones paupe-
tis ſtudio ſuſcipiuntur, nulla inter am
aut ignotos diſſidia, aut rixæ, inopiæ an
concitantur, nullæ poſt pauperum fune-
tes, nullæ ex inopis teſtamento here-
contentiones.

III. Diuitiæ ab omnibus prope San
deſertæ, abiectæ, repudiatę fuere, tamqu
grauiſſima virtutum impedimenta &
iter ad cœlum remorantur; paupertas
ſtudioſe ab omnibus quæſita, qui Chriſ
proxime ſunt ſecuti. teſtes ipſi Apoſto
celebriores deinceps ſingulis ætatibus C
ſti ſectatores.

IV. Deus magna ex parte amicorum
rum cariſſimos diuitiis exutos, ac hon
bus deſtitutos eſſe voluit, vt tutius & ex
ditius, nullis grauati ſarcinis, viam ad
lum capeſſerent. Liquido hoc præcipuo
Sanctorum ſuſcepta vitæ ratio comm
ſtrat. quorum exemplis quid aliud innu
velle Deus videtur, quam diuitias eſſe g
uiſſima, ad cælum iter habentibus, impe
menta.

V. Dei mater ad tantum à Deo dign
tis faſtigium delecta, ſuper omnes cæli
bes & angelorum ordines extollenda,
paupertate vitam egit. Si in opibus ad b
titudinem promerendam maius quam

paup

paupertate præſidium eſſet, anne matrem ſuam Deus, hoc ad gloriam ſuam amplificandam adiumento carere voluiſſet, quod tot nefariis, hoſtibuſque ſuis capitalibus indulget?

VI. Deus ipſe relictis opulentiſſimis cæli theſauris, paupertatem complexus eſt, qui in deligendo aberrare nullo modo poteſt, vti nec ii qui rationes ipſius conſectantur: at turpiter labi in delectu poſſumus, ſi cum mundo diuitias paupertati prætulerimus. Quæ iſta eſt amentia, tutioribus relictis, incertiſſima eligere? à ſecuriſſimis viis deflectere, & aberrantes ſemitas conſectari?

VII. Cogita, quid poſt hanc vitam homines pecunioſi ſecum auferant eorum quæ poſſederunt, quid eos amplius, quam pauperum vltimum, ex omni rerum abundantia comitetur. Capulus ligneus, ac vile linteum conſueta mortuorum eſt ſuppellex, & quamquam hæc ditioribus ſplendidiora cultioraque eſſe poſſint, quid ex hoc apparatu corpus aut animam afficit?

VIII. Quid opes ſuis poſſeſſoribus finita hac vita conferunt, quam quod eos ad exactiorem adminiſtrationis earum rationem Deo referendam adigant, grauioribuſque oneribus ac anxietatibus miſeram animam opprimant? hic fructus omnis & emolumentum,

mentum, quæ fluxa hæc mundi bona proferunt, quibus cui frui adlubeſcit, ea incommoda exſpectanda.

IX. Et quem etiam in hac vita opulenti ex opibus ſuis fructum colligunt, præter epulas paulo delicatiores, ſplendidiorem veſtitum, habitationem ampliorem? Quid in his tam eximium atque excellens? melione vtitur valetudine corpus quotidie exquiſitis epulis refertum? Saniuſne & robuſtius eſt, maior auri, argenti, gemmarumq; nitore excultum? Immo non vides eos plerumque qui viliore tenuioreque victu defunguntur, cum vulgari cultu corporis, valentiores firmioreſque exiſtere?

X. Quid ſi optio daretur, eligereſne hic ad tempus pauperem vitam, ac deinceps in perpetuum locupletem? an contra, poſt breuiſſimi temporis diuitias, æternam egeſtatem? non quod hæc infallibili ſemper ordine ſibi ſuccedant; ſed quia plerumque poſt paupertatem ſponte Dei amore ſuſceptam, æternæ in cælo diuitiæ conſequantur, vt Sanctorum exempla demonſtrant: & poſt opulentiam huius vitæ, vt diuiti illi euangelico accidit, æterna indigentia vt plurimum ſit exſpectanda. Inæqualis admodum illa eſt commutatio, exigua perituratum opum poſſeſſione, æternarum iacturam facere:

breui

breui euaneſcentium rerum vſu, æterna hæreditate excidere, & pro incerto paucorum annorum fructu, ſempiternum omnium bonorum detrimentum ſuſtinere. Quis vnius anni opulentiam velit extrema reliquæ vitæ paupertate redimere? Maior eorum amentia, qui terrenarum opum cupiditate periculum æternæ felicitatis amittendæ adire non reformidant.

DIES QVARTVS.

Circunciſio Chriſti.

I. CONſidera acerbam hanc circunciſionem, Chriſto nullo modo neceſſariam fuiſſe, quippe qui ea lege, quæ omnem ſtirpis Hebrææ maſculum ad hanc adigebat, ſolutus eſſet; voluit tamen hac tolerata, exemplo nobis eſſe, non ſola neceſſaria, & ad quæ adſtringimur, Dei amore eſſe ſubeunda; ſed ea etiam omnia quæ vlla ratione eius gloriam promouere & amplificare poſſunt. Examina teipſum qua cura in hoc Chriſtum imiteris: an non frequenter etiam illa negligas, quæ tibi ad beatitudinem promerendam ſunt neceſſaria.

II. Obſerua virtutes in hac circunciſione elucentes. I. Obedientiam, ſubmittit enim ſe ſponte ſua Chriſtus legi Moſaicæ, qua tamen nullo modo tenebatur noſtri cauſa gra-

ſa grauiſſima quæque in ſe ſuſcipit, nos etiam leuiſſima ſubterfugimus. attende quomodo eis obtemperes, quorum te imperio ſubiectum agnoſcis, ſicque tecum ratiocinare. tantum te à Dei liberalitate diſcedere, quantum ab obedientia Chriſti deflexeris.

2. Humilitatem. non enim ſubterfugit peccator haberi, cum in corpore ſuo illam ſectionem admittat, qua tamquam peccati ſtigmate ſoli peccatores ex diuino decreto ſignandi erant. Nos quamquam peccatores ſimus, iuſti haberi volumus, indignamurque non leuiter, ſi quem minus bene de nobis ſentire, quamuis vere & ex merito noſtro, aduertamus. Quantum diſtamus à Chriſti humilitate, tantum certe ab ipſius vitæ imitatione abſumus.

3. Patientiam in prima hac ſanguinis effuſione. Vbi noſtra patientia? poſſumuſne, non dico, verbera aut necem æquo animo, ſed dictum paulo aculeatius tolerare? Quantum ergo abeſt, vt ſanguinem noſtrum pro illo hilariter profundamus?

4. Amorem noſtri, quo incenſus liberationis noſtræ negotium tam cupide promptèque aggreſſus eſt. Vide quam ardenter Deus tui amore ſaucius ad patiendum properet, quam vero grauate nos aliquid quod moleſtiam adferre poſſit ſuſcipiamus. imo

quam

quam operoſe omnem dolorem declinemus, cum Deus tam propenſa voluntate, acerbiſſima quæque, noſtri cauſa ſubeat. Perpende etiam quam cito Deus ſanguinem ſuum pro nobis profundat, quam autem tarde nos malis noſtris auertendis lachrymas profundamus, Vbi charitatis noſtræ ardor? aut in quo amor ſe noſter erga Deum prodit? Si illius igne corda noſtra arderent, quam citiſſime calor illius & ſplendor in apertum prorumperent.

III. Circunciſio hæc à Chriſto tolerata fuit, vt ab ipſo exemplum circuncidendi cor & affectum haberemus, reſecandique à nobis quidquid vitium aut impietatem ſapit, imo ea etiam omnia quæ tanta auiditate mundi ſectatores proſequuntur, quin & illa quæ animo noſtro maxime blandiuntur. Inſpice teipſum, & aduerte, quantum ab hac vitiorum cupiditatumque putatione abſis, & quam frequenter ſuperuacaneis & redundantibus rebus conquirendis occuperis.

IV. Suſcepta etiam hæc à Chriſto corporis ſectio, vt nobis eſſet ſymbolum caſtitatis: quantum ab hac virtute mundus diſtat, quamque parum eius dignitatem comprehendit? immo quam operoſe cogitationes omnes & ſtudia variis libidinum irri-

tamentis excogitandis impendit? Hic obſerua 1. inſignem caſtitatis pulchritudinem, quæ ceteras inter virtutes maxime cæleſtis virtus dici meretur; quippe in ſingulis, qui iam cæli poſſeſſionem accepere aut adhuc ſunt accepturi, omnibus ſuis numeris abſolutiſſima in perpetuum efflorebit.

2. Huius virtutis vtilitatem. quæ humanæ vitæ ſpatia prorogat, corpus confirmat, aciem mentis acuit, magnam ſecum animi tranquillitatem adfert, hominemque ad omnia virtutum exercitia obeunda promptum expeditumque reddit.

3. Neceſſitatem caſtitatis. etſi enim à Deo quoque matrimonii ſocietas ſit inſtituta, nunquam tamen abſque omni caſtitatis præſidio iura illius inuiolata ſeruari poſſunt.

4. Obſerua virtutis huius præ ceteris prerogatiuas.

1. Amatores ſuos in hac vita perfectiores Dei imitatores efficit, ac in altera, vt clariore eius conſpectu perfruantur, altius euehit.

2. Proprium eos carmen docet, quod ſoli caſti inter beatos, in perpetuo cæleſtis agni comitatu, decantabunt.

3. Sectatores ſuos in terris ad cæleſtem angelorum vitam conformat.

4. Tam

4. Tam arcto amoris nexu Deum cum caſtitatis amatoribus deuincit, vt ob ſingularem, quam è caſtitatis dignitate ac pulchritudine voluptatem Deus capit, indiuiduam cum caſtis mentibus familiaritatem ineat, quam frequentibus congreſſibus, amicis colloquiis, aliiſque amoris ſignificationibus fouere, nunquam intermittit. quod multarum virginum admirandis exemplis luculenter comprobari poteſt.

5. Præmium huius virtutis, quod tanto in cælis excellentius, tãto dignius eſt, quanto in hac vita eius cuſtodia difficilior, corpori moleſtior, naturæ propenſioni, vulgique moribus magis aduerſa,

6. Præſidia conquire ad Angelicam hanc diuinamque virtutem comparandam. quorum potiſſima ſunt, circumſpecta occaſionum fuga, frequens oratio, ieiunia, corporis afflictationes, aliaque ſimilia, quæ Sanctorum plerique ad hanc virtutem obtinendam vſurparunt. Attende quid non fecerint, quid intentatum reliquerint, quas non corpore moleſtias ſuſtinuerint, quot precibus, ſuſpiriis, lachrymis à Deo robur ad hanc virtutem conſeruandam impetrauerint. Tu vide quantum contendas ad idem decus promerendum.

V. Conſidera ſacratiſſimũ IESV nomen,

quod Saluatorem liberatoremque ſignificat, Chriſto impoſitum.

1. Quia ipſe nos liberat ab hereditario illo corruptæ naturæ piaculo, cuius indignitas omnes cæleſti patrimonio ſpoliatos mancipia cacodæmonum effecerat. Quanta vel vnius peccati grauitas!

2. Quia nos iis culpis, quas ipſi noſtro vitio contraximus, eripit, debitaque his, tum in præſenti, tum in altera vita, ſupplicia relaxat. quanta peccati malitia, quæ non tantum hic ad breue tempus; ſed etiam poſt hanc vitam in perpetuum pœnis obnoxia! quam nos obiter terribilem hanc peccatis præparatam caſtigationem perpendimus!

3. Filios nos & heredes Dei efficit, aditumque ad cælum, quem peccata noſtra obſtruxerant, aperit.

4. Nos æterno Patri ſuo reconciliat, quippe qui ſolus huius reconciliationis auctor eſſe poterat: nec enim aut hominum, aut angelorum vllus erat, qui Deum nobis placare poſſet, nec etiam Deus ipſe pœnis in ſe pro nobis ſuſceptis. cum mali nullius aut pœnæ capax ſit, debito quo tenebamur ſatisfacere poterat. Deus idem & homo eſſe debebat, qui quod erat diuinæ iuſtitiæ decreto iudicatum, perſolueret.

5. Cæleſtibus nos virtutibus ac muneribus

ribus locupletat: cum quibus nihil conferri aut comparari poteſt: horum minima cælo ac terra dignitate ſunt maiora. & quam parum à nobis, vt hæc impetremus, laboratur? cum nullum ſubterfugiamus laborem, vt fluxa hæc & peritura adipiſcamur.

6. Sunt in hoc nomine omnes cæli theſauri reconditi, omnes Sanctorum deliciæ, iuſtorum omne ſolatium: vnde quicumque IESVM vere amas, & ab eo amaris, merito dicere poteſt. Vnus IESVS mihi inſtar omnium eſt, IESVS mihi in infirmitate ſanitas, in fame ſatietas, in ſiti fons aquæ viuæ; opulentia mea, in paupertate; requies, in defatigatione; robur in imbecillitate; ſuauitas omnem amaritudinem temperans; ſapientia omnem meam ignorantiam erudiens: peccatorum meorum expiator, tentationum depulſor, lux noctem meam illuminās propugnator aduerſus omnes hoſtium inſultus, fortitudo mea, perfugium meum, defenſor & cuſtos meus, Dominus meus, Deus meus, Pater meus, animæ meæ ſponſus, qui me à morte ad vitam reuocabit: ipſe mea intelligentia, mea memoria, mea voluntas, cor meum & omnia, extra quem nihil deſidero, nec quod deſiderem, inuenio.

DIES QVINTVS.

Magorum adoratio.

I. COnſidera Chriſtum Dominum in ſtabulo cum beatiſſima Virgine matre ſua, nutritioque Ioſepho diuerſantem. Quære tibi ſedulo bonorum piorumque virorum ſocietatem, & omni conatu declina familiaritatem improborum, & quorum mores ac ſtudia mundum adhuc vanitatemque ſapiunt, quique ſua conſuetudine parum tuam probitatem promouere poſſunt: nullum enim ſeu ad virtutem, ſeu ad vitium potentius incitamentum, quam aut proborum aut improborum aſſidua familiaritas.

II. Aſpice ſtellam, quæ ſpem nobis facit, numquam fore vt nos Deus omni ad virtutem incitamento deſtitui patiatur, niſi nos magna ei obſtacula obiiciamus, aut nimia peccatorum frequentia ac grauitate tandem omnino ab eo derelinqui mereamur. Immo ſi penitius diuinæ prouidentiæ agendi modum expendere velimus, comperiemus frequentiſſime à Deo voluntatis noſtræ tarditatem piis adhortationibus inſpirationibuſque anteuerti, quibus eam ad virtutem vitæque innocentiam inſtigat. Quiſque ſuæ conſcientiæ ſecreta inſpiciat, vide-

videbit quam frequenti ſtellarum fulgore (hoc eſt internis animi illuſtrationibus monitionibuſque) Deus nos ab impietate ad ſe ac omnem virtutem abducere laboret. admitte has animo adhortationes, dum iis obſequendi adhuc tempus ſupereſt, dumque eas tam benigne Deus ſuppeditat; ne pronunciatum hoc in te quadret, Qui Dei monitus ad virtutem vltro prouocantis reſpuit, eos cum maxime volet, non impetrabit.

III. Multi in Oriente noui huius aſtri fulgorem aſpexerant, ſed ſoli Reges domo ac patria egreſſi, relictis amicis ac notis, ſtellam ducem ſecuti ſunt. Vide an tu, horum Regum exemplo, vt interioris ſtellæ facem, nempe Dei monentis inſtinctum, ſequaris, prompte quæ mundus in pretio habet, abiicias: an potius tuo commodo amicorumq; conſilio, quam Deo vocanti morem geras. Roga Deum vt ad ſe cor tuum ea efficacitate, qua Reges hos, pertrahat. Meditare quam multi à Deo vocentur, quamq; pauci ex his vocanti obſequantur. Quamobrem Deum maiore cum affectu precare, vt te electorum numero accenſeat, qui Dei inſpirationibus monitiſque obediunt.

IV. Reges hi ex remotiſſimis regionibus, ad Chriſtum venerandum profecti,

documento nobis ſunt, ne vllæ nobis viæ nimium ſint longæ, nec vlli nimium moleſti labores, in Deo perquirendo, quo inuento bonorum omnium cumulum inuenerimus. Inquire quid agas, vt hunc inuenias: an non tibi ſæpe ac labori parcas; an non maiori cõtentione ac ſtudio peritura mundi bona, quam Deum perſequare: an non grauiores tibi moleſtioreſque ſint labores, quos diuinis rebus, quam quos profanis impendis?

v. Phariſæi Saluatorem ſuum penes ſe habent, & tamen tamquam abſentem exſpectant: nec vt eum perquirant, quem iam aduenisse audiunt, pedem mouent. ſtudebant nempe magis Herodi tyranno quam Chriſto legitimo regi ſuo placere. Diſpice, an in ſalutis tuæ negotio gerendo, non etiam vereare magis hominum iudicia, & irriſiones, quam Dei vocantis auctoritatem. Caue ne hanc contemnas eiue obtemperare negligas, ne forſan inopinantem mors improuiſa opprimat, ac omne emendandæ vitæ ſpatium præſcindat.

vi. Quouſque Reges hi lucentis aſtri ductum ſequuti fuere, nuſquam aberrarũt: verum ſimul ac humanæ ſapientiæ conſilia quæſiuere, cæleſtem itineris ducem perdidere. quod & nos quotidie in nobis ipſi experimur.

perimur. quamdiu enim clara Dei monita, & indubios vocantis hortatus ſequimur, à recto virtutum tramite nuſquam deflectimus: aſt vbi deſertis cæleſtibus monitis, proprio iudicio mundique conſiliis niti incipimus, nos etiam à ſuſcepta ad virtutem ac beatitudinē via declinare comperimus; quoq; diutius ſapientiæ mundanæ ductum ſecuti fuerimus, eo à virtutum ſemita longius abiiſſe. vt enim à ſe diſtant quam maxime ſibique contraria ſunt terra & cælum; ita etiam longiſſime à ſe abeunt, ſibique inuicem ſunt omnino contrariæ viæ terrenæ & cæleſtes, terrena ac cæleſtis ſapientia, conſilia cæleſtia ac terrena: adeo vt vtraque idem perſequi nequeat; altera deſerat neceſſe, qui altera volet. Elige vtra malueris, vtrorumque optionem Deus in poteſtate tua poſuit.

VII. Stella Magos deſtituit, vti etiam ſubinde homines probos clarior ille cæleſtis ſolatii radius, dum denſior mentem caligo, ac triſtes nebulæ impediunt. quos ſi obortæ hæ tenebræ à virtutum ſtudio non abſtrahant, breui iterum erumpentem è nube cæleſtis lucis nitorem conſpicient dicentque cum Propheta, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Qua- Pſal. 93

 propter

propter patere æquo animo eripi tibi nonnunquam diuini ſolatii fructum, cuius modicam abſentiam magno fœnore Deus fidelibus ſuis amicis compenſare ſolet.

VIII. Quamuis ſe Magorum oculis ſtella ſubducat, non ideo tamen retro, vnde venerant reuertuntur; ſed doctos ac ſapientes, ſacroſque magiſtratus conſulunt, quorum ſapientia ſtellæ ab oculis ereptæ lumen ſuppleat. Imitare hos Reges, cum te paululum ſerenior illa diuinæ lucis flamma deſeruerit, cum tentationis nubilum mentis aciem obſcurarit, recurre ad magiſtrum rerum ſpiritalium ſcientia inſtructum: nec nimium tuo ingenio ac prudentia nitere, ne te ipſe in errorem abducas.

IX. Expende hic 1. Inſignem horum Principum fidem; qui tanta confidentia de rege Iudæorum, ſibi tamen incognito, quærunt. 2. Horum animi conſtantiam, qui nec Herodis, nec Phariſæorum conſpectu territi, ipſum tyrannum Herodem, de recens nato rege percunctantur: quod abſque euidenti vitæ periculo fieri non poterat. Sed ipſi à veritate indaganda nec bonorum, nec capitis diſcrimine deterrentur. examina hic tuam conſtantiam, & vide quam te leues ſubinde reculæ ab iis negotiis auocent, quæ ſalutem tuã magnopere promo-

uere

uere poſſent: immo & ab iis quæ ad eam conſequendã omnino ſunt neceſſaria, quorumque te neglectus in æternæ ſalutis diſcrimen adducit.

x. Conſidera Magorum munera: aurum, thus, & myrrham: aurum ſapientiæ, caritatis, & amoris eſt ſymbolum; thus orationis feruorem, perfectamque obedientiam deſignat; myrrha tum caſtitatem totum hominis corpus à corruptione liberantem, tum carnis macerationem omnes prauarum cupiditatum neruos incidentem. Auro Reges puerum hunc regem ſuum profitentur, thure Deum, myrrha eundem verum hominem teſtantur. Examina opera tua, & vide an hunc reipſa Deum tuum & regem profitearis: an non magis mundi in te dominatum teſteris, cum illi magis obedias, famuleris ac placere ſtudeas, quam Deo. cuius toties leges proteris, inſpirationeſque contemnis.

xi. Hæc regum munera, quæ fuere illuſtria fidei ac religionis ipſorum in Deum argumẽta, nobis exẽplo eſſe debent, Deum etiam à nobis muneribus exterius reipſa oblatis, quæ interioris affectus noſtri ſint indicia, colendum eſſe. Sic Deo Abelis munus gratum fuit, Caini diſplicuit. Intuebatur enim Deus caſtam Abelis mentem,

fictamque ac vafram Caini voluntatem. In omnibus tuis benefactis animi tui intentionem diſpice, & vide ne ea magis humanis conſiliis aut vanæ alicuius gloriolæ ſpe, aliaue ſimili exſpectatione, quam puro Dei amore à te ſuſcipiantur.

XII. Non erubeſcunt Reges, poſt tantum viæ ac laboris ſuſceptum, in iumentorum ſtabulo Chriſtum venerari: quo docemur, nullo nos pudore aut verecũdia à Deo, etiam in rebus mundo viliſſimis & abiectiſſimis quærendo arceri debere; cum in his longe facilius, quam in regum palatiis, aut diuitum familiis, aut faſtuoſa doctorum ſapientia, inueniri poſſit. ſatis hoc in omni eius vita, Sanctorumque omnium, qui eius veſtigiis inſtitere, videre licet.

XIII. Obſerua ſummam Dei prouidentiam, ac ſollicitudinem pro ſuis ſectatoribus plane paternam. Monet Reges vt alia via in regionem ſuam proficiſcantur. quod euidens eſt argumentum, nunquam à Deo deſeri aut derelinqui eos, qui ipſius ſe prouidentiæ fidenter credidere. quamuis enim ab eis ſubinde longius abeſſe videatur; ſemper tamen proxime ipſis aſſiſtit: quod ita plane innumeris exemplis comprobari poteſt, vt nulla ſupereſſe poſſe videatur occaſio, de veritate ſententiæ illius ambigendi,

qua

qua vulgo dici ſolet: iis qui plus in Deo fiduciæ collocant, eidemque certiore ſpe innituntur, præſentiora ſemper auxilia, amplioraq; dona à Deo parata eſſe. Nunquam enim patitur Deus benignitatem ac beneuolentiam ſuam, hominum ſe amantium fidentia ſuperari. Si multum diuinæ prouidentiæ confidat homo, multa, imo plura quam ſperare audeat, accipit.

XIV. Obſerua hic etiam Regum obedientiam. obtemperant angelo monenti, nec tamen rationes exquirunt, aut excuſationes ne pareant obtendunt. Recogita quoties te Deus vocet, &, an vocantis imperio pareas: an non promptius conſanguineorum ſociorumve, aut mundi ſuaſionibus obtemperes, quam Dei? Quod ſi forte viæ tibi ad quas Dei voce inuitaris, difficiliores moleſtioreſque videantur, eæ vero ad quas te amicorum ſociorumque comitatus inuitat, planiores ac iucundiores; vide quam ſint earum exitus inter ſe, & à propriis initiis diuerſi. terminus enim illius ſemitæ ad quam Deus te inuitat, ad æternas voluptates ingreſſum aperit: at viæ illæ quas mundus ſectatoribus ſuis oſtendit, ad ærumnas ac miſerias ſempiternas ducunt: elige quod magis expedit, quod vtilius, quod ſalubrius, magiſque neceſſarium: & quamuis

via

via illa, qua mundus eundum ſuadet, facilior ac amœnior primo aſpectu appareat, illa vero qua Deus ipſe ſuis præiuit, aſperior difficiliorque: multum tamen diſcrepat vtraque ab eo quod primo ingreſſu oſtentat. Mundi enim via etſi primo aditu blanda ac facilis videatur, eſt tamen in progreſſu innumeris ſollicitudinibus impedita, variis timoribus obſeſſa, anxietatibus prærupta, frequentiſſimis præcipitiis horrenda: cum quibus, ſi quod in illa ſuaue ac amœnum eſt, conferre velimus, plurimum in iis moleſtiarum & periculorum, compendii vero & oblectationis minimum inueniemus. At Dei ſemita quamuis in ipſo aditu moleſta plerumque ac difficilis plenaque laboris ac mœſtitiæ videatur, ab iis tamen qui paululum in ea proceſſere, non modo tuta ac ſecura, ſed facillima etiam & iucundiſſima deprehenditur: quod Sanctorum pene omnium experientia confirmari poteſt.

DIES SEXTVS.

Fuga in Ægyptum: & innocentium cædes.

1\. CONſidera Herodis vafram crudelitatem, qui audito à Magis nouum regem quæri, ſimulat optare ſe ab ipſis noui regis incunabula diſcere, vt & ipſe eundem,

dem, quod verbis præſeferebat, viſere venerarique poſſet; cum reuera præter noui regis cædem nihil animo moliretur. Obſerua mundanæ ſapientiæ inſipientiam, quæ dum ſe Deo ſua aſtutia imponere poſſe ſperat, ſibi ipſa imponit, propriaque aſtutia decipitur. videbimus hoc quotidie mundi ſapientiæ accidere, quæ Dei inſtinctus, monita, adhortationes, conſilia omnia ad ſui iudicii regulam torquere ac dirigere contendit; cum tamen ab humanis cogitationibus tantum diſcrepent Dei conſilia, quantum à cælo terra diſiungitur. Inſpice vitæ tuæ rationes, quidque cum Deum interius monentem audis, facere conſueueris attende, anne ipſius imperia ad ſenſum tuum torqueas, an potius cogitationes tuas & ſtudia ad illius nutum accommodes.

11. Ioſeph iuſſus illico fugam capeſſere non curioſe à iubente mandati rationes exquirit: ipſaque Dei mater abſque omni tergiuerſatione Ioſeph obtemperat. quo docemur moderatorũ noſtrorum iuſſa prompte exequi, quamdiu nihil, quod repugnet Dei imperiis, iubent, & quamquam honorificentius videri poſſit, ipſi Deo per ſe imperanti obedire; hominibus tamen Dei cauſa obſequi longe maioris eſt meriti: tum quia huiuſmodi obedientiæ, perfectior ani-

mi

contraria obſequia exigunt, ac diuerſa ſtipendia ſuis pendunt. Meditare cuius in famulatu tibi eſſe magis expediat, cuius tibi ſtipendium vtilius.

IV. Obſerua hic, Chriſtum, etſi minimo negotio, citra fugam, Herodis rabiem poſſet à ſe repellere, noluiſſe tamen alia ratione id facere, vt nobis documentum eſſet, nos, etſi ſubinde aduerſariis noſtris nocere, eiſque reſiſtendo ſuperiores euadere poſſimus, potius tamen contentiones & rixas vimque omnem quantum fieri poterit, declinare debere, nec vnquam iniuriam noua iniuria perſequendam.

V. Obſerua in hac fuga, illuſtriores aliquot veræ obidientiæ notas.

1. Plenam proprii iudicii ſubmiſſionem nulla recuſatione aut tergiuerſatione, aut rationum cur iuberetur inquiſitione mutilatam, conſidera teipſum, & vide quantum à tali obedientia diſtes.

2. Citra omnem deliberationem anxiamque de negotii imperati ſucceſſu diſquiſitionem, ad obtemperandum ſe accingunt. Cogita quam anxiis cogitationibus ratiocinationibuſq; tua impedita ſit obedientia.

3. Quam expedite cum prompta propriæ intelligentiæ ac voluntatis ſubiectione, negotium difficillimum aggrediantur.

nihil

nihil de neceſſariis ad tam repentinam fugam præſidiis inquirunt, nihil de ſua ac infantis ſuſtentatione, quamuis in regionem ignotam ac longinquam, procul ab omni cognatorum amicorumque conſpectu abire iubeantur. ſatis ipſis eſt hanc eſſe Dei voluntatem, cuius auxilio eos nunquam deſtitui ſciebant, qui ipſius imperiis obedirent. vide quam tu ſis alienus à tam voluntaria tui iudicii ſubmiſſione, quamque anxiis ſollicitudinibus ante quam obedias agiteris.

4. Promptam celeremq; ſine vlla procraſtinatione negotii imperati executionem. ſciebant enim Deo omnem in mandatis exequendis tarditatem ac procraſtinationem odioſam eſſe: celeriterque exequenti, vti & cito danti, duplicatum à Deo præmium propoſitum eſſe; nec etiam eos latebat prolationem moramque omnem in obediendo, plerumque admodum noxiam eſſe & pernicioſam procraſtinanti: quia non ſemper ea ſalutis præſidia, quæ Deus offerre ſolet, cum ipſe hominem ad ſe inuitat, ſi earum negligantur, deinceps eidem, ad nutum offeruntur: nam ea plerumque tardis illis ac timidis prolatoribus negare conſueuit. verum enim eſt quod dici ſolet, eum, qui Deum vocantem monentemque audire negle-

neglexerit, ab eodem, cum neceſſitate compulſus opem eius implorarit, non audiendum.

5. Læti ac hilares Dei præcepta perſequuntur, quod ſe IESVM comitem ſecum habere ſciant: quod & omnibus hilariter Dei iuſſis obſequentibus contingit. & ſane cum tot hominum millia ſint, qui magna promptitudine ac voluptate mundi legibus obtemperent, qui tamen poſt hanc vitam miſerrimam laborum ſuorum compenſationem exſpectant; quanto maior nobis occaſio ad iucunde hilariterque Dei præceptis ac monitis obediendum, qui poſtmodum tam amplam obtemperationis noſtræ mercedem exſpectamus? Ad hoc conducet plurimum, conſiderare attentius, vſque adeo diuinis oculis diſplicere, ac odioſam eſſe triſtem & languidam obedientiam, vt omnino nolit ſibi cum animi mœrore ac triſtitia à quoquam ſeruiri, cum enim omnia ipſius mandata noſtram ſalutē æternamq; beatitatem ſpectent; turpe illud animi ingrati ac inhumani indicium eſt, æternarum opum, honorum, ac voluptatum comparandarum inſtrumenta triſti ac mœſto animo amplecti atque vſurpare. Mœreant lugeantque qui mundo ſeruiunt, cum ſciant poſt iſtam ſeruitutem, æternas ſibi ærumnas

nas in ſingula momenta exſpectanda. Contra vero gaudeant ii, qui Deo famulantur, eum certi ſint poſt huius famulatum, æternæ ſibi gloriæ mercedem paratam eſſe: & ſane permitum eſt, omnes Dei miniſtros, quibus tam certa futuræ ſuæ felicitatis indicia ſuppetunt, non omnino diuini amoris muſto inebriari, ac gaudii magnitudine liqueſcere, cum ſecum inſtantis vitæ beatitudinem meditantur, ac animaduertunt quam ſit is cui obſequium ſuum conſecrauere, in remunerando impenſa ſibi officia fidelis, liberalis & profuſus.

VI. Conſidera cæcam ſanctorum coniugum obedientiam. nihil de reditu à tam moleſto exilio, nec vnde tantiſper vitam tolerarent, ſciebant; & tamen tam prompte, ſine vlla declinatione obtemperãt cum poſſent vere meritoque Angelo fugam imperanti opponere: Quid tam trepide tyrannum hominem fugimus? apud nos æternum Regem regum habemus, qui verbulo vno Herodem omnemque eius potentiam elidere ac extinguere poteſt. Perpende tuam obediendi promptitudinem, & vide num cum iſta conferri poſſit.

VII. Integram minimeque truncatam obedientiam. Non hæc ea quæ imperantur, vt mundi ſolet aſtutia, diuidit, ſed ex integro,

gro iubentis voluntati obſequitur: nihil ſuo ſenſu mutat aut omittit, præcepta ſuo iudicio non diſcutit, ſed quidquid imperatum fuerit, modo nullum illi ſcelus permiſtum videat, quaſi à Deo pronunciatum ſit, amplectitur, ſicut in iis quæ fide catholica credenda proponũtur, fieri ſolet: quod omnes ſuo exemplo faciendum Sancti docuere. vide quantum ab hac obedientia, tua deflexerit.

VI. Fructus, vtilitates ac neceſſitatem obedientiæ.

1. Magnam ſecum animi tranquillitatem adfert, cum ab homine omnem perturbationem, anxietatem, ac dubitationem auferat, quibus in diuerſarum rerum delectu ſæpe admodum perplexus animus neſcit quo ſe vertat, quid amplecti, quid abiicere, quid perſequi, quid fugere debeat.

2. Certum ſecurumque de ſuſcepta ad virtutem via, ſectatorem ſuum efficit, cum ſolius Dei voluntati verus obediens pareat, cuius illi interpres eſt is, cui ſe regendum tradidit: è diuerſo vero nulla minus tuta, maioribuſque expoſita periculis viuendi ratio, quam eius qui propriæ ſapientiæ nimium confiſus ſuo ductu virtutis viam ingreditur. nam propriæ cuiuſq; ſapientiæ velo plerumque aſtus ſuos & inſidias humani gene-

generis hoſtis occultat: quod luctuoſo multorum errore exitioque ſæpe eſt deprehenſum: qui poſt vitam pluribus annis probe pieque actam, proprio iudicio in errorem abducti, ad extremum miſere infeliciterque à virtute & beatitudine aberrauerunt. diſce aliorũ exemplo quid tibi vitandum, à quo cauendum.

3. Amatorem ſuum tuetur in periculis, in tentationibus confirmat, arma contra oppugnantes ſuppeditat, ac aduerſus omnem hoſtium impetum ſubſidio venit.

4. Continua hilaritate animum demulcet, quamuis enim non ſemper eadem felicitate quæcumque impetantur conficiat obediens; non tamen hoc ei moleſtiam adfert, cum ſciat id citra ſuam culpam accidere. Nec ob hoc etiam minoris ſunt meriti eius conatus apud Deum, qui non tam proſperum negotiorum ſucceſſum, quam voluntatem mentemque qua geruntur conſiderat.

5. Omnem animo ſollicitudinem anxietatemque adimit. quicumque enim legitime imperantis mandato obtemperat, nihil incerto negotiorum quæ imperata ſunt exitu angi cruciariue debet: cum horum cura prouidentiaque omnis, vti & iudicium de vtilitate rei iniunctę, ad imperantem ſpectet.

6. Homi-

6. Hominem animo fortiorem & conſtantiorem efficit, docetque intrepide per viam mandatorum Dei ambulare. vt enim puer quem parens manu ducit, aut ſinu geſtat; nihil metuit ne ab ea aberret aut prolabatur: ita nec obediens errorem aut lapſum metuere poteſt, quem ſuperiorum cura quaſi manu ducit, & brachiis circumfert.
7. Omnia obedienti factu facilia procliuiaque reddit, eſtq; ei obedientia pro equo, qui ſeſſorem ſuum per omnes viarum difficultates ſine moleſtia tranſuehit, ac per omnes hoſtiũ incurſus, illæſum tranſportat.
8. Errata omnia excuſat. nam ſi quid in eo quod imperatum fuerat, reprehenſione dignum eſt, id omne imperanti, non obſequenti adſcribitur: cum circumſpectio accurataque conſideratio ab eo qui aliis imperat potiſſimum exſpectetur.
9. Hominem Chriſto Domino ſimilem conſtituit, qui Patri æterno ad mortem vſque obediens fuit, ſemperque propria voluntate depoſita, illius ſe totum arbitrio conformare ſtuduit. Conſidera teipſum, & obſerua in omnibuſne diuinæ voluntati ſatisfacere labores, an tuæ potius & mundi.
10. Hominem, ſi in errorem aliquem inciderit, continuo ad culpæ agnitionem erigit, cumque magis deinceps circumſpectum,

que ad virtutem ingrediuntur, nihil in hac vita præter aſſiduas afflictationes exagitationeſque etiam ab amiciſſimis exſpectandas eſſe. quod & Chriſti Domini vita innumeris vexationibus infeſta, ſoliciteque eius præmonitiones ſatis confirmant; quibus nos aſſeclas ad continuam malorum tolerantiam exhortatur: addito interim, ne animo nimium deijciantur, breuem laborum vexationumque durationem fore, poſt quas cæleſtis felicitatis æternũ permanſura præmia ſuccedent, quæ nulla vis eripere, nec vlla tẽporis longinquitas poterit abrumpere.

VIII. Conſidera immanem illam innocentium trucidationem: ex qua diſcimus 1. iniquos mundi mores, à quo etiam innocentes ad necem quæruntur, ſi conatibus eius aduerſentur. 2. Mundi in hac vita dominatum, robur, potentiam, quibus potiſſimum ad contumeliam, exagitationem, ludibriũ eorum abutitur, qui ſumma integritate vitæ, morũque innocentia Domino Deo ſuo ſeruire contendunt 3 Vide quo adigat hominẽ metus amittendi res perituras. nullum ſcelus tam execrandum, ad quod ambitio effreniſque mundi cupiditas non inſtiget. 4 Herodis dementiam, qui inſana ſua vafritie ſperat imponere æternæ Dei Sapientiæ. verum ſpe ſua fruſtratus, paulo poſt ad barba-

ræ ſuæ crudelitatis pœnas æternas, miſero vitæ exitu abripitur. Hunc, cum alijs innumeris, qui dum viuerent potentia dignitateque cæteris præcelluere, modo in tormentis loquentem auſculta, *Quid nobis profuit ſu-* Sap. 5. *perbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuncius præcurrens... in malignitate autem noſtra cōſumpti ſumus.* Ex aduerſo vero perpende lætiſſimos eorum ſermones, qui in hac vita, deſerto mundo Deo ſeruiuere; quorum ſi veſtigijs inſiſtas, eandē tibi felicitatē promitte.

IX Meditare vitam à Chriſto in Ægypto, cum beatiſſima Matre ac Ioſepho actam, & illuſtre tibi in ea paupertatis toleratæ exemplum inuenies. Procliue enim cogitatu eſt, eos toto exilij ſui tempore magnam rerum neceſſariarum inopiam perpeſſos fuiſſe. vt nos perpetuo exemplo Chriſtus doceret, quanto affectu præ diuitijs paupertatem elegiſſet, in qua ſciebat tutiora nobis quam in rerum affluentia ad beatitudinem conſequendam præſidia repoſita eſſe. Quam pauci hanc opulentiæ præferunt, ac ſupra diuitias diligunt! Examina teipſum. labores quibus aſſiduo implicaris, te docebunt paupertatemne an opes magis diligas.

X. Ioſephi obedientiam: qui monitus, vt

fugæ

fugæ præſidio Chriſtum, cum beatiſſima Matre, Herodis furori ſubduceret, idipſum ſine omni diſquiſitione eſt exſecutus. quo, documento nobis eſt, vt audito Dei vocãtis imperio, prõpti lætiq; õni deliberatiõe poſtpoſita, eum, quo vocat, ſequamur. cum nobis conſtet, Dei voluntati obtemperando, errare nos numquã poſſe. quod dum molimur, nihil nobis de mundi iudicio curandũ, quod ſemper è diametro cum diuina voluntate pugnat. Conſule mundum, mundique ſequaces in negotijs mundanis; in pijs vero ac diuinis, aſſidua prece meditationeque Dei voluntatẽ inquire: eoſque tibi in conſilium adhibe, qui multum iam in virtute proceſſerunt: hi enim quos longa experientia rerũ diuinarum ſcientiam docuit, apte vtiliterque de diuinis rebus conſulenti reſpondebunt. Quod dum agis, tantum ſaltem ſtudij contentioniſque ad deliberationem de virtute, rebuſque ad ſalutẽ animæ ſpectãtibus adhibe, quantum profani homines in profanis rebus ſuſcipiendis adhibere ſolẽt; qui ſi ædificare cogitent, aut fundos emere aut mercaturam quampiam facere, non eos conſulere ſolent, qui harũ rerũ omnino ſunt ignari. quod & in minimis rebus obſeruant, nec enim vt calceos fieri iubeant, ſartorẽ adeunt, nec vt veſtem, ſutorem, nec ad ædificandũ phrygiones, ad ligna dolanda meſſores,

aut ad nauigationem agricolas adhibent, ſed eos ad deliberationem aduocant, quos in ijs rebus, quas meditantur, longo vſu verſatiſſimos eſſe intelligunt. Idem faciendum cum de ſanctiore vita ſuſcipienda deliberatio inſtituitur. nec enim tum adeundi illi, qui ætate tota in continuis ciuilis vitæ occupationibus tranſacta, ſupra ea quæ vulgo homines ſapere ſolent, nihil intelligunt. Eſt enim inſignis imprudẽtia ac ſtultitia, eum ad conſultationem de vita religioſiore ſuſcipienda adhibere, qui ſemper ſua omnia ſtudia, cogitationeſque in quæſtu faciendo, re familiari amplificanda, honoribuſque ambiendis conſumpſerit. Eſſetque non minus ſtolida huiuſmodi hominum arrogantia ac temeritas, ſi de virtute ſectanda vitaque ſpiritali inſtituenda conſulti, ijs de rebus diſſerere ac ſententiam ferre præſumerent, quas ipſi nec experientia vmquam nec meditatione didiciſſent: non aliter, quam ſi Latinæ, aut Græcæ, Hebraicæue linguæ ſcientiam traditurum ſe profiteretur, qui harum linguarum nullam ipſe teneret. Quapropter cum ijs de progreſſu tuo in virtute conſilium habe, qui cum in ea ſectanda multum operæ ac temporis poſuerint, non pœnitendos in hoc ſtudio induſtriæ ſuæ fructus collegere. Si vero eos conſilij cauſa adeas, qui

virtutem

virtutem numquam ſectati fuere, non minus inſipienter egeris, quam cæcus quiſpiam qui cæcum ſibi viæ ducem adoptaret.

DIES SEPTIMVS.

De Chriſto in templo inuento.

I. VOluit Chriſtus, exigua ſapientiæ ſuæ ſcintilla in puerili ætate prodita, mundanæ ſapientiæ ruborem incutere, cum eas legiſperitis quæſtiones mouit, ſibique oppoſitas diſſoluit, ex quibus ſe omnis Iudæorum ſapientia & eruditio extricare nũquam potuerat: quam cito mundi ſapientia confutatur, & vincitur, cum eam Deus deprimi ac explodi cupit?

II. Meditare anxiam Mariæ ac Ioſephi ſollicitudinem, dum Chriſtum inter cognatos & amicos quærunt, nec inueniunt. diſce hinc, eundem nec inter amicos, nec eorum conſilio, aut hortatu inueniri ſolere; ſed in templo, vbi aliæ adhortationes, aliæ inſtitutiones audiuntur, quam inter mundi amatores cognatos, qui ad alia neminem

hortari ſolent, quam quæ ipſi probauere, ſe
cutique ſunt. Deſideras in deliberando no
errare, recipe te ad templum, id eſt, a
Deum accede, huic ſupplici oratione cau
ſam tuam expone, conſilium ab eode
poſce, qui te ſine conſilio, ac ſolatio à ſ
abire non patietur.

III. Mariæ in Chriſto quærendo done
reperiſſet, curam ac ſedulitatem, qua doce
mur, ſi quando eundem aut noſtra incuria
aut vitio perdiderimus, aut etiam ipſe, v
noſtræ conſtantiæ periculum faciat, ſe ſub
duxerit; nullis debere nos laboribus ab e
perquirendo deterreri, donec eundem aſſi
duis precibus, frequenti corporis afflictione
alijſque pijs exercitijs, quibus à nobis quæ
ri cupit, inuenerimus.

IV. Dementiam eorum, qui aut in mun
do inter mundanas curas ac diuitias Deun
quærunt, cum ipſe extremam paupertaten
ſua voluntate elegerit: aut in honoribus
quem opprobria mundique contumelia
ſua ſponte ſecutum ſciunt: aut denique i
corporis voluptatibus, quas ab eodem ſem
per faſtiditas nouerunt. At qui Deum ſeri
inuenire deſiderat, quærat hunc in ijs rebus
quas ab ipſo amatas, ac dum viueret eo fin
vſurpatas meminit, vt ſuis exempla ad imi
tandum exhiberet, quærat in humilitate

man

manſuetudine, patientia, obedientia, caſtiſtitate, ardentiſſimaque proximi caritate.

v. Reſponſum à Chriſto matri datum: *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* quo monitos nos voluit, diuina imperia, conſilia commonitiones, amicorum immo & parentũ imperijs, conſilijs, cõmonitionibuſq; præferenda, & quoties dubitatio incidet, Deone ſit an parentibus obtemperandum; Dei auctoritatem cunctis anteponendam eſſe, tum quia ipſius maiora ſunt imperia, conſilia ſapientiora, certioreſque commonitiones, quam aut amicorum aut parentum vlla eſſe queant; tum etiam quod Deo ſine comparatione lõge plus debeamus, quam parentibus noſtris ac maioribus vniuerſis, à quibus tantũ mortalis huius corporis membra, eaque non ſine Dei liberalitate, accepimus verum à Deo nobiliſſimã noſtri partẽ, animã immortalẽ, rationis cõpotẽ, & ex merito paſſionis Chriſti, naturæ noſtræ reſtaurationẽ habemus. A parentibus rei æterni ſupplicij ac mãcipia immortali incẽdio addicta procreati ſumus; at Chriſtus ſalutifera ſua morte nos à miſerrima illa ſeruitute eripuit. Et niſi idẽ quotidie, in tot vndique periculis ſuo nos præſidio tueretur, ne ad horã quidẽ, citra infortuniũ vita hac frueremur. Ex quibus fit vt innu- Luc. 2.

meris prope nominibus Deo plus quam amicis] aut progenitoribus noſtris obſtricti ſimus, arctiuſque obligemur ipſius præceptis parere, voci ac monitis obſequi, quam vllis parentum aut amicorum.

VI. Cogita quomodo ſe Chriſtus matris conſpectui ſubtraxerit, eamque tribus noctibus continua ſollicitudine triſtitiaque angi paſſus ſit: ex quo colligendum, Deum etiã ſubinde ſe à familiarium & amicorum coniunctiſſimorum conſuetudine ſubducere; idque 1. ob aliquod eorum delictum, etiam quandoque ab ignaris admiſſum.

2. Propter latentem aliquam ipſorum arrogantiam.

3. Ob internum aliquod in proximum odium aut nimiam ſeueritatem.

4. Ad excitandum in ijs maius Dei rerumque diuinarum deſiderium & ſitim, ardentior enim eſt re inegatæ cupiditas, in ijs præſertim, qui eius ſuauitatem ſemel guſtauere. In hac diuinæ gratiæ abſentia, Deum ſubtractamque gratiam ſollicite quæres ſuſpirijs, lacrymis, erratorum dolore ac deteſtatione, animi ſubmiſſi teſtificatione, ſimilibuſque exercitijs, quæ diuiuam bonitatem, vi quodammodo ei illata, cogunt maturius ampliori cum gratiæ fœnore deſertas mentes reuiſere: ſicut promiſit per Prophetam: *Qua-*

Quæretis me, & inuenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro. *Iere.2.*

5. Ad humilitatis noſtræ incrementum. cum enim aduertit homo, ſibi nihil à ſe ipſo ſuppetere, ſeque Dei aſſiſtentis ope deſtitutum inſtar ligni, aridum exſuccumque relinqui; tandem cum Propheta clamare incipit: *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* *Pſal.118*

6. Ad noſtram eruditionem: vt diſcamus quales nos erga alios eſſe oporteat, cum ipſos interiori mœrore preſſos, aut omni diuinæ gratiæ ſenſu deſtitutos, aridoſque eſſe aduertimus. Qui enim hunc diuinæ prouidentiæ agendi modum numquam expertus eſt, quid ſuggerere aut ſuadere mœrenti poteſt? cum neſciat ipſe quomodo interior illa mentis caligo hominem ſoleat afficere.

Hebdomas tertia.

Septem præcipua paſſionis Chriſti capita.

DIES PRIMVS.

Oratio Chriſti in horto.

1. AB vltima cœna Chriſtus ad hortum cõſuetum ſibi orationis locum pergit, vt faciliꝰ à proditore Iuda inueniatur. Ex quo liquet ſua ſponte illum, ſalutis noſtræ ſtudio, ſe hoſtium manibus ingeſſiſſe. Quid nos aut Dei gratia, aut ſalutis noſtræ cauſa facimus? Subducit ſe ab hominum congreſſibus, atque in ſolitudinem ad Deo ſupplicandum pergit, vt nos ad imitandum excitet, quoties maiore animi contentione quippiam à Deo petere

petere volumus. In ſolitudine enim preces, quia ab animo liberiore profectæ, plerumque ſunt efficaciores. non hic arbitrorum conſpectum verentur lachrymæ, nec alienas aures gemitus ac ſuſpira exhorrent; ſed animus nullius conſcientiam metuens totum ſe Deo aperit, hic affectum omnem quantum valet profundit, miſcemur hic ardentiſſima Deum inter & hominem amoris verba.

II. Conſidera profundam Chriſti humilitatem, qui Patrem ſuum rogaturus humi ſe pronum abijcit. quo docet preces noſtras profunda animi ſubmiſſione Deo commendari debere, ſine qua nullius ſunt apud eum ponderis, quod omne ab animi demiſſione deiectioneque accipere debent.

III. Attende quam integre Chriſtus, poſtquam Deo Patri aperuiſſet, quantum humana imbecilitas amariſſimum illum inſtantium cruciatuum calicem horreret, omnia eius arbitrio permittat. quo nos monitos voluit, nobis etiam, quoties deſideria noſtra per orationem Deo expoſuerimus, omnia deinde illius voluntati permittenda eſſe, cum illa & certiſſima ſit, nec vlla in re vnquam aberrare poſſit.

IV. Conſidera ardorem Chriſti in precando, tantum, vt ſudorem illi ſanguineum è toto corpore exprimat: quo ſocordiam noſtram excitare voluit, noſque admonere ne putemus à nobis fruſtra laborari, ſi quando inter precandum contingat nos aut mœrore, aut tædio, aut anxietate affligi: aut non ita continuo à Deo exaudiri, aut denique nullum nos in precibus animi feruorem, aut quæ ſenſu percipi poſſit, alacritatem experiri. Deus ſcit quid maxime nobis expediat: illius prouidentia nitamur. Si quod petimus è re noſtra fuerit, non grauate concedet. quod ſi non faciat, certo nobis perſuadeamus, rem illam nobis minime eſſe ſalutarem.

V. Conſidera quam magna fuerit hæc Chriſti anxietas. perfectiſſime omnem imminentium tormentorum acerbitatem præſentiebat, nec tamen in tantis doloribus quidquam, quod leuamen aliquod malorum adferret, ocurrebat: ſed contra inſtantium ſuppliciorum immanitas, quam clariſſime cogitatione præcipiebat, ingenti animum formidine ac pauore affligebat. Percurre animo ſingulas tantorum Chriſti dolorum cauſas.

1 Erat expreſſa ac viua quædam recordatio omnium flagitiorum quæ ab orbe condito

perpetrata fuerant, quæque ad vſque mundi interitum perpetrarentur. quorum incredibilem multitudinem, indignitatem, ſuppliciorumque his debitorum luctuoſam æternitatem animo ſecum ponderebat. Tu te ſimilium rerum meditatione, ad ſeriam vitæ correctionem, atque ad ſalubrem ſcelerum tuorum deteſtationem excita, quæ Chriſto tanti mœroris ac triſtitiæ cauſam attulere.

2. Quod præuideret, quam parum maximæ hominum parti tam acerbi mox à ſe, illorum cauſa, tolerandi cruciatus eſſent profuturi. Conſidera tecum quantum tu enitaris, ne & tibi parum proſit Chriſtum tanta, tui gratia, tormenta ſuſtinuiſſe.

3. Conſideratio malorum quæ ſui cauſà aliquando toleraturi erant amicorum ſuorum intimi: quorum mala tanto ſæuius animum Chriſti exulcerabant, quanto eos teneriore affectu complectebatur. qui quantus eſſet ſatis oſtendit, cum diceret, ab eo qui hos tangeret, oculi ſui pupillam tactum iri. Si tanta Deo ſit famulorum ſuorum cura, quid tibi non faciendum, vt in horum numero eſſe poſſis?

4 Incredibilis illa Iudaici populi ingratitudo quem olim peculiari affectu ex omnibus nationibus in populum ſuum adoptarat, quem ab Ægyptiaca ſeruitute eripuerat to-

ties.

ties aduerſus hoſtium impetum propugnarat, tot prodigijs ac miraculis defenderat, aluerat ac ſuper omnes nationes locupletarat. Recenſe, tu quoque apud te beneficiorum multitudinem, quæ in te liberaliter Deus congeſſit, & compone cum his quotidianam tuam poſt tot eius dona ac beneficia ingratitudinem: & cogita nullum eſſe vitium, quod tantopere Deo omnium bonorum largitori diſpliceat, quam immemoris animi atque ingrati.

5. Suſcepit hanc quoque animo mœſtitiam Chriſtus, vt moneret, nobis quoque inter precandum ad mœſtitiam animum excitandum eſſe, ex recordatione multiplicium ſcelerum quibus diuinæ maieſtati iniuriam aliquando intulimus. Hæc eſt beata illa triſtitia ex qua tamquam ex fonte ſaluberrimo flumina cæleſtium gaudiorum manant: quibus homo perfuſus ablutuſque repente in nouum hominem commutatur.

VI. Meditare cuius cauſa; tam humiliter ſe Chriſtus abijciat, tam fidenter ſe Deo Patri committat, tam feruide ſupplicet, tantum animo mœrorem ſuſtineat, tantum denique ſudoris & ſanguinis profundat: nempe noſtra tantum cauſa, pro culpis noſtris, vt nobis Patrem æternum reconciliet, vt nos ab infelici æternæ dānatiōis ſentētia liberet.

Per

Perpende hic 1. peccatorum grauitatem ac pondus, quorum memoria Chriſto tantum mœrorem attulit, vt niſi diuinæ naturæ præſidio humanæ imbecillitatem corroboraſſet, hic ſolus ante omnem Iudæorum impetum animam à corpore diſcedere compuliſſet,

2. Chriſtum Dominum huic triſtitiæ in ſe locum dediſſe vt nos ſolaretur. tu quoque Deum tuum ſolare vitæ morumque emendatione, vt ipſe te poſt breuem vitæ huius curſum in cælis æternæ beatitudinis gaudijs conſoletur.

3. Chriſtus tres illos Apoſtolos ingentis huius luctus ſocios aduocat, quibus ante in monte Thabor aliquem diuinitatis ſuæ radium oſtenderat. vt intelligamus, ſi aliquando gloriæ eius ac gaudiorum participes eſſe velimus, eandem nobis cum ipſo laborum ac cruciatuum ſemitam ingrediendam: nam vbi nullæ moleſtiæ ſuperandæ, nulla certamina adeunda; nulla præmij, nulla coronæ ſpes eſſe poteſt. Per ſpontaneos cruciatus, inediam, labores, ſudores, lachrymas, ſuſpiria, ſanguinem breuiſſima tutiſſimaque eſt animo contrito & humiliato ad gloriam æternam via.

VII Ex

VII. Expendamus quam humilibus precibus deceat nos à Deo veniam petere, qui noſtris ipſi peccatis eum tam grauiter offendimus, quantũ nos ſudoris & ſanguinis ſudare conueniat, qui flagitia ipſi commiſimus; cum tanto ſudore & ſanguine alienam culpam præſteris qui nullius ſibi vmquam culpæ conſcius fuit? aut forte ſatis eſt illum pro nobis ſudaſſe, ſupplicaſſe, diriſſima quæque perpeſſum eſſe, ita vt nihil vltra nobis ad cæleſtem gloriam promerendam agendum ſuperſit? Ipſe pauper & nudus præceſſit, nos diuitijs graues ſequemur: ipſe per contumelias, & opprobria, nos per honores & dignitates; ipſe per luctus, nos per gaudia; ille lachrymis madens, nos riſu diffluentes; ille doloribus excruciatus, nos omnibus corporis commodis perfruentes ad felicem æternitatem peruenturi ſumus? Si his in cælum vijs eundum eſt, ergo à via quæ ad cælum ducit, Chriſtus aberrauit. Quod cum dici non poſſit: certum enim eſt Chriſti veſtigijs viam quæ ad cælum ducit ſignatam eſſe; proſpiciamus quæ viæ noſtræ ſint, quo pergant & ad quem tandem exitum nos perducturæ ſint. Ne nos ipſi decipiamus, non ſunt aliæ ad æternam gloriam viæ, quam per quas Chriſtus præiuit: à quibus quantum deflectimus,

tantum

tantum à vijs quæ ad beatitudinem ducunt diſcedimus.

*VIII. Inſpice Chriſti exemplum, qui ingruentibus periculis ad Deo ſupplicandum confugit.

1. Vt diſcamus, inſurgentibus triſtitiæ ac mœroris perturbationibus, ad Dei opem implorandam nos conuertere, nec tam ſtudioſe inania ab hominibus ſolatia captare, quæ vix ſpumam inſultantium fluctuum poſſunt abſtergere. Deus ſolus eſt qui tempeſtatum procellas momento in malaciam cogat ſubſidere, quique concitatos animos continuo ad placidiſſimam pacem reuocet.

2. Vt diſcamus, verum vnicumque aduerſus omnes hominum ac dæmonum impugnationes remedium eſſe, ad Deum tanto feruentius, quanto impugnamur validius, per orationem confugere: & quoniam hoſtium impugnationibus quotidie laceſſimur, etiam quotidie ad Deum præſidij cauſa nobis confugiendum eſſe. nulli enim hoſtes tam potentes, nulla vis tanta, nulli inſultus ac impreſſiones tam frequentes ac validæ, quæ precibus vinci atque ſuperari non poſſint.

IX. Obſerua Chriſti caritatem, qui ſummum precationum ſuarum ardorem abrūpit, vt diſcipulos ſuos ad vigilandum atque

orandum

orandum excidet, ne ſomno preſſi hoſtium machinationibus expungnetur: quod ad eos potiſſimum ſpectat, qui alijs præpoſiti, ſubditorum incolumitati proſpicere tenentur. Cogita quoties te ſomnus opprimat, cum tamen in ſalute tua procuranda eſſet excubandum: & quoties te Deus interius huiuſcemodi admonitione perſtringat: *non potuiſti vna hora vigilare mecum:* optaſne perpetuo mecum in cælis æternæ vitæ voluptatibus perfrui, nec tamen vel ad horam quotidie mecum in oratione vigilare deſideras? Quantula eſt vna quotidie hora Deo dicata, ſi cum æternitate conferatur? quid ſunt omnes illæ horæ, ſi cum æternæ vitæ remuneratione componantur?

x. Vide quomodo Chriſtus Dominus ab omnibus deſtituatur: Apoſtoli dormiunt, ipſe procul ab omnium amicorum ſolatio, humi proſtratus Patrem æternum in-
Pſal.66. clamat. merito ſane dicere poteſt:
Mat.27. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non*
Mar.15. *fuit: & qui conſolaretur, & non inueni. Deus meus vt quid dereliquiſti* me? *Die ac nocte clamaui, & non exaudiſti me.* Quæ omnia Chriſto propter peccata noſtra ſubeunda fuere. Quid nos facimus? an non etiam cum Apoſtolis dormimus? aut quod peius eſt, cum impijs infelici ſcelerum ve-

terno

terno ſopiti ſtertimus? ô infelicem ſomnum, quem plerumque ſempiternæ in acerbiſſimis ſupplicijs vigiliæ conſequuntur! vigilemus ergo modo, dum tempus veniæ ac gratiæ impetrandæ ſupereſt, quod cum effluxerit, nihil vltra erit in vigilijs aut precibus ſubſidij.

XI. Chriſto nihil à Patre ante tertiam precationem reſpondetur, vt diſcamus, ab oratione non prius deſiſtere quam Deo viſum fuerit, votis noſtris, dato quod è re noſtra maxime ſit, annuere; & quamuis non ſtatim ab eo audiri videamur, non ideo animum deſpondeamus, quinimo tanto inſtemus ardentius: plerumque enim tardius ſe precibus noſtris moueri oſtendit, vt & amor noſter in Deũ magis exardeſcat, atque animus vera ſui demiſſione amplius proficiat.

XII. Tantem angelus è cœlo Chriſtum ſolaturus venit, vt nobis conſtaret à Deo nunquam eorum obſecrationes negligi, quos in obſecrando videt eſſe conſtantes? ſed his tandem diuinæ gratiæ ſolatia abunde ſubmitti, quæ omni ægritudine diſcuſſa, mentem ad omne bonum corroborent, nõ enim Chriſtus hac angeli cõſolatione indigebat, qui ſe ipſe longe efficacioribus argumentis

mentis à triſtitia, ſi libuiſſet, abducere poterat, quam omnes ſimul angeli potuiſſent: ſed hoc ita fieri voluit, vt nos in omnibus moleſtijs ad precandum incitaret. cum hinc intelligere poſſemus, nec nobis angelorum præſidium aduerſus hoſtium impugnationes, cum ita neceſſe erit, defuturum. Seruire etiam hæc res ad exemplum eorum poteſt, qui alijs ſunt & ingenio & virtute ſuperiores, ne pudeat eos, ſi quando conſolatione eguerint, hanc vel ab inferioribus minuſve doctis opportune oblatam admittere. Hoc enim ſæpe non minus ſapienti, quam benigno Dei Conſilio fieri ſolet, vt faſtum noſtrum deprimat, atque vt propriæ infirmitatis conſideratione, nihil nos à nobis ipſis habere cognoſcamus.

XIII. Attende in Chriſto vim caritatis cum naturali mortis horrore confligentem; in quo congreſſu ea contentione vtrimque certatum fuit, vt toto corpore vbertim ſanguis pro ſudore prorumperet, ea copia vt humus omnis circumcirca quaſi ſanguineo imbre perfuſa maderet. Quo docere nos voluit 1. Amoris ſui in nos magnitudinem. 2. Ideo ſe toto corpore diuinum hunc ſanguinē tã copioſe expreſſiſſe, vt omnia ſcelera noſtra, quæ ſingulis corporis noſtri mēbris perpe-

perpetramus, & ad quæ ſæpe etiam violenter animam adigimus, ablueret. 3 Se paratum oſtendit, aridam cordis noſtri glebam ſanguine ſuo, tamquam cæleſti quodam rore, aut fœcundo imbre perfundere, vt ſicciſſimum cor noſtrum in hoc ſanguine, tamquam in ſaluberrimo balneo, natare poſſit; & tamen nos in hoc æſtu æque frigidi, in hoc ſanguinis balneo æque aridi fluitamus. 4. Magnitudinem amoris hinc etiam colligere potes, quod hunc ſanguinem tam copioſe profuderit, quamuis proſpiceret mortalium plurimos fore, quibus hic ſuus dolor & cruciatus parum aut nihil ad ſalutem prodeſſet, nonnullos etiam qui ex eo damnationis ſuæ occaſionem ſumerent. 5. Sanguineum hunc ſudorem exprimebat etiam præmeditatio tantorum ſuppliciorum, quibus aliquando Sanctos ſuos excruciandos præuidebat. In hac enim oratione Chriſtus quodammodo cum ſingulis Martyrum patiebatur, cum Stephano ſaxorum impetum, cum Paulo gladium, cum Laurentio in craticula lentos ignes, cum Polycarpo incendia, cum Ignatio ferarum morſus: atque ita cum cæteris, qui ad finẽ vſque mũdi, pro ipſius nomine tormẽtis excruciandi ſunt, eoſdem in ſe cruciatus ſuſtinebat.

XIV. Poſt

XIV. Poſt ſanguinem hunc ſudorem tanta copia profuſum Chriſtus ad diſcipulos regreſſus, eos iterum ſopore oppreſſos reperit, nec tamē vehemētius in tantam eorū ignauiam exardeſcit: verum pio commiſerationis affectu indulgenter longiorem eis quietem permittit: quamuis mora non longa interiecta iterum eos excitarit, vt ſecum proditori ſuo obuiam procederent. Diſce hinc 1. vim precationis, poſt quam Chriſtus, qui ante mortem exhorrebat, ad eandem magna alacritate ſua ſponte pergit. 2. Aliorum infirmitatem commiſeratione potius, quam indignatione dignam ducere. 3 Conſtanti animo aduerſus omnes moleſtiarum impetus obniti. hæ enim omnes temporariæ ſunt, & ad exiguum tempus duraturæ, cum tamen his patienter toleratis, præmium nullo fine terminandum ſit paratum.

XV. Perluſtra internis animi ſenſibus prodigioſam hanc ſanguinis profuſionem.
1. Intuere oculis ſanguineæ huius pluuiæ abundantiam, cuius guttis totum corpus, veſtes & humus ipſa madent. concita in te pios gratitudinis, amoris, admirationis affectus, ex contemplatione diuini ſanguinis tam copioſe pro te profluentis.

2. Auri-

2. Auribus excipe verba affectus pleniſſima, quibus in difficillima hac lucta Chriſtus Patrem compellat; auſculta gemitus, ſuſpiria, lachrymarum, & præcipuè ſanguinearum guttarũ in terram defluentium lapſus, quæ vehementis nimbi, aut torrentis inſtar terram rigant ac inundant. Ac ſimul auſculta interiores Chriſti commonitiones, quibus ad meliora ab ipſo frequenter excitaris, quas tu tamen toties negligis & contemnis.

3. Odoratu percipe ſuauiſſimũ pretioſi huius ſanguinis odorem, qui incredibili ſuauitate cælum ac terram implet; perſequere hũc caritatis odorem, nec enim hoc vllus eſt in cælo aut in terris potentior, ad debilitatas peccatricis animæ vires recreandas inſtaurandaſque. Huic enim ſanguini omnium gratiarum, meritorum, donorumque cæleſtium fragrantia permixta eſt.

4. Guſtatu ſapidiſſimi huius ſanguinis ſaporem deguſta: nihil enim eſt Chriſti ſanguine ſapidius, qui omnem impugnationum amaritudinem mira ſuauitate temperat, omnem acerbitatem mitigat, omnẽ moleſtiam, ariditatem, inſipiditatẽ à virtutũ proſecutione aufert, atque in admirabilẽ dulcedinẽ cõmutat. Sãguis hic condimentũ eſt omnem aduerſitatem, deſpectum, irriſionem-

nem, moleſtiam huius mundi, mira ſuaui-tate temperans, atque in iucundiſſimas ani-mæ delicias conuertens.

5. Denique tactum ad hunc ſacratiſſimum ſanguinem cum ſumma veneratione con-trectandum adhibe, oſculare magna anim- ſubmiſſione, caſtiſſimis brachijs amplecte-re, atque in ſanguineo hoc fonte cor tuum peccatis ſordidum ablue, animam fœdiſſi-mis culparum maculis fœdatam, in hoc ſan-guinis fluuio purga: nullis aquis tam pur- corpora vt hoc ſanguine animus, mundatur nullis tam cito tam certo, tam feliciter quippe quo non ſolum ipſæ maculæ, ſed & ipſa maculatum veſtigia, quantumuis al- penetrarint, abſterguntur. Immo quod mi-rabile eſt, ex ipſa Dei memoria, ſcelerum priorum recordationem eluit.

DIES SECVNDVS.

De Comprehenſione Chriſti.

1. CONſidera indefeſſum improborum in ſceleribus perpetrandis ſtudium. nul-lis parcunt laboribus, nullis moleſtijs fran-guntur, aduerſus omnia quæ conati-bus ſuis interuenire poſſent neceſſari- ſubſidia proſpiciunt. quorum ſane ſi in-

duſtriam

duſtriam conatumq; in proſequendo quod male ſuſceperunt, cum noſtra inertia ignauiaque in virtutum officiis contulerimus, rubore non immerito perfundemur. Armati inſtructique, idque intempeſta nocte, foras proficiſcantur, vt innocentem ad necem pertrahant: nos vnicam noctem inſomnem ducere, aut alia quacumque commoditate ad breue tempus carere pigeret, ad alterius ſaluti proſpiciendum, animamque ab æterna morte vindicandam.

II. Similem videre eſt diligentiam in omnibus mundi amatoribus, quos nullæ difficultates fatigant, labores nulli frangunt, nullæ vigiliæ ac moleſtiæ à viliſſimarum voluptatum, honorum, diuitiarumque proſecutione abſterrent; cum nos, qui Chriſtum ſequi gaudemus, ne decumam quidem eorum laborum, quos illi inanibus mundi rebus impendunt, ad æternas opes, honores, voluptates conquirendas præſtemus. Quid ergo, cum Deo vitæ actæ ratio referenda erit, prætexemus, cum patebit, decies immo vicies plus operæ à nobis in perituris opibus comparandis, quam in æternis, poſitum fuiſſe?

III. Obſerua quam prompte ac libere Chriſtus hoſtiũ ſe manibus tradat, pro noſtra ſalute; cum nos omnẽ laborem, moleſtiam,

ſtiam, aſperitatem, dolorem, contemptum ſubterfugere ſoleamus; quæ tamen nos ad beatitudinem conſequendam iuuant plurimum; quaſi & hic mollem delicatamque vitam agere, & in altera æternæ felicitatis præmiis potiri poſſemus: quæ tamen ſimul conſiſtere nequeunt, vt ex Chriſti exemplo perſpicuum nobis eſſe poteſt, cuius vitam nobis actionum noſtrarum regulam præfigere debemus

IV. Quo pacto Iudas Chriſtum hoſtibus oſculo prodat. Hic inquirere poſſumus, quinam Iudæ exemplo Chriſtum oſculando prodant.

1. Ii qui externa virtutum ſpecie, hominum oculis fucum facere ſtudent.

2. Qui blandis verbis alios in fraudem pelliciunt, multa ſpecioſaque addicentes ſpondenteſque, ac horum nihil, quam quod è re ſua ſit, exequuntur.

3 Qui bona opera ad prauum finem dirigunt, nihil in eis aliud ſpectantes, quam vt inde gloriolã ſibi captent, aut nefarios ſuos conatus tutius perficiãt, aut alteri damnum aut dedecus inferant.

4. Qui ab aliis probi ac inculpati haberi volunt, etiamſi apud ſe ſint omni ſcelere contaminatiſſimi.

5. Qui palam amici frontem oſtentant, quum

cum in animo grauiſſima odia ac inuidentiam occultent: ſemperque ad nocendum intenti, non minus alienis malis, quam propriis commodis delectantur.

v. Conſidera Iudam vnum ex Apoſtolorum numero fuiſſe, atque ad tam ſublimem dignitatem ab ipſo Chriſto delectum, cui etiam præ cæteris quidquid pecuniæ, ad ſuam diſcipulorumque ſuſtentationem à piorum liberalitate accipiebat, diſpenſandum crediderat. Diſce hinc ſemper timere, atq; non nimiũ eo ſolo niti quod à Deo ad ſublimiorem vitæ ſtatum vocatus ſis: aut quod vitam aliquamdiu pie innocenterque egeris: ſed fiduciam omnem in continuandis diuino fauore virtutum officiis, cum ſincera animi demiſſione, colloca, numquam tuæ ſapientiæ, induſtriæ virtutique nimium confidendo: diligenterque proſpice, ne te vmquam vti Iudam, opum illecebræ, à virtutis ſtudio abducant.

vi. Obſerua inſignem Chriſti charitatem ac manſuetudinem 1. dum tam humaniter proditoris ſui oſculum admittit. Diſce hinc diuinæ clementiæ confidere, quæ ne hominis quidem tam facinoroſi oſculum repudiauit, quod antea & in Magdalenæ cauſa fecerat. 2. dum Iudam, à quo ſe tanta perfidia hoſtibus venditum traditumque

videbat, amici adhuc nomine compell
dumque poſt tot beneficia in tam ingratu
collata, quantum poteſt, adnititur vt bla
do ſermone perditum hominem ad tan
ſceleris deteſtationem commoueat. quoti
nos quoque à peccatis ad ſe Deus interior
bus commonitionibus pertrahere nititu
quas ſurda aure negligimus? Timendu
profectò nobis, ne quandoque cum mal
ingruentibus territi Dei opem implorab
mus, ab ipſo quoque non audiamur, n
modo, dum ipſe nos prior vocat, illi auſcu
temus.

VII. Cum Chriſtus militibus dicentibu
à ſe IESVM Nazarenum quæri reſpondiſſe
ſe IESVM Nazarenum eſſe, tota Iudæoru
ac militum cohors cum proditore Iuda
tamquam fulmine icta, ad terram corru
1. ad declarandam Chriſti omnipotentiam
aduerſus quam nulla hominum vis præua
lere potuiſſet, niſi ſua ipſe ſponte eorum
poteſtati ſubmiſiſſet. 2. Nullam eſſe i
mundo potentiam, quæ, niſi Deus cert
conſilio permiſerit, cõtra eius amicos quid
quam poſſit. 3. Vt ſic ratiocinaremur, S
hæc blanda optimi patris, aut potius ſua
uiſſimæ matris verba *Ego ſum*, totam han
militarem turbam ſolo proſtrauerint; quan
tandem vim atque efficacitatem habitur

ſun

ſunt ſuprema illa verba, quibus ſeueriſſimus Iudex in nefarios æterni ſupplicii ſententiam proferet? *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Mat. 25.

VIII. Iudæi poſt caſum ſurgentes, iterum à Chriſto interrogantur, *Quem quæritis?* Ioan. 18.
qui reſpondent vt prius, IESVM *Nazarenum*: ad quos IESVS: *Si me quæritis, ſinite hos abire.* Circa hæc verba perpende. 1. Amicam Chriſti ad hoſtium interrogata reſponſionem. quæ nobis documento eſt, quomodo Chriſti ſectatoribus cum inimicis agere conueniat; quoties ab illis aut calumniis appetuntur aut inſectationibus læduntur. Inſpice teipſum & vide Chriſtũmne tum temporis imiteris.

2. Charitatem Chriſti, qui ſe totum Iudæorum poteſtati permittit, à quibus ſibi immaniſſima tormenta inferenda nõ ignorabat: hoc ſolo vetito ne Apoſtolis manum iniicerent. Crudeliſſimorum hoſtium manibus ad diros cruciatus abripitur, nec tamen aut diſcipulorum aut noſtram incolumitatem; qui tantorum illi dolorum cauſa ſumus, curare prætermittit. quantum ab hac charitate diſtamus.

3. Chriſti potentiam. Iubet ne Iudæi Apoſtolis noceant, & ſtatim omnis eis nocendi facultas præripitur. quod magnopere

omnes Chriſti ſeruos ſolari debet, cum hinc intelligere poſſint, citra Dei voluntatem nullam in mundo, aut apud inferos tantam eſſe potentiam, quæ ipſis vel minimum nocere poſſit.

IX. Perpende hæc Chriſti verba: cum Petrus, vt Dominum ex hoſtium manibus erueret, ferrum ſtrinxiſſet: *Calicem quem*
Ioã. 18. *dedit mihi Pater, non bibam illum?* E quibus diſce 1. Quam diſertis verbis Chriſtus profiteatur, ſe non ab inimicis, ſed ab æterni Patris manu hunc paſſionis ſuæ calicem accipere: qui quamuis eſſet amaritudine pleniſſimus, quod tamen eum ſibi à tam benigna Patris manu propinatum ſciret, erat ei quauis dulcedine gratior.

2. Quomodo nos deceat in omnibus calamitatibus voluntatẽ noſtram ad diuinam conformare, ita vt parati ſimus quamcumque aduerſitatem ab ipſius prouidentia immiſſam æquo animo ſuſtinere.

3. Non debere nos rogare, vt acerbum ærumnarum calicem nunquam guſtemus, quamuis ſit naturæ & ſenſibus ob amaritudinem mire ingratus; ſed vires potius ac robur à Deo poſcere, quo & aſpera quæque magno animo ſuperemus, & acerba pro Dei gloria alacriter hauriamus.

X. Contemplare immitem Iudæorum rabiem

biem in Chriſtum irruentium, ſuum noſtrumque omnium ſeruatorem tam crudeliter vincientium, verberantium, tundentium, à quo tamen plerique ipſorum maximis beneficiis affecti fuerunt. Collige ex hac Iudæorum immanitate ſcelerum tuorum grauitatem & malitiam, quibus expiandis tot opprobria & cruciatus innocenti Chriſto ſubeundi fuere. & vide an tu quoq; ſtudio imitandi Domini tui optes in hac vita, virtutum vinculis conſtringi, & à mundi blanditiis, viuendique libertate, pietatis ac ſeuerioris vitæ nexibus coerceri: an magis excuſſo diuini timoris freno in pernicioſa morum licentia cupiditatum impulſum ſequi geſtias. Tum diſpice vtri melius ſapiant, illine qui ſe ſua ſponte ſacris legibus quaſi vinculis quibuſdam ad virtutem conſectandam obligant, noxiamque à ſe libertatem omnem abdicant, vt poſt hanc vitam in cæleſti regia ſempiterna libertate donentur; an vero ii qui inſano libertatis ſtudio, omnem ſibi vitiorum licentiam indulgent, cum præſentiſſimo diſcrimine ac metu, ne poſt obitum inſolubilibus catenis, in arctiſſimis inferorum ergaſtulis, æternum conſtringantur.

XI. Obſerua in hac Chriſti comprehenſione nonnulla obſeruatu digniora:

1. Christi integerrimam innocentiam, quam ne minimus quidem culpæ næuus vnquam infecerat.

2. Mansuetam eius ad Iudæos monitionem: *Quotidie eram apud vos in templo docens*: quasi diceret, Hoccine mihi pro docendi labore præmium rependitis? disce non ab hominibus; sed à Deo laborum præmium exspectare.
Mar. 14.

3. Quam integre se hostium crudelissimorum potestati tradat: *Hac est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Scito non dissimilia in hac vita nobis exspectanda. quapropter mirari desine, si quando impietatem dominantem ac virtuti in hac vita insultantem videris; Christi sectatores despici, illudi, opprimi. Vita hæc est labori ac certamini præstitutum tempus, qua transacta dies triumphi, præmiorum ac gloriæ numquam terminandæ spatia succedent.
Luc. 21.

4. Externam eius submissionem. Manus illas vinculis ligari patitur, quæ cælos & terram condiderant, pedes constringi, quos Cherubini ac Seraphini cernui venerantur, vbi nostra etiam in minima contumelia, humilitas?

5. Constantem Christi patientiam: quippe qui tam dire vinculis innodatus, tot contumeliis lacessitus, tot verberibus contusus, ne ver-

ne verbo quidem de iniuria conqueritur. Expende hic illa Dauidis verba: *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* vbi noſtra manſuetudo etiam in leuiſſimis contumeliis? quantum à Chriſti virtute abſumus? Pſal. 21.

6. Incredibilem charitatem, qua manus colligandas obtulit, quas ante tam benigne omnibus hoſtibus, ad amplexum, & veniæ pignus obtulerat. Quo nos indicio noſtram in Deum & proximum charitatem teſtamur? paratine ſumus pro benefactis verbera, vincula, contumelias recipere?

7. Chriſti mœrorem, cum videret Apoſtolos ſuos tam turpiter fugientes, qui paulo ante tanta alacritate ſe pro eo etiam morituros addixerant, quorum eadem nocte magno beneuolentiæ affectu pedes abluerat, animoſque ſacratiſſimo corpore ac ſanguine ſuo pauerat. Examina teipſum, vide an non prompte Deum ſequare, quamdiu ad blanda, iucunda, proſpera ducit: at cum ad ardua, difficilia, moleſta ſenſibus exemplo præit, tum animo abiecto præeuntem deſeras. Animaduerte quoq; quam parum viribus noſtris niti ac fidere poſſimus, quamque parum in promiſſis ac pollicitationibus mundi & amicorum fiduciæ collocare. Si etenim Apoſtoli ad tãtum virtutis

culmen à Deo elati, tot adhortationibus animati, tot muneribus locupletati, atq; tam amplis à Christo promissis ad constantiam excitati, tam leuiter Christum destituant; quid nobis ab aliis hominibus, longe quam Apostoli imbecillioribus, exspectandum? Quapropter ad Deum te in omnibus aduersis recipe, illum paratum, fidelem ac in omni fortunæ varietate constantem inuenies. Huic quam plurimum, at tuis viribus minimũ fide: nihil in tua sapientia, eruditione, ingenio, opibus ceterisve naturæ donis præsidii constitue; sed omne existima in solo Dei fauore & gratia collocandum.

8. Christus ad quatuor iudicum tribunalia pertrahitur, quorum duobus sacri magistratus Annas & Caiphas, aliis duobus ciuiles Pilatus & Herodes præsidebant, vt ab omni hominum genere contemptu atque ignominia afficiatur. Quo monemur, quascumque demum contumelias ac despicationes æquo nobis animo ferendas esse. quamdiu enim cum Deo bene nobis conueniet, nihil contra nos mundi contumeliç, opprobria, insectationes, immo nec vllæ dæmonum præstigiæ, machinationes, insultus facere poterunt: sicuti è diuerso nihil omnis mundi fauor, prosperitas, honos, diuitiæ, cæteraq; fortunæ instrumenta emo-

lumen-

lumenti adferre poſſunt, cum Deum aduerſantem habemus.

XII. Expendi hic etiam poteſt 1. Infelix Iudæ exitus. Sic ſolet dæmon, cum ad flagitium inuitat, eius grauitatem occultare; at ſcelere perpetrato in immenſum eius malitiam efferre, vt ſic nocentem ad veniæ deſperationem pertrahat: ſic accidit Caino, qui dicebat: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Idem infeliciſſimo huic Apoſtolo factum, qui ſceleris admiſſi conſcientia, de ſalute conſequenda deſperans, infelicem vitam laqueo interclusit. Gen. 4.

2. Auaritiæ terminus, qui eſt opum cõgeſtarũ iactura, honoris proſtitutio, vitæ tum præſentis, tũ ſempiternæ perditio. hæc enim conſueta auarorum ſtipendia, & terminus.

3. Phariſæorum in facinore pertinacia: qui licet Iudam ob proditionem aduerſus innocentem inſtitutam, ſeſe grauiſſime incuſantem audiſſent, hoc ipſi nihilo magis ſui ſceleris turpitudine commouētur. Idem quotidie in mundo fieri videmus, præſertim cum iis qui ſe quam profundiſſime in vitiorum ſentinam immerſere. Huiuſmodi enim nec permouentur rationibus, nec minis terrentur, nec denique miraculis aut prodigiis vllis ad ſaniorem mentem reuocari poſſunt. Supplicemus Deo ne in hanc

multi qui falſitatem atque iniuſtitiam propugnent! Quam multi item qui veritatem metu potentium ſupprimant, quique pro falſitate exigua lucri ſpe dimicēt! vide quorum ſis è numero.

4. Multo adhuc grauiorem iniuſtitiam obſerua in iudice, ceteriſque qui ei in concilio aderant: quorum cum nemo tantam contumeliam ipſis inſpectantibus innocenti illatam vel verbulo reprehenderet, factum ſe probare ac laudare tacite aſſerebant. ita toto pene orbe iniuſtitia paſſim defenditur, ac ſumma vi propugnatur, & è diuerſo iuſtitia atque innocentia opprimuntur.

5. Cogita hanc eſſe faciem illam, cuius in cælis aſpectu angeli recreantur; illum vultum, in quo diuinæ gloriæ ſplendor relucet; os illud atque oculos, ad quorum conſpectum in extremo mundi iudicio cœlum, terra, inferi trepidabunt.

6. Perpende Chriſti reſponſum, *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, quid me cædis?* ex quo diſcemus, ſi quando iniuria accuſamur, patienter id quidem ferendum eſſe; licere tamen ſubinde, Chriſti exemplo, innocentiam noſtram aduerſus calumniantium falſas criminationes tueri.

7. Ob-

7. Obſerua hic inſignem Chriſti patientiam, tantam iniuriam tam placide ferentis, cum faciſlime ſe vlciſci poſſet: nos ad hoc exemplum tolerantiam noſtram exploremus, tantane ea ſit, vt verbera immerito impacta, non repugnanter poſſit ſuſtinere: aut quæ, cum vindicandi non deeſt facultas, vindictæ libidinem refrænet: aut quę ſaltem verberationem promeritam ſubire non recuſet. Perpende quantæ tuæ ſint querelæ atq; indignationes, ſi vel leuiſſima verbera infligantur, qui toties tuis flagitiis grauiſſima es promeritus. Quapropter reputa tecum, quoties aſpera aliqua ſuſtinenda occurrunt, longè te his grauiora promeritum; quæ cogitatio omnem citò moleſtiam eleuabit, omnem acerbitatem minuet, ipſumque dolorem atque ægritudinem tolerabilem oſtendet.

II. Conſidera quam ſit æquitati atque rectæ rationi illud diſconueniens, velle quotidie digna flagris ac pœnis perpetrare, nūquam tamen verbera ſubire: immo contra præmia ac decora exſpectare ac poſcere. Quantum à rectæ rationis præſcripto deflexímus! naturæ ac Dei decreta aliud decernunt, nempe flagitiis ſupplicia, præmia recte factis.

III. An non contra omnem æquitatem

eſt,

eſt, vt nos peccemus, & pro nobis alius, immo Deus ipſe pœnas pendat? quantopere nobis tātæ indignitatis conſideratione erubeſcendum, & ſancto quodam pudore ad deprauatæ vitæ correctionem, ac virtutum ſtudium exardeſcendum!

IV. Quis eſt qui reuera Chriſtum percuſſit, quis ſputis fœdauit? Iudæine, an ſcelera noſtra? vbi conſidera 1. Neminem inueniri qui in tā immiti percuſſione Chriſti, eius miſereatur.

2. A nemine percuſſionis huius iniquitatem ad innocentis defenſionem reprehendi: quod in mundo quotidie fieri cernimus, cū nemo ſit qui pro æquitate atq; innocentia, iniuſtitiæ ſe audeat opponere.

3. Modeſtam lenemque Chriſti reſponſionem: & animaduerte qui te geras, non modo cum iniurijs appeteris, verum etiam cum pro meritis caſtigaris.

4. Anne innocentiam aliorum, cum ita officium exigit, propugnes, an magis cum Iudæis opprimi hanc læteris, aut potentiam veritus, aut propriis commodis ſeruiens ſileas, an non etiam ſubinde tuo ſilentio hominibus improbis innocentiam opprimendi facultatem præſtes.

V. Si ſcelera noſtra Chriſto tantorum ſuppliciorum cauſa fuerint, (vt reuera fuere) quid

re) quid nobis agendum? qui enim ea ipſa flagitia committit, quæ Chriſto tot verberum cauſam attulere, quid aliud agit quoties delinquit, quam quod, quantum in ſe eſt, iterum Chriſto eadem verbera infligat?

VI. Obſerua item grauiſſimas contumelias Chriſto in fœdiſſima hac conſputatione irrogatas. Sputo enim fœdatur facies illa; cuius aſpectu nunquam Angeli ſatiari poſſunt: quam vt viderent, tot ſuſpiriis, lachrymis, & votis omnes prophetæ olim ſupplicauere: è cuius conſpectu Seraphini mirificos diuini amoris ignes hauriunt, cuius pulchritudine omne cælum recreatur. Cogita tua eſſe crimina quæ iucundiſſimam hanc faciem tam probroſe fœdarint, ac te, quoties grauius vllum flagitium, præſertim impuro ore ac oculis aut maledica lingua perpetraris. Chriſti faciem ſputis commaculare, idque eo fœdius, quo ſunt ſcelera ipſa fœdiora. Meditare quoq; quantopere Deus hæc flagitiorum ſputa execretur, qui quodlibet capitale flagitium ſupra omnes Iudæorum conſputationes execratur.

VII. Intuere quo pacto Iudæi Chriſti faciem obnubant, vt tanto liberius pugnis in eum ſæuiant, quaſi ab eo velatis luminibus videri non poſſint. Horum amentiam plerumque imitantur nefarii, quoties ad flagitia

gitia ſua occultanda, loca abdita atque ab hominum conſpectu remota circumſpiciunt, quaſi in iis à Deo videri non poſſent, cui etiam occultiſſimi animorum receſſus patent. Ne quæſo nos ipſi decipiamus: nullæ tenebræ, nulla parietum obſtacula Dei oculos omnia penetrantes, valent excludere. Intuere propius 1 quam immaniter pugnis ac calcibus vndique Chriſtum pulſent: non capiti, non pectori, non tergo, non brachiis parcunt, omnia corporis membra diris ictibus contundunt. 2. quam crudeliter capillum ac barbam vellant. 3. quam petulantibus conuiciis, ſalſis dicteriis, probroſis ſcommatibus inſultent. vt ſane merito per Prophetam de hiſce contumeliis dictum ſit, *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.* Iob 16.

VIII. Cogita quid Chriſtus tota hac nocte pertulerit, quas ei iniurias, quæ verbera, quas contumelias truculenti illi, feris quam hominibus ſimiliores, Iudæorum ſatellites intulerint. Qui tui dolores, ac in iis quæ tua eſt patientia?

IX. Perpende quoque tecum mœſtiſſimæ Matris MARIÆ mœrorē ac triſtitiam, audita dira hac filii comprehenſione, ſæuiſſimaque eius tractatione, videbiſque vere nimis

nimis à Simeone olim prædictum fuiſſe, animá eius aliquando doloris gladio tranſfigendam. Vbi noſter dolor, noſtræ lachrymæ, noſtra cum Chriſto patiente commiſeratio? cum tamen noſtra ſint ſcelera, quæ tantorum ſuppliciorum tum Chriſto, tum ſanctiſſimæ eius Matri cauſá fuere. Quid Deo hanc nobis animi duritiem obiicienti reſpondebimus? an non timendum ne ipſe in noſtris ſuppliciis rideat, cum nos viſis eius tormentis, quæ pro ſceleribus noſtris ſubit, nullo commiſerationis affectu moueamur? Quid ſane minus à nobis exigere poſſet, quam vt tantorum dolorum recordatione miſeram ſuam noſtri cauſa ſuſceptam conditionem amice doleremus.

DIES QVARTVS.

De Chriſti flagellatione.

I. BReuiter hic tecum perpende, quæ Chriſto ante hanc flagellationem contigerint.

1. A Pilato accuratiſſime in vitam ipſius ac mores quæſitum fuit.

2. Ab Herode tamquam homo amens ac ſtolidus irriſus fuit & deſpectus. Diſce hic mundi mores: ſtultos ac fatuos credit quotquot impenſius viam virtutis perſequuntur:

tur: quin etiam ridet atque ludibriis proſequitur, qui mundo neglecto opes, honores, voluptates deſpiciunt atque contemnunt.

3. Cogita quam ignominioſum Chriſto fuerit luce palam inſtar proditoris aut malefici ad omnia tribunalia vinctum raptari.

4. Audi Iudæos latronem Barabbam innocenti Chriſto præferentes. expende tecum inæqualem hanc comparationem. Componitur homo facinoroſus, ſeditionũ concitator, perduellis, latro cum Chriſto Deo ac Saluatore, à quo Iudæi tot beneficiis affecti fuerant, tam ſalubribus pręceptis inſtituti, tot prodigiis ac miraculis ad lumen veritatis contuendum excitati. Diſpice num tu quoque Chriſti exemplo patienter ferre poſſis cum nefariis ac ſceleratis hominibus componi atque exæquari.

5. Aduerte quam ardenter Phariſæi plebem aduerſus Chriſtum concitent, ſuadeantque vt Barabbam Chriſto præponant. Ita plerumque in mundo contingere conſueuit, optimi quique ac religioſiſſimi amicis ac patronis deſtituuntur, nefariis innumeri ad nutum patrocinantur; iuſtitia atq; innocentia vbique oppugnatur ac ſupprimitur. iniquitas certatim defenſa victrix triumphat. hæc mundi iudicia: perſpice huius

muta-

mutabilitatem atque inconſtantiam. nuper magna lætitiæ ſignificatione clamatum
Mat.21. fuit: *Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis*; nunc contra auditur dirum illud *Crucifige, Crucifige*. Diſce nunquam vllis mundi iudiciis niti, & Deo gratias age, quod tuam beatitudinem à tam cæcis mundi iudiciis pendere noluerit: ſed à ſuo ſolius iudicio, quod nullo dolo peruerti, nullo odio corrumpi, nullis affectibus ſubuerti poteſt, nec magnopere cures quid de te mundus ſentiat, cuius tam ſunt ſtulta atque erronea iudicia, ſed quid Deus; neque ex eo magnam de quopiam opinionem concipe, quod mundi iudicio magnus habeatur. tantus enim quiſque eſt, nec maior quam Dei iudicio cenſeatur.

61. Excute vitam tuam, & vide an non frequenter cum Iudæis Chriſtum Barabbæ tuo iudicio poſtponas. quod facis cum Deo neglecto ad virtutem ſanctioremque vitæ rationem inuitante, dæmonem aut deprauatam tuam cupiditatem ad vitia allicientes ſequi mauis. vide num Deum magis quam dæmonem, tuamue libidinem ſequare? nam quoties peccato te obſtringis, toties re ipſa cenſes melius eſſe dæmonem, quam Deum ſequi. ſi enim aliud ſentires, diabo-

diaboli nefarios inſtinctus diuinis conſiliis neutiquã præferres,quod dum agis, Deum perſpicue dæmoni poſtponis. Nam ſi auditis duobus conſiliariis, alterius ſententia repudiata, alterius amplectare, clarum eſt illum apud te maioris eſſe auctoritatis, cuius conſiliis acquieſcis, quam cuius ſententiam reſpuis. Quapropter quoties te importunis dæmonis ſollicitationibus ad flagitium pertrahi pateris, ſcias te ipſa cum Iudæis Barabbam Chriſto anteferre.

7. Cum crudelem illam populi vociferationem audis Chriſtum ad crucem poſtulantis, cogita tecum tua eſſe peccata, quæ tam inhumaniter contra Chriſtum clamēt: immo te, quoties denuo ſcelus admittis, iterum cum Iudeis triſte illud *Crucifige* ingeminare. Nam quantum in nobis eſt iterum Chriſtum in crucem agimus, quoties Deum capitali culpa offendimus.

11. Audi iniuſtiſſimum Pilati decretum, qui Iudæorum minis fractus, Chriſtum innocentem contra fas omne & leges flagris conciſum, truculentiſſimorum ſuorum hoſtium arbitratu excruciandum tradit. Conſidera quoties hõines, neſcio quo mundi metu, ne aut fauorem à ſe principum alienent, aut ne minimam exiſtimationis iacturam faciant, aut ne vel tantillum rei fa-

miliatis

miliaris detrimentum ſubeant; Dei mandata infringant, dum nimia anxietate rem domeſticam procurant, aut liberis locupletandis inuigilant, aut denique imprudenti boni publici promouendi ſtudio abripiuntur. Conſidera etiam, quomodo Chriſtus, audito iniquiſſimo hoc præſidis decreto ſileat, nihil obloquatur, nihil obmurmuret, non dirum mortis genus deprecetur, non queratur; ſed ſumma ſe manſuetudine iniuſtiſſimi edicti ſententiæ accommodet. Diſce quid tibi ſit agendum. ſi quandoque contigerit te per iniuriam circumueniri, falſo tibi crimen affingi, iniuſte vexari: & vide qualem te præbeas, cum vel minimum exiſtimationem tuam perſtringi arbitraris, quam indignanter, quam ægre hæc patiaris.

III. Intuere 1. Quomodo Chriſtus magna inhumanitate ad columnā alligetur, vt te ſcelerum tuorum vinculis expediat. 2. Sacratiſſimi corporis teneritudinem, tortorum multitudinem ac immanitatem, qui inſtar famelicorum luporum innocentem agnum, in quo nulla fraus aut dolus erat, circumſiſtunt.

3. Frequentes è Iudæorum primoribus, qui truculentiſſimorum illorum carnificum rabiem verbis ac pollicitationibus exſtimu-

ſtimulant. Quæ nobis veniæ ſpes ſupereſſe poteſt, qui continenter Deum peccatis laceſſentes, nouam aſſiduo ſæuiendi in Chriſtum, diuinæ iuſtitiæ materiam ſuppeditamus?

4. Verberum incredibilem multitudinē. ſunt enim auctores non pauci, qui Chriſtum ſupra quinque ictuum millia corpore excepiſſe aſſerant. Quæ nos pro peccatis noſtris verbera excipimus?

5. Ne verbulo quidem de tanta immanitate queritur; ſed patientiſſimo animo omnem verberantium rabiem ſuſtinet, donec ſanguinarii illi Iudæi omnem odii atque inuidiæ ſuæ ſitim diuino ſuo ſanguine expleuiſſent. Tu ſi ſapis, ipſe tua ſcelera punies; nam ſi ea tam acriter filii ſui ſuppliciis puniri Deus patiatur, quæ te verbera, quæ ſupplicia in altera vita, niſi hic ea ſpontaneis pœnis præuerteris, manebunt? Mitius hic ea, quam in altera vita plectuntur: tempus hoc breue atque exiguum, aſt illud ſempiternum pœnæque illæ nullo vnquam fine terminandæ. Maneat huius ſempiterni atque interminabilis ſupplicii recordatio alte ſemper animo tuo impreſſa, nec durum videbitur, voluntariis hic ſuppliciis ſcelera tua expiare. Caſtiga tu ea hic, cruciatibus ad modicum tempus duraturis; ne ab immiti-

mitibus inferorum tortoribus in omnem æternitatem punienda remaneant.

IV. Cogita 1. Deum esse qui tam inhumane hîc flagris laniatur, qui è nihilo cælũ & terram condidit, quique, vt eadem momento in primæuũ suũ nihil recidãt, efficere potest, & is pro tuis culpis cæditur: quę ergo tibi pro tuis delictis verbera exspectanda?

2. Christum ab hominibus tam crudeliter tractari, quos ipse ad imaginem suam efformauit, atque innumeris beneficiis affecit. Quam molestę atque indignanter accipimus, si vel leuissimo verbo à quopiam perstringamur, quem nobis aliquo officio obstrictum putamus? quam etiam facile beneficiorum Dei ipsi obliuiscimur, qui in aliis perpetuam meritorum nostrorum memoriam permanere cupimus?

3. Quantum Christus omnis pudicitiæ magister erubuerit, cum tam ignominiose coram impurissimis carnificibus nudaretur. Supplica ei, vt per hanc suam ignominiam, æternæ à te ignominiæ supplicium auertat, qua extremo iudicii die improbos omnes in sempiternum notabit.

V. Reputa tecum, pro quibus tam crudeliter, tanta cũ ignominia Christus exspoliatus, verberatusque fuerit. nos scelerum nostrorum impudentia, cum summo dede-

core denudari merebamur, nos ob grauitatem ac frequentiam flagitiorum verberibus digniſſimi, qui Dei in nobis expreſſam imaginem tot ſcelerum ſordibus fœdaueramus, omni noſtra cogitatione in peccatorum cœnum abiecta, quo ſpecies omnis & venuſtas rationalis animæ penitus deſtruitur, & homo denſiſſima menti offuſa caligine, quadrupedi quam homini ſimilior efficitur. nulla enim res eſt quæ tantas lumini rationis, qua potiſſimum à belluis homo diſtinguitur, tenebras offundat, atq; peccatum. cum nihil in rerum natura excogitari poſſit, quod tam hoſtiliter humanæ dignitati aduerſetur, quam peccatum.

VI. Perpende quibus nos piaculis culpas noſtras caſtigemus, quas lachrymas, quem ſudorem, quem ſanguinem iis eluendis fundamus, quibus flagris, ciliciis, ieiuniis, ſimilibuſque corporis afflictationibus, de ſceleribus noſtris tam tetris, tam frequẽtibus, & ſine quibus vix diẽ vnum tranſigimus, vindictã punitionemq; ſumamus.

VII. Si domini cuiuſpiam, aut regis, aut etiam parentis, tantus eſſet in clientem aut filium affectus, vt proprio corpore debita illius facinoribus ſupplicia ſubire vellet, quibus oculis aut ille regis, aut hic parentis verberationem aſpiceret? an non vel ſolo

Q pudo-

pudore adactus, tergum ſuum pro illo verberibus opponeret; aut ſaltem partem pœnarum, ad illius leuamen ſibi infligi poſceret; aut ſi tantum ad patiendum roboris non haberet, non ſummo eum ſaltem amoris affectu diligere inciperet, cuius in ſe beneuolentiam tam luculentis indiciis agnoſceret? Quanto æquius hoc ipſum à nobis exigi poteſt, cum Chriſtum Dominum noſtrum, regem parentem, Deum ac conditorem noſtra culpa tam acerbis ſuppliciis lacerari conſpicimus? Quid Deo reſpondebimus, ſi vitæ tempus nobis à Deo ad æternam beatitudinem promerendam datum, in conquirendis diuitiis, honoribus, voluptatibus contriuerimus: quæ præterquam quod nihil ad beatitudinē aſſequendam conferunt, multa quoque eo tendentibus impedimenta obiiciunt; neglecto interim omni virtutum cōgerendarum ſtudio, ad quod tam liberaliter neceſſaria omnia præſidia è cælo nobis offeruntur.

VIII. Conſidera etiam quomodo Pilatus Chriſtum omni populo palam ſpectandum producat coccinea chlamyde per ludibrium indutum, ſpinea corona redimitum, ſanguine perſuſum, toto corpore ſaucium ac lacerum, vt totum corpus tamquā continuum vulnus ſanguine ſtillaret. Per-

pedne

pende verba illa quibus Pilatus Chriſtum populo oſtendit *Ecce homo*. Quaſi diceret 1. Homo hic eſt, quamuis in eo humani corporis ſpecies ac lineamenta ita vulneribus deformata ſint, vt vix hominis ſimilitudo eluceat. Nulla fera tam truculente alteram ſui generis diſcerperet, vt hominem hunc ab hominibus laceratũ cernitis. Cogita propter peccata tua Chriſtum ſic laceratum fuiſſe.

2. Ecce homo, aut potius hominum reiectamentum, aut terræ vermis, in quo nulla ſpecies hominis appareat. Quid tibi exſpectandum cum tua crimina tam diris ſuppliciis Deus luat, & ô vtinam tu non adhuc quotidie, quantum in te eſt, ſimili in eum feritate tuis ſceleribus ſæuires!

3. Ecce homo, immo hominum omniũ caput ac princeps, Regum omnium Rex, cælorum iucunditas, Angelorum deliciæ, beatorum omnium præmium. Hic eſt ille toties patribus promiſſus Meſſias & Saluator, cuius deſiderio tot ſuſpiriis ac lachrymis Deo ſupplicauere. Hic denique eſt vnicus Dei filius ſuper omnes res creatas ei chariſſimus, quem tam inhumaniter tua ſcelera afflixerunt. Quid ergo tibi exſpectandum?

4. Hic homo ille eſt qui homines omnes

ſupremo vitæ momento magna ſeueritate iudicaturus eſt. Excita teipſum hac conſideratione, quiſquis Dei cauſa hic ab hominibus deſpiceris, contemneris, & tamquam amens ac fatuus à mundo ludibrio haberis. qui enim hæc conſtanter ac generoſe Dei Amore toleras, aliquando cum Christo mundi ſapientes, diuites, potentes condemnabis. Quapropter in iudiciis noſtris non externam tantummodo hominum ſpeciem intueamur, quæ non raro vilis, contempta, abiectaque apparet, ſed interiora conſideremus, atque ex horum conſtitutione, ſi quid iudicandum, pronunciemus; penitiora virtutum decora, non ſola externa naturæ ornamenta ſuſpiciamus. Quantum iudicia noſtra à Dei iudiciis abeunt? Hæc ſi ſapis time, hominum iudicia quæ tibi minimum obeſſe poſſunt, neglige.

IX. Conſidera Iudæos, inſtar rabidorum leonum, aut famelicorum luporum, aut ferociſſimarum tigridum, tam miſerandi ſpectaculi intuitu, nihil ad commiſerationem commoueri: verum amplius irritari accendique, & pariter inſanis vocibus inclamare *Crucifige, crucifige*, An non hæc furialis inuidia atque malitia? Pilatus homo à veri Dei cognitione alienus, omnem init rationem vt innocentem Chriſtum neci

eripiat:

eripiat: contra Iudæi, gens à Deo ex omni natione ſelecta, viſo Chriſto tam indignis modis tractato, magis in eum exacerbantur atque inardeſcunt; vt nulla verbera rabiem eorum exſatiare, nec vlla ſanguinis profuſio ſitim reſtinguere poſſe videantur. Quomodo tu ergo coram Deo Iudice cauſam tuam tueberis, qui indies prioribus culpis nouas ſuperadiicis? quod non aliud eſt quã pro tua virili ſæuiſſima hæc verbera ac vulnera quotidie iteratis ſcelerum ictibus, renouare. Cur non potius totus in lachrymas ſolueris, cum regem tuum, Patrem tuũ, ac Deum conditorẽ tuum pro te tam crudeliter afflictum intueris? Proſpice quid tibi ſit exſpectandum, niſi aliam vitæ rationem ineas, ac relicta vitiorum conſuetudine, virtutem infracta animo perſequare.

x. Adhibe hic ſenſuũ internorũ officia. 1. Propone tibi ob oculos Chriſtum marmoreæ columnæ manibus ac pedibus diriſſime alligatum, aculeatis virgis, & catenarum vncinis laceratum, carnem ita diſcerptam, vt per vulnerum hiatus oſſa conſpici queant, ſanguinem è venis toto corpore perfuſis, tamquam è fontibus profluentem. Perluſtra corpus hoc vniuerſum; nihil vſquam à pedum plantis, ad capitis verticem illæſum aut integrum reperies ſaucii

Digitized by Google

ſunt omnes artus, omnia membra conuulnerata, coſtæ prope cute & carne nudatæ, vt magis abſumpta carne, emortua oſſium compages, quam viui hominis artus videri poſſent. vide pauimentum ac muros atrii diuino ſanguine rubentes. Et hic eſt ô anima, Parens tuus, Deus tuus; hic aliquando etiam abditiſſimarum cogitationum tuarum iudex futurus. Excita te ad peccatorum horrorem ac deteſtationem, quæ toties laſciuis, impudicis inuidiſque oculis perpetraſti. quæ Deum ac Saluatorem tuum tam truculenter verberauere, ac etiamnum quoditie verberant, dum antiqua illa vulnera nouis peccatorum flagris refricas.

2. Excipe auribus diros verberum crepitus, quibus tenerrimum innocentis Chriſti corpus pulſatur, quorumque horribili fragore audientes exanimari atque interimi poſſent. Tu hos ictus, hæc flagra merueras, & pro te Deus tuus hæc ſuſtinet. Audi quoque ſanguinis è vulneribus tamquam è fontibus in terram defluentis ſtrepitum. vbi tuæ lachrymæ? vbi ſanguinis riui? vbi oculorum ſcaturigines?

3. Odoratu percipe pretioſiſſima diuini ſanguinis vnguenta, quibus lethalia vulnera noſtra fouentur. odorate ſuauiſſimũ horum

rum vnguentorum halitum, quo mundus vniuerſus & cælum ipſum repletur, & quo nullus vnquam thuris aut thymiamatis odor Patri æterno gratior iucundiorque in terris conſecratus fuit. quippe qui cætera omnia creata pretio & ſuauitate infinite excedit.

4. Guſtatu dulciſſimi ſanguinis delicias deguſta. abiice te ad ſanguineum hoc Corpus, ad dolium hoc muſto exundans. en epiſtomia omnia educta, ac è toto vaſe rimis fatiſcente vina prorumpunt. hauri, bibe, inebriare, omnis hic ſobrietas intemperata, omnis ebrietas ſalutaris. Compara teipſum vt è ſanguineo hoc racemo digne multum ſorbeas: quod numquam feceris melius quam ſi vitiorum à te fæces eieceris.

5. Tactu denique diuini huius corporis ſuauitatem explora. Amplectere laceros artus, inſere digitos intra nudatam coſtarum cratem, pinge genas tuas diuino hoc ſanguinis purpuriſſo, ablue cruentum corpus lachrymis tuis, exterge capillis ac genis, ſuauiare flagella ac catenas ſacratiſſimo cruore madentes, oſcula fige parietibus & pauimento pretioſiſſimo cruore aſperſis, amplectere & exoſculare columnam eodem rore ſudantē. Immo teipſum cum Saluatore tuo indiſſolubilibus charitatis vin-

Digitized by Google

culis ad columnam hanc conſtringe. An non mirum non omnium hominum corda inſtar ceræ contactu ignis extabeſcere ac liquefieri, cum vident audiuntque immanem hanc verberationem? Diſce hinc immenſum charitatis æſtum, quo *Chriſti* pectus æſtuabat. Quas flammas intus aluiſſe neceſſe eſt pectus illud, quod noſtri amore tantos cruciatus adibat conſtantiſsimeque perferebat. quod omnes vndique cruoris meatus aperiebat, omnibus venis ſanguineos fontes propinabat, & quaſi cataractis omnibus incredibilis charitatis impetu laxatis, omnia ad noſtram cum Deo reconciliationem profundebat. Conſidera quæ tua ſit in Deum pro tanta Chriſti in te charitas: atque iterum expende quæ tuis ſceleribus ſupplicia maneant, quæ tam immaniter ſacratiſſimũ Chriſti corpus dilaniauere.

DIES QVINTVS.

De Chriſti coronatione.

1. INtuere incredibilem Iudæorum ſæuitiam, qui prioribus illis Chriſti cruciatibus necdum exſatiati, noua tormentorum genera excogitant. coronam aſperrimis ſpinarum aculeis contextam ſacratiſſimo capiti Regis regum ac Domini dominantiam imponunt atque imprimunt, aduo-

Digitized by Google

aduocata ad hoc ſpectaculum tota cohorte prætoria. ad maiorem Chriſto dolorem ignominiamq; horum irriſione ac ludibriis infligendam. erat corpus vniuerſum flagellorum vibicibus ſulcatum ac lacerum, caput hactenus vtcumque integrum reſtabat, quod vt etiam ſimili cum reliquis artubus cruciatu excarnificarent. poſt pugnos & verbera, inueniunt barbarum atque immane ſupplicii genus, acutiſſimis ſpinarum aculeis horrentem coronam plectunt, quæ totum caput conuulneraret, aut potius toto capite vnum vndique vulnus efficeret. hæc ſunt tua quæ quotidie adinuenis noua peccatorum genera, quæ nouam hanc Chriſto carnificinam inuenerunt.

II. Perpende Chriſti charitatem, cui non ſatis fuit totum corpus flagrorum ictibus lacerandum obtuliſſe, niſi etiam caput nouis nec ante vnquam vſurpatis cruciatibus, torquendum daret. Amplectere tu quoque, hoc Chriſti exemplo animatus, omnem pœnitentiæ aſperitatem, & ſpinas, vt in altera vita amariſſimos æternumque excruciantes pœnarum aculeos redimas. excute à te, pedibuſque obtere tuam inſoleſcentem arrogantiam & ſuperbiam, è cuius ſentibus immite hoc ſertum Chriſto contextum fuit.

quod nos vnigenito filio ſuo hac in re ſimiles effeciſſet? Quid nobis ergo faciendum, cùm aduertimus ſolum Chriſtum vnicum Dei filium, noſtra cauſa à Deo Patre ſic coronari? quæ commiſerationis ſigna, quæ gratitudinis, quæ amoris Deo Patri ac Filio exhibemus? Immo quid intentatum relinquemus, vt ei placere poſſimus, diuinæque eius ac paternæ voluntati ad nutum ſatisfacere?

VI. Inquire cauſam huius tam truculentæ coronationis: inuenies peccata noſtra, ac præ ceteris multiplicem noſtram animi elationem ac ſuperbiam, immoderatã gloriæ honoriſq; cupiditatem, è quibus vitiis, tamquam ex acutiſſimis ſpinis horrendum hoc Chriſto diadema contextum fuit. hæc enim longe acerbius acutiuſque, quam vlli veprium aculei, diuinum regis noſtri, parentis ac Dei verticem compunxerunt, atq; etiamnum indies compungunt.

VII. Compara hoc capitis Chriſti ornamentum cum exquiſitiſſimis noſtris ac faſtuoſis ornamentorum deliciis, quæ ſæpe intuentibus diuerſorum peccatorum occaſionem ſternunt; dum exquiſitior ille corporis cultus occurrentium oculos allicit, detinet, mulcet, atque animum hiſce lenociniis mollitum laſciuis cogitationibus laceſ-

sit, prauis cupiditatibus oppugnat, & vtinam non sæpe expugnet!

VIII. Christo tamquam supposititio regi tam probrose illuditur, qui tamen verus ac solus regum ominum rex erat. Idque ad nostrum ruborem, qui licet millies meriti simus, ne verbulum quidem asperius audire æquo animo possumus, cum Christus nostra causa tot illusiones atque opprobria patientissime audierit. Confer hic Christi contumelias pro tuis sceleribus toleratas, cum iis quas pro tuis ipse delictis aut sustinuisti aut adhuc sustinebis. Considera vtrimq; personarum cōditionem: hinc Christum Deum, Creatorem, Parentem, Dominum, Regem, Iudicem vniuersi; inde vero tuam vilitatem ac indignitatem. Intuere illius innocentiam, ac tua delicta, quibus diuinum eius numen toties grauissime offendisti, amplissimas eius pollicitationes, vti & supplicii æterni comminationes vilipendisti. Quapropter instiga teipsum ad libenter omnem contemptum, irrisionem, hominum ludibria toleranda; cum nulla tam grauia tibi vnquam irrogari possint, quin longe his maiora sæpius promerueris.

IX. Obserua discrimen quod est inter Dei ac mundi iudicia. Sinit Deus hic suos contemni ac despici, ærumnis ac miseriis affligi

affligi, opprobriis exagitari; ſed eos ipſe deinceps poſt hanc vitam ampliſſimis honoribus extollit, & poſt calamitates exiguo tempore durantes, æternarum voluptatum remuneratione exhilarat: mundus vero hic ſuis fugaciſſimorũ honorum coronas proponit ac ſpondet, quas tamen rari admodum, & ex mille vix vnus adipiſcitur, ac poſt hanc vitam iiſdem æternas ignominiæ compedes pro mendaciſſima honorum ſpe iniicit. Elige vtrum malis? Hicne cum Chriſto Deo ac parente tuo ludibriis & contumeliis coronari, ac poſtea cum eodem æternæ felicitatis corona redimiri: an magis hic cum mundi ſequacibus, fugitiuis exigui honoris ſertis induo, atque exacta vita, æternæ ignominiæ & ærumnæ coronam in ſempiternis ignibus exſpectare.

x. Applica ad has miſerrimæ coronationis illuſiones & dolores internas animæ facultates.

1. Interioribus oculis intuere regem tuum à crudeli nouerca Synagoga ſpinis coronatum: intuere hunc ſponſi tui, qui te ſibi tam cara dote deſponſauit, lugubrem diei nuptialis ornatum. Conſidera eum regio paludamento quod proprii ſanguinis purpura tinxit, indutum: contemplare regium eius ſceptrum, aſpice pulchritudinem eius

& ſplen-

ſplendorem, vide eum ſputis fœdatum, verberibus liuidum, proprio ſanguine rubentem: contemplare eum humi proſtratum, ac in ſuo ſanguine inſtar iugulatæ pecudis palpitantem.

2. Auribus excipe amaras Iudæorum irriſiones, per ſummam contumeliam Chriſtum tanquam ſuppoſititium regem ſalutantium, tanquam patriæ proditorem, publicæ tranquillitatis perturbatorem ac hoſtem irridentium. Audi verberum plauſus, qua pugnis, qua arundine, qua fuſtibus inflictorum. nullus eſt verberandi, nullus illudendi modus: nulla vnquam fera tam inhumaniter ab hominibus exagitata fuit, vt regem tuũ, Deum tuum, liberatorẽ tuum truculẽta hæc militũ turba afflgit, & hoc propter ſcelera tua, immo ab ipſis tuis ſceleribus.

3. Percipe odoratu 1. graueolentiam putentis muci ac ſaliuæ qua totũ Chriſti corpus eſt conſperſum. 2. Fragrantiam ſuauiſſimi ſanguinis è diuino capite defluentis, qui cœlum & terras iucundiſſimi odoris gratia complet.

4. Guſtu expende, quã deſipuerint Chriſto Domino fœtidiſſima illa oris ac narium excrementa, quibus totam eius faciem petulans militum caterua oppleuerat.

2. Quam iucundus ac ſapidus fuerit diuinus

uinus ille ſanguis è ſacratiſſimo vertice ſtillans, qui ſalutis noſtræ ac libertatis pretium continebat.

5. Contactu cruciatus, quos Chriſto ſpinea hæc corona inferebat, pertenta. ſuppone caput tuum huic aculeato galero, vt ſpinarum puncturas, ac verberũ deſuper inſultantium acerbitatẽ experiare, ac vel ſic ſaltem pœnarum Chriſti particeps eſſe poſſis. Cogita tua ſolius peccata eſſe, quæ tam diris vulneribus Chriſti caput confixere, atque indies adhuc crudeliſſime configunt.

DIES SEXTVS.

Chriſtus crucem baiulans ad mortem ducitur.

1. CONſidera quomodo Pilatus varias excogitet rationes, omnia tentet, ac periclitetur, vt Chriſtum quem innocentem eſſe liquido deprehenderat, è Iudæorum manibus eripiat & ſicuti prius ad Iudæorum rabiem mitigandam, Chriſtum tam miſerabiliter in flagellatione acceptum, populo ſpectandum produxerat; cum vidit nihil hac procedere, quin immo Iudæos in concepto ſemel odio contra innocentem Chriſtum acrius perſiſtere: aliam iterum init vitam: *Ecce*, inquit, *Rex veſter*: *Regem veſtrum crucifigam*? Verum quanto magis Ioã. 19.

pro

pro innocente laborabat Pilatus, tanto eorum amplius exardescebat insanus furor: iterumque coniunctis vocibus ferale *Crucifige, crucifige* inclamant. *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Excute te ipsum tuasque cogitationes ac studia, quoties iis cœlorum regē cieres, vt mundo placere possis. Quod agis quoties tua voluntate flagitium admittis. hoc enim modo teipsa à Dei imperio qui summus cæli Rex est desciscis, & alterius te tyranni clientem facis.

Ibid.

11. Pilatus vt vidit nihil se apud Iudæos, quod æquum esset, obtinere posse, postulata aqua manus coram eis lauit, ad testificandam suam innocentiam, quam nollet innocentis Christi sanguine contaminari. sed efferata plebs omnis conspirantibus vocibus respondit, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Quod sane reipsa factum est. nam sanguis hic, cuius ea vis erat, vt mortales omnes ab æterna seruitute liberare posset, Genti Iudaicæ miserandum excidium, perpetuum exilium, omnium populorum odium atque irrisionem, ac denique plerisque eorum sempiternum exitium attulit. Supplicemus, vt innocens hic sanguis super nos veniat, non vt super Iudæos ad supplicium; sed ad abluendas animi sordes, mentis vires corroborandas, atque ad æternæ sa-

Matth. 27.

næ ſalutis ſubſidium ſempiternum: vt qui peccatorum ſordibus immerſi, ac prope vitiorum veneno extincti iacemus, ſaluberrimo ſanguinis rore aſperſi; è vitiorũ veterno ad perpetuum virtutis ſtudium excitemur.

III. Pilatus Chriſtum ſuis hoſtibus, vt eum ſuo arbitratu in crucem agant, tradit. Toties ante Chriſti innocentiam non dubiis argumẽtis comperetat, ac palam etiam profeſſus fuerat, ſciebat criminationes omnes ſumma Iudæorum inuidia & maleuolentia confictas eſſe; & tamen inani Cæſaris timore victus, repugnante animi conſcientia, innocentem excarnificandum tradit. Quoties nos quoque innocentem hunc prauis noſtris libidinibus victi, quantum in nobis eſt, necandum tradimus, dum mundi ſollicitationibus, blandiſque libidinum irritamentis cupidius, quam Dei imperiis & conſiliis obtemperamus?

IV. Chriſtus iniquiſſimum Præſidis decretum magna animi ſubmiſſione admittit, nihil opponens, nihil deprecans, vt à nobis æterni ſupplicii neceſſitatem æquiſſimo decreto peccatis noſtris propoſitam auertat. Roga Chriſtum vt iniquiſſima hæc damnationis eius ſententia, te in extrema vitæ periodo lætum de æterna tua felicitate decretum audire faciat.

V. Chri-

v. Christus crucem suam amplectitur magna promptitudine & alacritate, lignúque illud eatenus infame ac ferale diuino suo amplexu nobilitat, atq; in salutis symbolum dedicat: quod sciret illud sibi aram futurum, in qua augustissimum illud inter omnia sacrificia holocaustum Deô Patri ad hominum expiationem & salutem immolaret.

vi. Intuere horrendum hoc spectaculum, ô anima Christiana, vide Deum Saluatorem tuum sub crucis pondere gementem, Iudæos ridentes atque insultantes, intuere eos lætitia gestientes triumphantesque: è diuerso vero aduerte Angelorum luctum & tristitiam. Considera quibus oculis æternus Pater è cælo vnigenitum filium suum sub cruce sudantem, lapsantem, succumbentem viamque omnem sanguine conspergentem intueatur. Quantulum tamen est crucis huius pondus, si cum sceleribus nostris confeiatur, quorum moles innumeris trabibus præponderat. Quodlibet enim crimen capitale in diuina lance appensum, cælum & terram longe grauitate excedit.

vii. Metuentes Iudæi ne Christum sub crucis pondere vires ac vita deficerent, Simonem quendam Cyrenæum compulere, vt pro Christo crucem ipse ad supplicii locum

eum portaret. Quo docemur, nobis cum Chriſto crucem quoq; ferendam eſſe: quod ante diſertis verbis Chriſtus monuerat. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipsũ & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.* Luc. 9. Attende num Chriſti tu crucem feras, an forte magis mundi portes, ingenti peccatorum pondere onuſtus, quæ ſunt cruces longe infeliciſſimæ, hominem in ſempiternam calamitatem deprimentes.

VIII. Conſidera neminem reperiri potuiſſe, qui Chriſti crucem ferret, præter hunc peregrinum vi ad hoc à militibus adactum. Quis efficiet, vt oculi tui fontiũ inſtar, riuos lachrymarum fundant, cum Saluatorem tuum ita ab omnibus deſertum vides, vt in extrema hac neceſſitate nullus inueniatur à quo tantillum gratuiti obſequii aut ſolatii exſpectare poſſit? Perpende an non parem quotidie inhumanitatem homines in Chriſtum exerceant, quem tamdiu cupidiſſime ſequuntur omnes, quamdiu amœna præit via, vbi & corpori ſua commoda & animo ſolatia ſuppetunt. at quam primum difficiliore calle ducere cœperit, atque ad labores, moleſtias, difficultates, ad crucem baiulandam inuitare; retro omnes abeunt, labores detrectant, moleſtias auerſantur, crucem à ſe omnes quantum poſ-

ſunt

ſunt amoliuntur: aut ſi eam neceſſitate adacti ferre cogantur, inuito reluctantique animo id faciunt. Ora Deum vt ipſe animum tuum corroboret, vt crucem eius tua ſponte ſubeas, fortiter alacriterque perferas. cum non ignores neminem in æterno Chriſti regno beatæ immorttalitatis corona donandum, qui non viriliter cum Chriſto ſub cruce ſudarit, quæ ſola ad æternam felicitatem aditum hominibus reſerare debet. Huius tibi præmii recordationem frequenter obiice, quoties in hac vita laboribus te aut ærumnis premi contigerit, quas omnes tibi tolerabiles atque etiam leues æterni gaudii memoria efficiet.

IX. Conſidera promptam Chriſti voluntatem in cruce perferenda, quam etiam viribus plane exhauſtis, cum maximo periculo ne ſub pondere deficeret, prompte ſuſcepit. quo docere nos voluit, numquã nos cruces ob grauiſſima etiam vitæ pericula ſubterfugere debere, ſed eas magno conſtantique animo ſubeundas eſſe, cum nullæ tam graues imponi poſſint, quæ cum æternæ felicitatis bono ſint comparandæ.

X. Compone promptam hanc Chriſti voluntatem cum noſtra tergiuerſatione ac reluctantia, etiam in leuiſſimis moleſtiis adeundis: cum tamen crucem ſuam nobis emolu-

emolumentum allatutam Chriſtus ſuſcipiat; nos vero eam non aliorum commodo, ſed noſtro bono toleremus.

XI. Examina hæc Chriſti verba ab eo dum ſub crucis pondere gemeret prolata, *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. 1. Erat ſane ille virtutum ſucco virens ac vegetus, plenus bene factorum humore, meritorum fructu grauis: nos contra aridi, virtutum ſucco deſtituti, vacui bonorum operum, bene meritorum fructibus exuti. 2. ſi tanta acerbitate ſæuitum in eum fuit, qui nullius erat criminis reus, quid nobis fiet qui omnium ſcelerum ſordibus ſumus infecti? 3. Si tantum ipſe pro nobis in ſe pondus laborum ac cruciatuum ſuſcepit; quid nobis pro ipſius honore vt grati ſimus, & pro æterna beatitudine; vt ea in perpetuum perfruamur, adeundum?

XII. Expende quoque hæc Chriſti verba, *Nolite flere ſuper me ſed ſuper vos ipſas flete.* Reperies enim in te multas triſtitiæ & lachrymarum cauſas, paucas vero hilaritatis aut lætitiæ. Peccatorum enim noſtrorum ingens cumulus vitæque huius incertitudo ac fragilitas, denique æterni inferorum cruciatus ſi animo continenter obuerſentur, ampliſſimam nobis anxietatis & triſtitiæ occaſionem dare poſſunt.

Elige

DIES SEPTIMVS.

De Cruce Chriſti.

I. PErcurre cogitatione omnem Chriſti vitam, & reperies vbique in excellentiſſimis eius operibus inſignem animi ſubmiſſionem, conſtantem patientiam cum ardenti eius in homines charitate permixtas. Vbique enim viliſſima quæque abiectiſſimaque ex omnibus ſibi eligit ſubmiſſionis ſtudio; moleſtiſſima quæque atque acerbiſſima patientiæ ac amoris ardore. In ortu ſuo ſtabulum eligit; quid hoc in mundo vilius? quid abiectius? in morte feralem publicæ carnificinæ aream; quid turpius? quid deſpicacius? recens natus decumbit in quadrupedum præſepio; quid contemptius? moriens duos inter latrones cruci affixus pendet; quid ignominioſius?

II. Vide vt Chriſtus à lictoribus in terram proiectus ſuper crucem extendatur. vide vt primum vna manus, tum altera, dein pedes trabalibus clauis transfigantur. meditare quo cruciatu, quem nemo abſque incredibili horrore vel cogitare ſecum poſſit. Et hic eſt innocẽs ille agnus, in quo nulla vmquam culpa, immo nullum culpæ veſtigium inuentum fuit. Aſpice hunc in cruce extenſum, tantaq; immanitate membra

omnia

omnia contenta, vt costæ omnes cæteraque corporis ossa numerari possint. Cogita quanta sit criminum tuorum malignitas, pro qua expianda tam diram excarnificationem Deus ipse subit. Meditare etiam quanta acerbitate singuli malleorum *ictus* beatissimæ Matris pectus effoderint, vnde sane tum merito cum filio dicere poterat.
Thren. 1. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.*

III. Modo tempus est, si horrendam hanc crucis carnificinam, clauorumque manus ac pedes transfigentium stridorem ferre nequimus, vt amoris ignibus efferuescamus, totiq; charitate liquescamus, contemplantes magnum illum Deum tam dire, tam crudeliter, in crucē pro nobis actum. Quis nostrum tam est ab omni humanitate alienus, vt Deum suum, Patrē ac iudicem suum designatum audeat clauis transfossum cruci affigere? hanc tamen nos immanitatem non raro in Deum nostrum exercemus, quoties lethali flagitio in ipsum insurgimus. Quot enim flagitia perpetramus, tot clauis Christi membra configimus: immo longe acerbius scelera nostra manus pedesque Christi confodiunt, quam ferrei olim claui semel confodere. Quid de huiusmodi filio censeres, qui proprii parentis manus & pedes

pedes clauis perforaret? Vide num mitior ſit tua feritas, quoties Dei numen peccando laceſſis.

IV. Conſidera attente ſtudioſeque omnia Chriſti vulnera, ac præ cæteris quinque illa præcipua in manibus, pedibus, ac pectore. inſpice hos miſericordiæ fontes ac ſcaturigines deliciarum noſtrarum. Quæ mater filios talibus vnquam pauit vberibus? en tibi tot oſtiis, quot vulneribus Chriſti corpus hiat, patentem vinariam cellam. niſi hic te impleas atque inebries, vbi ampliorem copiam inuenies? Quid ſitiens ad dolia hæc diuinæ clementiæ muſto efferueſcentia reſides, nec quantum ſitis, hauris? vbi copioſius, vbi ſuauius potabis? An non totus liqueſcis, ad quinque hos diuino lumine radiantes ſoles, qui mundum vniuerſum, immo & altiſſima cælorum culmina ac profundiſſimos terrarum ſpecus radiis ſuis illuſtrant? Quo ergo ardore, quo igne cor tuum tabeſcet? non totus igneſcis quinque his diuini amoris fornacibus oppoſitus, quę cælum ac terram iucundiſſimis flammis ſuccendunt? Quæ ignium vis frigus tuum accendet?

V. Conſtitue in his quinque vulneribus animæ tuæ domicilium, in quibus quamdiu hæſeris, nullas anxietates, nullas impu-

gnationes, nullam vnquam cladem poteris extimeſcere. ſunt enim illa vulnera propugnaculum inexpugnabile, quod nullis vnquam machinis hoſtes cõuellere, nullis cuniculis ſubruere, nullis inſultibus expugnare, ne omnibus quidem inferorum viribus ſimul iunctis poterunt.

VI. Conſidera præ ceteris vaſtum illud in latere vulnus, & ſi non totum te abſorbuerint manuum ac pedum lacunæ, immergere totus in altiſſimũ hunc pectoris oceanum, qui cælo ac terra profundior eſt. Interroga amorem, qui latus hoc transfixit: interroga latus ipſum, quod plagam excepit: interroga cor ipſum diro telo transfoſſum, vllumne ſui vulneris fundum oſtẽdere queat: denique interroga ipſum vulnus; nullum vſquam fundum in hoc vulnere inuenies. eſt enim hoc profundiſſimum, latiſſimum, altiſſimum infinitæ Dei in homines caritatis vulnus. vbi amor tuus, vbi caritas tua? ô homo. illane per alueum ſuum exili riuulo fluit, deriua in eum vaſtiſſimum hunc oceanum nullis vſquam littoribus clauſum, & continuo, in amplum flumen excreſcet. Eſtne caritas tua glacie frigidior, ferro durior, iniice eam in hanc æſtuantem caritatis fornacem; liqueſcet illico & molleſcet. Si rupe eſt horridior, adhibe hos ignes, hos flam-

flammatum vortices, ſtatim aſperitate poſita miteſcet.

VII. Contemplare Deum tuum ex cruce pendentem, & reputa tecum, minimumne eorum, quæ pati pro te Chriſtum vides, ab eo vnquam expectare, aut polliceri tibi auſus fuiſſes: & cum aliud non poſſis, teipſum ardenti deſiderio Cruci huic affige, in qua Deum Patrem tuum ſuſpenſum conſpicis, nec prius abſiſte, quam tibi manus ac pedes Chriſti clauis, pectuſque tuum eodem caritatis telo transfixeris: hæc enim in te mori coget omnia mundi deſideria, omnem ad vitia propenſionem, omnes fugacium voluptatum cupiditates: efficietque vt in nullo deinceps quidquam boni eſſe credas, præterquam in Chriſto crucifixo, in quo quidquid iucundum, quidquid ſuaue, quidquid lætabile vſquam eſſe poſſet, reconditum inuenies: cetera vero omnia quæ mundus admirari ſolet, vt ſunt opes, deliciæ, gloriæ, ſplendor, eiuſmodi eſſe duces, vt ea nec aſpectu quidem tuo digna æſtimes, tantum aberit, vt iis intellectum, aut memoriam occupari, aut voluntatem teneri patiaris.

VII. Attende Deum tuum, vt nihil ſibi reſeruet, ne ſupremam quidem ſanguinis aut aquæ guttulam, quam non magna vo-

luntate pro te effundat. si quæ vsquam guttula toto corpore superfuisset, libens eam tibi propinasset. Vbi tuus amor? hic enim vbi sincerus est, nulli rei parcere nouit, in profundendo pro eo quem amat modum aut mensuram nescit, omnia profert, omnia profundit, plus etiam daturus, si plus supersit. Inquire num talem in te erga Deum amorem, an magis erga mundum reperias. perpende cui plus tribuas, cui plus laboris, plus sudoris, plus vigiliarum ac molestiarum impendas, Deine an mundi obsequiis. Denique vide cui te magis similem esse cupias, an mundo, an Deo. Quicumque inter se sincero ardentiq; amore coniuncti sunt, eniti solent vt sint inter se motibus, sermone, vita quam simillimi. Obserua ad cuius mores tuos conformare studeas, & hinc perspicue intelliges quem ex animo diligas. Si frequentius cogitationes tuæ in honoribus, diuitiis, voluptatibus conquirendis excubent, mundus, non Deus tibi in oculis, in animo est. nam si Deus animũ tuum occuparet, immensum ab his curis mente abesses. totusque esses in virtute prosequenda, in vita ad Christi mores conformanda, cuius vitæ institutum ac doctrina, toto cælo à mundi cogitationibus studiisque deflectit.

IX. Ad-

IX. Aduoca interiores animæ ſenſus ad Crucis huius myſteria perſcrutanda.

1. Oculis contemplare quam ignominioſe tanta hominum inſpectante turba, Chriſtum veſtibus exſpolient: quam truculenter ſuper crucem proſtratum, tamquam neruum in arcu diſtendant: intuere coſtas ante flagrorum vibicibus laceratas, amplius immani hac diſtentione nudari: intuere quanta feritate crucem affixamque ei victimam ſanguine ſtillantem erigant: conſidera ſalientes inde quinque illos miſericordiæ fontes. ſuſpice crucem in vertice montis duas inter latronum furcas defixam, & in hac tuum Regem, Patrẽ, Deum, Saluatorem, futurumque iudicem tuum ſuſpenſum reſpice: nuſquam vbi caput tot doloribus fatigatum reclinare poſſit, inuenit: in quamcumque ſe partem conuertit, vbique vulnera ſua refricari ſentit. Diſſiliat in partes cor tuum ingenti commiſerationis ac doloris affectu, non tam ob hanc miſerabilem Dei tui conditionem, quam propter peccata tua, quæ tantæ calamitatis neceſſitatem Chriſto attulere. Cõſidera Chriſtum, ſanctiſſimamque eius matrem, aduerte quibus vtrimque ſe oculis, quo vultu aſpiciant: reſpice vtriuſque pedes, manus, latera, pectus, diris vulneribus transfixa:

vide quis in crucem illam actus pendeat: tum oculis in cælum ſublatis, vide quis ibi gloriæ ſolium occupet: conſidera eum hic in cruce ſuſpenſum emori; qui cælos omni lætitia implet, & ad cuius conſpectum, *cum ſupremus iudicii dies illuxerit, cælum & terra trepidabunt.*

2. Auribus audi diros malleorum ictus, quibus terribiles illi claui per medios pedes manuſque in crucem adiguntur. Quis vnquam tam inhumaniter feram excarnificari audiit? auſculta Iudæorum fremitum, irriſiones, ludibria, cum crucem in altum attolli cernerent. Eorundem in Deum blaſphemias, verba contumelioſa: *Salua temetipſum, ſi Filius Dei es; ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac.*

Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.

Attende ad verba quæ Chriſtus è cruce loquitur: audi gemitus & planctum mœſtiſſimæ eius matris, ſuſpiria, eiulatum, lamenta adſtantium amicorum. Vbi tuæ lachrymæ? vbi luctus ſuper peccata tua, quorum culpa tanta Chriſto ſupplicia infliguntur? qui fieri poteſt vt cor tuum mœrore non rumpatur, non te vires deficiant, anima commiſeratione non emoriatur?

3. Odoratu percipe victimæ huius ſuauiſſi-

uiſſimum odorem, cui à mundi exordio, nulla vmquam ſimilis Deo immolata fuit. numquam inuenta pretioſior, numquam opulentior, numquam vlla quæ tam iucundum Dei naribus odorem afflauit. Odorate interno odoratu præcipuarum virtutum fragrantiam, quæ ex hac cruce profectæ toto orbe ſuauitatem ſuam exhalant, præſertim paupertatis, patientiæ, obedientiæ, humilitatis, charitatis.

4. Guſtatu deliba ſuauiſſimum harum virtutum ſaporem, excedentem ſine comparatione, omnes dulciſſimarum rerum delicias. Guſta etiam cum Chriſto vinũ cum felle permixtum, & attende quid non patiatur Deus, vt immoderatam tuam edendi bibendique libidinem expiet. Demum abiice te ſub hac cruce, & bibe ex ſanguineis hiſce fontibus, donec ſuauiſſimo hoc amoris potu exſatieris: immo donec ex cruenta hac vite, ex nobiliſſimo hoc palmite, ex diuino hoc racemo inebrieris, qui ſanguineum ſuum liquorem tanta abundantia per quinque lacus canales profundit.

5. Tactum quoque adhibe. Abiice te ſuper aſperum impolitumque crucis truncum, contrecta manibus horribiles cla-

uos, ferreos malleos, funes quibus tam immaniter in cruce Chriſtus diſtentus fuit: ſubmitte te ad hos perforatos pedes, oſculare manus tanta benignitate pro te cruci affixas, apprime os tuum ad vaſtam illam lateris plagam. per hanc ingredere in cellam vinariam, vt cæleſte merum haurias, quo animæ tuæ ſitim expleas. Amplectere totam crucem, imprime manibus ac pedibus tuis clauorum cuſpides, quibus Deus & Pater tuus, ſponſus animæ tuæ confixus fuit, vt cum eo cruci iiſdem clauis affigi, eadem lancea confodi, eodem amoris telo ſauciari poſſis. Colloca in hiſce vulneribus perpetuam habitationis tuæ ſedem: nuſquam enim tutiorem, nuſquam beatiorem, nuſquam iucundiorem, opulentiorem, amœnioremque reperies.

Hebdo-

Hebdomas quarta.

De ſeptem præcipuis Chriſti Domini dictis dum cruci affixus penderet.

DIES PRIMVS.

In hæc verba:

Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. *Luc. 23.*

1. INSTITVE hic comparationem inter Chriſtum & Iudæos. Chriſtus tota vita nihil meditatur quam vt modum rationemque inueniat qua populum Iudaicum ad veritatem agnoſcendam traducat. nihil quod ad eum erudiēdum iuuare poſſit prætermittit. infirmos ſanitati reſtituit, mortuos ad vitam reuocat; & ad vltimum beneficiorum ſuorum complementum teſtificationemq; ſui in tam ingratum populū affectus, pendens ex ipſa cruce, in quam iidem eum egerant, Patrem ſuum cæleſtem pro ipſis depre-

catur, factus Iudæorum orator, dum ipſi in eum extremæ crudelitatis rabie ſæuiunt. Iudæi vero Chriſtum à primo eius ortu inſectantur, inſidiantur, omnia eius dicta factaque carpere ſtudent, mendacia ad eius perniciem confingunt, calumnias ſtruunt, vincula, catenas, flagra, crucem intentant. Intuere in his mundi mores, eorumque qui mundo adhæreſcunt: ridere nimirum & ludibrio habere omnes eos, qui in vitæ ratione ab iis diſcrepant, qui Deũ ſedulo colunt, ac ad virtutem toto pectore connituntur.

11. Inſtitue comparationem inter te & Chriſtum: vide an à te inimici etiam amentur, anne pro iis qui te verbis exagitant Deum depreceris, num prauos eorum conatus, factaq; minus æqua in mitiorem ea partem interpretãdo excuſes: omniane ipſis quæ potes officia impendas; itane animo comparatus ſis, vt iis penuria laborantibus, vlloue tuo ſubſidio indigentibus ſis paratus ſuccurrere. Hæc omnia in Chriſto obſeruabis. Si ergo talis parentis filius haberi ac eſſe deſideras, vide quid tibi agendum incumbat. nam ſi eos qui te perſequuntur exagites, qui te iniuriis laceſſunt oderis, inuidentibus inuideas, eoſque quantum potes à tua beneficentia excludas, ac neceſſitate laborantes deſtituas, non tu quidem es Chriſti imitator

imitator aut filius; ſed illius diſcipulus ac proles, cuius hæc inſtinctu conſilioq; maleficia ſuſcipis. & ab eo etiam tibi operum merces, non à Chriſto exſpectanda.

III. Contemplare in hoc miſericordiæ ſpeculo tuam miſericordiam, ad hunc lydium lapidem opera tua examina. Intuere Saluatorem tuum ex cruce pendentem: ſolem iuſtitiæ radiis ſuis mundum vniuerſum illuſtrantem, & vt Pater cæleſtis pluuiam ſuam ſuper iuſtos & iniuſtos effundit, ſic Dei filium obedientiæ ſuæ lumine omnem hominē, & præſertim hoſtes ſuos illuſtrantem, pro quibus efficaciſſima ardentiſſimaque oratione, ſudore & ſanguine adſperſa, clauorum ſpinarumque aculeis armata Patri ſupplicat, *Pater*, inquit, *dimitte illis*. Deum etiam Patrem profitetur, dum acerbiſſimis ſupplicii doloribus excruciatur. Meditare an tu Deum tibi parentem agnoſcas, cum te dolores ac moleſtiæ affligunt; num has à paterna illius manu te immitti aduertas, eaſne vt à tam amica manu profectas æquo animo placidoque vultu excipias, cogiteſque tuum eſſe patrem, qui te his exerceri ſinit, idque propenſo paternoque in te affectu, ad ſalutem tuam promouendam.

IV. Obſerua quo affectu Chriſtus in maximo

mo cruciatu inimicorum ſuorum iniurias recogitet, non vt de iis vindictam expetat, ſed vt eis à Patre ſuo cæleſti, tanti ſceleris veniam impetret. vide an tu vel amicorum tuorum in tua proſperitate memineris, an inimicis operam tuam, ſi indigeant, non deneges, an non eis quantum potes officere ſtudeas.

v. Chriſtus etiam in extremis tormentis de hoſtium ſuorum ſalute ſollicitus eſt. Inſpice teipſum, & obſerua num talem in te affectũ deprehẽdas. anne inimicorũ, immo vel ſaltẽ amicorũ aliquando ſaluti & commodis ſtudeas, pro his Deo ſupplicando, ipſos commonendo, exemplis ad virtutem excitando, beneficiis inuitando.

vi. Expende Chriſti verba, *Non enim ſciunt quid faciunt.* Craſſa hæc erat & ſtolida omnino ignoratio; poſt tot documenta, poſt tot prodigia, poſt tot tamque aperta prophetarum oracula, poſt tam illuſtrem ſanctam ac irreprehenſibilem vitam, Chriſtum non agnoſcere: & tamen, quantum poteſt, etiam ex hac parte, Iudæorum ſcelus Chriſtus extenuat. Et ſane nõ omnino præter veritatem dici poteſt, ſingulis criminibus non diſſimilem huic Iudæorum ignorationi errorem permiſtum eſſe. Niſi enim eiuſmodi aliqua ignorantiæ caligo aciem mentis

mentis obſcuraret, qui fieri poſſet vt flagitium vllum perpetraret is, qui certo ſibi perſuaſum haberet, ſtare ſe perpetuo in Dei ac Iudicis ſui conſpectu, verſariq; in continuo vitę amittendę periculo, & omni ſe momẽto in æterna incendia poſſe deturbari? Quisquis enim hæc omnia indiuiduo nexu cum quocumque peccato copulata eſſe cognoſceret, nunquam ſciens ac prudens crimen vllum, quo tantam ſibi perniciem accerſeret perpetrare auderet, vti nec ipſi Iudæorum principes nunquam ita omnis rationis & humanitatis obliuiſci potuiſſent, vt Chriſtum in crucem acturi fuiſſent, ſi eum illum ipſum Meſſiam tot oraculis promiſſum, agnouiſſent. Non diſpar in quocumq; lethali ſcelere, ex ſimili ignoratione peruerſitas exiſtit. quicumq; enim mortali ſe flagitio obſtringit, Chriſtum iterum quantum poteſt cruci affigit, cum eandem rurſus culpam admittat, quæ Chriſtum ad tam dira ſupplicia olim adegit. peccata namque noſtra fuere quæ Chriſtum Dominum vinculis conſtrinxere, flagris concidere, ſpinis lacerauere, & clauis denique cruci ſuffixere.

Tu ora cæleſtem Patrem, vt vnigeniti filii ſui pro tuis delictis ſupplicantis precibus exorari ſe patiatur.

DIES

DIES SECVNDVS.

In hæc verba:

Hodie mecum eris in Paradiso.

Luce.23,

I. INtuere Christum duos inter latrones suspensum, quasi aut latronum princeps, aut quouis esset latrone scelestior. Disce teipsum despicere, & patienter tui despicientiam tolerare: disce mundi iudicia flocci pendere, cum te tua conscientia innocentem asserit, numquam indignius despiciere, aut grauiores contumelias quam quæ Christo sunt illatæ sustinebis; & tamen nunquam tua innocentia cum Christi integritate conferri poterit. vnde quantumcumque falsa iniquaque de te sit mundi existimatio & iudicium, nunquam tamen tam indigna mundi de te iudicia fieri intelliges, quin sine comparatione longe indigniora idem de Christo iudicarit. Hæc omnia Christus voluntaria patiētia pro tuis sceleribus tolerat. Tu quid pro illius gloria non libenti animo tolerabis?

II. Audi alterius latronis in Christum contumelias & maledicta, quibus Deum ipsum tanquam fictitium Messiam, populique seductorem perstringit. à quo documentum nobis accipiendum, homines nefa-

nefarios etiam extremam vitæ periodum plerumque conformiter ætati flagitioſe actæ nouis ſceleribus concludere, ac raro admodum imminente morte ſe ad Deum conuertere. Caue ne in extremam vitæ horam cum Deo in gratiam redire differas, cum tibi ab ipſo & tempus & præſidia ad hoc neceſſaria fortaſſis negabuntur. Nec nimium ingenio tuo præſide. tua enim cum Deo reconciliatio non à te ſolo, ſed à Deo potiſſimum pendet. Ipſe eſt qui hominem ad peccatorum deteſtationem incitat; qui, ſi incitamenta ſua aut neget, aut ſubtrahat, exigua ſane ſalutis ſpes relinquitur.

III. Conſidera Chriſti innocentiam alterius latronis confeſſione defendi, qui ſe in acerbiſſimis doloribus ad Deum conuertit, quem rebus ad voluntatem ſuccedentibus nunquam agnouerat. quod nobis exemplo eſſe poteſt, raro ſceleratos homines ſecundis rebus, ad Dei cognitionem ſcelerumque correctionem adduci; ideoque aduerſa magis quam proſpera nobis exoptanda eſſe. Hæc enim plerumque ſecum trahunt æternæ ſalutis incuriã, neglectum, obliuionem, ac denique virtutum omnium faſtidium.

IV. Alterum nobis in huius latronis confeſſione documentum eſt, quod audiente

populo

populo vniuerso crimen suum profiteri non erubesat. Discamus nullo pudore à salubri scelerum nostrorum confessione deterreri, malimusque erubescentiam breui tempore duraturam sustinere, vt æternam aliquando ignominiam effugiamus.

v. Tertium è latronis confessione documentum est, quod palam Christum innocentem esse eundemque verum Deum profiteatur, ne vmquam nos pudeat veritatem, ac præcipue religionem, etiam toto audiente mundo, profiteri. docetque dum faciendum hoc erit, nec inimicorum præsentiam, nec eorum minas, nec ipsam denique mortem extimescendam esse.

vi. Quartum documentum est mira eius in fide constantia, qua illustratus Christum Deum esse agnoscit, quē Iudæi tamquam maleficum in crucem sustulerant, cui Scribarum ac Pharisæorū turba tamquam impostori insultabat, quemque ab omnibus derelictum ac destitutum videbat. Ne pigeat latronis huius virtutem imitari qui ad eandem quam ipse promeritus est gloriam adspiras.

vii. Quintum documentum, singularis in Deum fiducia: qua subnixus latro post tot latrocinia & cædes, non desperabundus animum abiicit, sed palam morte se di-

gnum

gnum profeſſus, ad Deum, magna de illius clementia ſpe concepta, cum ſeria admiſſorum ſcelerum deteſtatione, confugit. Quo docemur nunquam animum abiciendum eſſe, aut deſperandum, ne extremo quidem vitæ articulo, Hoc tamen diligenter obſeruato, vnicum tantum in ſacris literis eius exemplum exſtare, qui poſt vitam facinoroſam ad Deum conuerſus, eam bono exitu concluſerit; ne nimia confidentia ad vltimum vſque vitæ emendationem noſtram differamus; quod maximæ eſt dementiæ, immo indicium plerumque euidens, huiuſmodi homines æternum à beatitudine excludendos. Quis enim ſpondere poterit, etiam nos à Deo ſuprema vitæ hora gratiam cum latrone conſecuturos, qua tot hominum millia, poſt vitam ſcelerate actam in morte deſtitui videmus, atque ita congruentem prioribus moribus vitæ terminum ſortiri? vt hanc à nobis calamitatem propulſemus, nihil ſecurius, nihil tutius, quam mature probam vitam ordiri, quæ non niſi magno noſtro bono, quocumque tempore a morte præſcindi queat. probam enim vitam felix obitus, & hunc æternæ beatitudinis initium ſolet excipere Quæ ſi deſideras, modo dum potes, ſerio virtutis ſtudium amplectere. quod qui negligunt, næ

illi

Digitized by Google

illi admodum inconſiderate ac ſtulte rebus ſuis proſpiciunt. Magna enim dementia eſt in iis rebus languide remiſſeque ſe gerere, & ludere quodammodo, è quibus æternitas, animæque ſempiternum ſupplicium pendet. Contra vero ſapienter ac prouide res ſuas agunt, qui in iis maxime circumſpecte cauteque procedunt, in quibus cum ſemel erratū fuerit deinceps nullus emendationi locus, nec ſpatiū relinquitur. Quapropter cum anima ſemel perdita, omnia nobis pereant; diligenter immutabilē hunc animæ lapſum præcaueamus, & frequenter irreuocabile æternitatis momentum præmeditemur.

VIII. Perpende ſupplicem latronis orationem, qui poſtquam publice crimina ſua faſſus eſſet, magna fiducia clamat. *Domine, memēto mei, dum veneris in regnum tuum.*
Luc. 23. non audet rogare vt ſe gloriæ ſuæ participem faciat. Diſcamus hinc in noſtris ad Deum precibus, humilitatis meminiſſe; nec importunius à Deo poſcere, vt à nobis quęcumque affligunt, amoueat; ſed tantum vt noſtri memor ſit, ſupplicemus. cuius enim Deus memor eſt, illi male eſſe nullo modo poteſt: ſcelera tua agnoſce, eaque cum latrone ex animo dolenti confitere, Deumque vt tui miſereatur, roga. Hoc diebus

bus ſingulis ſub noctem ante ſomnum factitabis, ne te repentina mors dormientem improuiſo opprimat antequam peccata ſalubri dolore apud Deum poſſis expiare,

IX. Perpende item Chriſti verba, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Obſerua hic primũ ſanguinis Chriſti effectum, latroni ſalutem adfert, portaſque cælorum ad id tempus clauſas aperit. Meditare quid eos maneat, qui omnem vitam aut maiorem eius partem diuino obſequio conſecrant; cum latronis tantilla Chriſti profeſſio & veneratio tam amplo præmio compenſetur.

X. Vide quam promptus ac facilis ſit Deus, vt hominem, vbi ſe vera criminum profeſſione ac execratione ad meliorem vitam receperit, in gratiam admittat. Examina hic mores tuos, & vide num tam ſis facilis ad ignoſcendum iis, qui te offendere. Obſerua præterea, Deum non ſolum ſupplici ignoſcere, ſed etiam regnum polliceri, nec diu promiſſa differre; ſed eadem luce largiri: vt diſcas non ſolũ æquo animo noxam iis, qui in te peccarunt, remittere; verum etiam beneuole in amicitiam tecum recipere, idque continuo, non ſecus quam ſi nunquam ab iis in te quidquã admiſſum fuiſſet. Quantum ab hac virtutis perfectione abſumus! eadem tamen menſura quamenſi

menſi fuerimus, Deus remetietur nobis. noſtra namque in proximum indulgentia diuinæ in nos indulgentiæ menſura eſt.

DIES TERTIVS.

In hæc verba:

Mulier ecce filius tuus.

I. CIrcumſpice qui ex Chriſti familiaribus ad crucem proxime adſtent, videbiſque eſſe illos qui diuini amoris igne maxime ardent: hi enim crucem quærunt, ac quoties dilecti ſui cauſa moleſtiarum quidquam ſubeundum occurrit, gaudio exultant. Immo quo maior eſt amor, eo cruci eſt propinquior, nec ante poteſt conquieſcere, quam cum Chriſto in eandem agatur, iiſdem clauis figatur, eodem telo fodiatur, iiſdemque ſpinarum aculeis laceretur. Excute hic tuum in Deum amorem, vide num crucem hanc optes, eamne ambias, an fugias, ames an oderis: ſiſne verus Chriſti ſectator, qui crucē diligas, an potius mundum ſequaris in omnibus vbique commodis tuis ſeruiens.

II. Conſidera Chriſti doloribus, ex matris adſtantis conſpectu, magnam acceſſionem factam eſſe, quam ipſe noſtri cauſa æquiſſimo ac libentiſſimo animo in ſe ſuſcepit. Tanta vis eſt caritatis, neſcit illa ſui modum:

dum: ſemper quod eius gratia quem diligit, faciat, aut patiatur inquirit; nouos aſſiduo modos rationeſque, quibus ſe oſtentet, indagat: quin etiam ex infinitæ ſuæ profunditatis alueo omnem, ſi fieri poſſet, caritatis vim in amatum profundere conaretur. Inſpice num in te ſit tãta amoris vehementia, an non prius amor tuus interquieſcat, quam inueniat quod Chriſti cauſa perferre poſſit.

III. Sanctiſſima Dei mater ad crucem conſiſtens, docet nos.

1. Vt ne fugiamus, cum moleſtiam cruciatumque imminere proſpicimus; ſed erecto animo inſtantibus occurramus, eaque etiam vltro ſuſcipiamus.

2. Vt potius ea quæ laborẽ ac moleſtiam, quam quæ commoditatem iucunditatemque adferunt, conquiramus. Magis enim ſalutare eſt illis affligari, quam his diffluere.

3. Vt cum Domini Matre in doloribus noſtris ſtemus, non procumbamus vt victi, non ſedeamus vt mœrentes, non curramus quaſi cruciatũ fugiamus. Sed interriti conſiſtamus, gaudeamus cum nos dignos habitos eſſe ſenſerimus, qui pro Chriſto quippiam patiamur.

IV. Meditare quomodo animo affecta fuerit piiſſima hæc mater; vt debat vnicum

ſuum

ſuum Deique Filium, infinitam illam bonitatem, tam indignis modis tractari, nec tamen vel verbulo impotentioris animi ſignum dabat, neminē culpabat, nec de vllo querebatur. Conſidera quantum à patientiſſima hac matre in tuis afflictionibus, calamitatibus, atque hoſtium impugnationibus diſcrepes.

v. Obſerua matris huius conſtantiam: in tanto Iudæorum tumultu ac furore, nullam humanam potentiam expaueſcit, nullis minis, nullo mortis periculo commouetur. Tam fortis, tam robuſta eſt caritas: non telis, non enſibus, non hoſtium copiis, non vulneribus, non morte denique, ab eo quem diligit auelli poteſt. vbi noſter in Deum amor? aut quo argumento affectum ei noſtrum teſtamur?

Ioā. 19. vi. Expende hæc Chriſti verba, *Mulier ecce filius tuus.* cuius matris pectus hæc verba non effodiant: Idem ſæpe non minoris efficacitatis verbis nos compellat: reſpice Deum tuum, Regem tuum, Saluatorem tuum, Patrem tuum: & tamen adhuc in ſuo rigore ſaxeum cor noſtrum perſiſtit? Quin ſentimus in nobis diuini amoris æſtum, tam acriter vrentem, tam valide cælum & terram penetrantem? Si vel vnica in nobis eſſet amoris ſcintilla, an non toti eius

ardo

ardore liqueſceremus? an non exterius, certis ſe indiciis animus hoc igne incenſus proderet? an non vt minimum ea omnia repudiaret, quæ nihil ad Chriſti honorem propagandum faciunt? an non eniteretur ardentius, eius potius, quam mundi veſtigiis inſiſtere? obedire magis eius adhortationibus, quam mundi blanditiis? maiorem fidem certiſſimis eius promiſſis, quam vaniſſimis fallaciſque mundi pollicitationibus adhibere?

VII. Expende ſequentia verba Chriſti ad Ioannem directa, *Ecce mater tua*, & ex illa hora, vt in Euangelio eſt, accepit beatiſſimam Chriſti matrem Ioannes in ſuam. Imitare Ioannem, nam tibi in Ioanne Chriſtus hanc quoque in matrem dedit venerare hanc tamquam matrem, eam in omnibus tuis difficultatibus tamquam matrem compella, ad eius præſidium, quacumq; aduerſitate ingruente, tamquam ad benigniſſimę matris ſinum confuge. Maternus animus numquam fruſtrari aut deſtituere prolem ſuam poteſt: ſis licet ſceleribus oppreſſus, licet filium eius cariſſimum frequentiſſime offenderis; non ideo tua mater eſſe deſinit, quem ſibi in Ioanne tanto affectu à ſuo filio commendatum meminit, nec tu quoque ſemel in filium ei datus, filius

lius eius eſſe deſinis, niſi tu te ipſe tua ſponte, tuo ſcelere ab huius matris clientela ſubduxeris: & hoc ipſum quamuis magna vecordia aliquando feceris, quam primum tamen reſipiſcere, atq; ad meliorem mentem redire incipis, in illa iterum maternam beneuolentiã caritatemq; deprehendes. Obſequere ergo huic ſtudioſe libenterque, & deinceps vitæ ac morum innocentia te tam ſanctæ matris filium eſſe oſtende, vt in ſupremo vitæ tuæ ſalutiſque æternæ diſcrimine maternam eius in te beneuolentiam experiare. Præterea in his Chriſti verbis, adhuc alia nobis ab eo eaque excellentiſſima dignitas confertur. Supremis enim hiſce in cruce prolatis verbis quaſi teſtamento in procinctu facto, nos omnes fratres ſuos conſtituit. nam cum matrem ſuam, matrem noſtram nuncupet, nos eadem ratione fratres ſuos profitetur. illi enim ſunt omnium iudicio fratres, quibus vna eſt communis mater: eoque arctiore inter ſe ſanguinis vinculo coniuncti, ſi eundem quoque inter ſe patrem habeant. quod etiam Chriſti beneficio nobis conceſſum, clareque indicatum, cum ſuis omnibus huiuſmodi precandi formulam præſcripſit, *Pater*
Mat. 6. *noſter qui es in cælis.* Habemus ergo omnes cum Chriſto eundem patrem, eandem

dem matrem. Inquire in vitam ac mores tuos, & diſpice num ij ſint eiuſmodi, quales eius eſſe deceat, qui talis matris, talis patris ac fratris conſanguinitate glorietur; an non mũdum magis patris, matris ac fratris loco habeas; ita vt in vita ac moribus ſis filijs huius mundi ſimilior quam ijs qui vere Deum patrem, Virginem Deiparam matrem, Chriſtum fratrem habeant.

DIES QVARTVS.

In hæc verba:

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. *Matth.27.*

1 SOl in meridie lumen ſuum denſa caligine inuoluit, pleno die tenebræ mundum occupant: quibus Deus Pater ſignificare voluit 1. caliginem quæ Iudæorum animos obduxerat. qui, niſi animum in errore obfirmaſſent, viſo hoc prodigio, perſpicue Chriſti diuinitatem agnoſcere potuiſſent. 2. Iudæorum animos etſi tam ſpiſſa caligine obſeſſos, in ſpiſſiores adhuc tenebras, ob impiam hanc crudelitatem deuoluendos. 3. Res inanimas carenteſque ratione

tione, magis ſui conditoris cruciatu commoueri, quam eum populum quem ſibi peculiari affectu ex omnibus gentibus adoptarat. Ideo enim ſol ille temporum moderator lumen ſuum terris ſubtrahit, quia æternum illum increatumque Solem, qui ſolus cælum omne colluſtrat, vidit deficiente vita in occaſum declinare. Et ſane quid minus à ſole hoc exſpectari poterat, quam vt ſubducta mundo luce, palam omnibus mœroris ac triſtitiæ indicia exhiberet, quibus nefarios Iudæos ad ſceleris ſui deteſtationem incitaret? Sed fruſtra fuit, nuſquam enim legimus Iudeorum quempiam inauditis hiſce trium horarum prodigijs ad mentem redijſſe, aut crimen ſuum damnaſſe. Qua ex re diſcere poſſumus ſcelerum naturam, quæ talis eſt, vt crebro iterata ita mentem excæcent, animumque aduerſus omnia obfirment, vt tandem nec commonitionibus, nec adhortationibus, nec prodigijs, nec minis diuinitus intentatis à facinoroſa viuendi ratione deterreri poſſit. Quare horum exemplo mature peccatis abſtinere diſcamus, quæ tam periculoſa peruicacia hominem ad extremum ſolent circumretire.

II. Cogita eum quem in crucem actum vides, quique ſe à Patre derelictum clamat, eſſe

eſſe vnicum Dei filium. Quid nos ergo queri poſſumus, ſi quandoque preſſi difficultatibus à Deo deſtitui videamur, cum toties culpis noſtris promeriti ſimus, vt non ſolum deſtituamur, verum etiam vt à Deo & hominibus in perpetuum repudiemur atque expellamur.

III Conſidera quomodo hic Deus tuus ab omnibus deſtituatur, non à toto mundo ſolum, verum etiam à Deo Patre ſuo, idque noſtri cauſa. nam propter inſanam noſtram defectionem, cum mundi vanitatem, carniſque illecebras ſecuti Deum deſeruimus, Pater cæleſtis filium ſuum in tantis cruciatibus deſtituit; vt hac filij ſui deſtitutione, defectionem noſtram puniret. Obſerua hic quid deſeras cum Deum deſeris, nempe ſummum infinitumque bonum, cælorum amœnitatem, æternæ gloriæ coronam. Et quis quæſo tam eſt amens, vt Deum deſerat? vtique is qui mundo tenacius, quam Deo adhæret, quique plus operæ ac tēporis in pecunijs, dignitate, voluptate proſequenda, quam Deo ſibi cōciliando inſumit.

IV. Expende peccatorum tuorum pondus ac grauitatem, quæ Dei iudicio tāta ſunt, vt Dei Filio volenti horum grauitatem dignis in ſe ſupplicijs expiare, neceſſe fuerit tā inclemēter in tātis dolorib. à Deo patre deſtitui.

ſime animum eius affligebat; cum ipſam non minus prope quam filium, in tanto dolorum cruciatu à patre deſtitutum, acerbiſſimi vndique triſtitiæ fluctus pulſarent, vt non immerito dici poſſit crudelem hunc Virginis mœrorem tempeſtuoſi maris inſtar fuiſſe, in quo ipſa innumeris dolorum fluctibus agitata, immerſa, obruta, ac tantum nõ extincta cum filio fuerit. Tanti mœroris occaſionem Virgini matri ſcelera noſtra attulere: vbi noſter pro tã innumeris flagitijs mœror, poſt tot huius deſtitutionis cauſas datas? Quomodo nos gemimus, quomodo querimur, vbi paululum nos à Deo deſeri putamus? à quo ſolatia non emendicamus? quid intentatum relinquimus, quo malum à nobis propulſari poſſe exiſtimamus?

VII. Conſidera nullum vnquam Dei miniſtrorum ita omnino à Deo deſtitutum fuiſſe, vt filium ſuum in extremis hiſce cruciatibus Pater cæleſtis deſtituit: immo pleroſque Sanctorum, cum grauiſſimis dolorum facibus incenderentur, tanto diuinitus robore confirmatos fuiſſe, vt eas abſque omni moleſtiæ ſenſu tolerarent, atque etiam ſubinde in ijs incredibili animi voluptate perfunderentur. vnde extitit multorum tanta conſtantia, vt in ſummo cruciatu atque tormentis conſtituti, tortoribus ipſi Chri-

ſtiana magnanimitate inſultarent, atque vt immaniora, ſi poſſent, ſuppliciorum genera adhiberent, eos hilari vultu hortaretur.

VIII. Obſerua hic etiam propenſam Dei in homines beneuolentiam. Eos enim qui ſe totos ſuo obſequio deuouerunt, plerumque tam vberibus gaudijs, tamque affluenti diuinæ ſuauitatis ſenſu, dum ab impijs exagitantur, mulcere ſolet, vt eorum non pauci maiori prope quam humana imbecillitas ferre poſſit, gaudiorum pondere obruti, ſupplicibus ab eo precibus tantarum voluptatum temperamentum aliquod nonnunquam efflagitare compellantur. Quinimmo an non quotidie cernimus eos, qui tota animi contentione Deum ſequuntur, eique ſe quam maxime probare ſtudent, maiorem ex ſummis paupertatis difficultatibus haurire delectationem, quam ex omni diuitiarum ſuarum lautitia opulentiſſimos? eoſdemque è ſeuera corporearum voluptatum abſtinentia liquidiores animi voluptates percipere, quam ex impuro earum complexu homines voluptarios, multoque ampliorem lætitiam ex magnanima honorum deſpicientia, quam ex omni mundi faſtu ac ſplendore ſentiant quotquot ampliſſimis in hac vita honoribus perfruuntur? Vita enim cum virtute acta multo maiores conſtantio-

ſtantioreſque mortalium mentibus iucunditates adferre ſolet quam omnes mundi facultates, opes, deliciæ, honores ſectatoribus ſuis parere vmquam queant: nec tam pacata vmquam animi tranquillitas in affluentiſſima rerum caducarum poſſeſſione inueniri poteſt, quam in perpetuo mundi rerumque eo pertinentium contemptu Chriſti imitatores deprehendunt.

Quod vt clarius videas, propone tibi exempli cauſa duos homines, quorum alter impenſe Deo placere ſtudeat, alter vero totum ſe mundi obſequijs mancipārit, contemplare illius placidiſſimam animi pacem, huiuſque continuam perturbationem: ſedatam illius conſtantiam, inquietam huius anxietatem: illius ſerenitatem mentis, huius turbulentas cogitationum tempeſtates. Primus ſuis rebus, quantumcumque eæ tenues ſint contentus eſt, itaque animatus vt quamuis eas multo tenuiores reddi contingeret, nihil aut parum admodum ea iactura moueretur. nequaquam ad vitæ præſentis delicias, honores, poſſeſſiones aſpirat, cum ſumma votorum eius Deus ſit, in quo delicias ſuas omnes, honores, facultates cōſtitutas eſſe intelligit. in eo enim omnes cæli theſauros reconditos inuenit, ceteraſque omnes extra Deū diuitias luti inſtar ac viliſſimarum quiſquiliarū faſtidit. in eo omnem

gloriam dignitatemque eſſe credit, & aliam quamcumque excellentiam aut amplitudinem quæ in Deo non ſit tamquam inanes paleas, emarcitumque fænum vilipendit: in eo omnes voluptates reperit, aliaſque omnes à Deo alienas iucunditates felle & abſynthio amariores iudicat,

Alter vero inquieta ac inſatiabili honorum diuitiarum, voluptatum ſiti æſtuat, nec vmquam quantiſcunque partis ita expleri poteſt, vt animo conquieſcat. Interroga ipſumet, nec diffitebitur; & idipſum etiam liquido ſatis quotidianis ſuis ſtudijs ac laboribus oſtendit. quippe quos nunquam vlla rerum partarum ſatietate abrumpere aut ad modicum tempus intermittere poteſt; ita vt adeptorum bonorum poſſeſſio, nouorum appetendorum irritamentum eſſe videatur. Elige hic dum integrum eſt, quod optimum, ſaluberrimum, feliciſſimum, Deoque acceptiſſimum eſſe intelligis, quodque te ſecurius ad ſempiternam beatitudinem poſſit deducere.

DIES

DIES QVINTVS.

In hac verba:

Sciens IESVS, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: *Sitio. Ioan.19.*

I. COnſidera vehementem hanc Christi ſitim, qui cruciatuum acerbitate nimiaque ſanguinis profuſione extremā oris ac faucium ſiccitatem contraxerat, vt vere cum propheta dicere poſſet, *Aruit tamquā teſta virtus mea, & lingua mea, adhæſit faucibus meis*, in aridiſſima tamen hac ſiti ipſe ſitientes omnes ſanguinis ſui liquore ſatiat: immo quo ardentius ipſe ſitit, eo etiam copioſius ſitientium ſitim explet, quoque profuſius pretioſiſſimum hoc merum propinat, eo feruentius etiam libertatem noſtram & ſalutem ipſe ſitit. *Pſal.21.*

II. Sitiebat Chriſtus 1. quia ardentiſſime volūtati æterni Patris ſatisfacere geſtiebat, de qua dum in horto Gethſemani eundem Patrem rogaret dixerat, *Non mea voluntas, ſed tua fiat*: deſiderium enim huic æterni Patris voluntati obſequendi poſſiſſima *Luc.22.*

ſima huius ſitis cauſa erat. 2. Sitiebat acriora pro mortalibus adire ſupplicia, ſi ad eorum ſalutem aſſerendam neceſſarium, aut ita Deo Patri viſum fuiſſet. 3. Sitiebat animarum noſtrarum ſalutem, nam cum diuinæ prouidentiæ oculo liquido præuideret innumeros prope futuros, quibus nihil admodum tanti labores cruciatuſque prodeſſent, verbo hoc *Sitio* clara voce de cruce prolato teſtificari voluit; ſuum quidem ſummum deſiderium eſſe ac ſtudium omnibus ſufficientia ad ſalutem præſidia ſuppeditare, niſi ea homines ſua oſcitantia aut negligerent, aut deprauata voluntate repudiarent. Diſce hinc 1. Sitire & auide concupiſcere, vt diuinæ voluntati quā accuratiſſime ſemper obtemperare poſſis, atque vt hoc impenſius facias, enitere conſtanter tua deſideria diuinæ voluntati poſtponere, quam tibi præſidum tuorum imperia explicant. 2. Deſiderare cruciatus & dolores exemplo Chriſti perpeti, quoties hoc ad ampliorem Dei gloriam, tuamue aut proximorum ſalutem expedire intellexeris. 3. Chriſti ſitim explere ſeria perpetuaque peccatorum declinatione, diligentique virtutum exercitatione. Excita quoque teipſum Chriſti exemplo ad vehementem Dei amorem, quo ſuccenſus magno deſiderio ſalutem tuam ſitias. Cum

vero

vero Saluatoris tui conſpectũ præſentiamq́; non minus ſitire cœperis quam ceruus longa venatorum inſectatione fatigatus, ad fontem anhelet: ne ceſſes prius quam eum inuentum amplectare, & ſitim tuam pretioſo eius ſanguine, nobiliſſimo hoc amoris nectare meroque hoc è cæleſti vite manante, quod ipſe tanta tibi copia propinat, expleas.

III. Aliæ etiam huius ſitis cauſæ ſunt peccata noſtra, & potiſſimum ea quæ cibi potioniſque intemperantia perpetramus, Quis erit tam ab omni ratione alienus, qui voluptatum ſuarum & luxus recordatione non erubeſcat; cum creatorem ſuum ita ab omni ſolatio deſtitutum ſua cauſa videt, vt ei in ſuprema vitæ neceſſitate ne vnica quidem aquæ ſtilla, ad qualemcumque tantorum dolorum refrigerationem ſuppetat. Conſidera hic etiam quomodo Iudæi Chriſto iam prope ſiti ac doloribus enecto, acetum ad reſtinguendam ſitim offerant: quam inhumanitatem æternus Pater in filium ſuum ab impia militum turba exerceri paſſus eſt, vt nos hoc linguæ eius cruciatu, à nimio cupediorum delicatarumque epularum ſtudio deterreremur; cum videremus Dei filium tam acerba ſiti, tamque inuaui potione imtemperatas p[illegible] c

gulæ noſtræ voluptates luere. O quam amaram acidamque potionem in omnem æternitatem obbibere compellentur, qui dum hic viuunt immodico cibo & potu Deum offendere non metuunt! An exiſtimamus nos in hac vita omnium rerum affluentia & ſuauitate, itemque in altera perfrui poſſe? atque ideo Chriſtum omnem vitæ aſperitatem dolores, tormenta exhauſiſſe, vt nos, tum hic, tum in futuro dolorum ac moleſtiarum omnium expertes, præſentium deliciarum fructum cum æternorum bonorum poſſeſſione continuaremus?

IV. Contemplare Iudæorum immanitatem, non ſatis eis aſpera ad Chriſti palatum torquendum videbatur aceti acerbitas, quare eam adhuc hyſſopi amaritie exaſperant. Quis ſitienti pecudi tã ingratam potionem offerat? tale Saluatori noſtro poculum miſcuerunt peccata noſtra. Quid nobis ergo exſpectandum ſupremo iudicij die, qui Chriſto Domino vehementiſſime ſitienti, cum truculentiſſimis Iudæis etiam vnicam frigidæ guttam negauimus? Quid aliud exſpectare poterunt impij omnes, cum in ſempiternis ignibus diriſſima ſiti cruciabũtur, quam vt cũ diuite Epulone, tota æternitate aquæ guttulam efflagitent, nec vmquam tamen impetrent. Paſce hic dum viuis

Chriſtum

Chriſtum, potum ei liberaliſſime propina; vt ab eo in altera vita ſuauiſſimis angelorum delicijs ali, ſapidiſſimoque aquarum viuentium fonte inebriari merearis. quas ſi exoptas lautitias, vide ne dum hic viuis Deo tuo acetum & hyſſopum bibenda offeras, quod faciũt qui grauiora flagitia perpetrant. Hæc enim cum mire inſipida ſint & amara diuino palato, tum adeo grauem ei nauſeam pariunt, vt capitales cum ijs inimicitias ſuſcipiat, qui tam inuiſa ei fercula apponere non verentur. in quos etiam poſt mortem tam ſeuerus iudex & vltor exiſtet, vt eis ne guttulam quidem ad qualemcumque æternorum ignium leuationem ſit conceſſurus.

v. Obſerua diſcrimen quod eſt inter te & Deum: ille ſalutem tuam ardentiſſime ſitit; tu futiles mundi delicias: illius cogitationes, etiam dum acerbiſſimis doloribus excruciatur, tuam ſemper beatitudinem ſpectant; tu ne quidem in feliciſſima rerum omnium proſperitate, ſalutis tuæ recordaris aut ſaltē multo ſollicitius de mundi facultatibus & honoribus, quam de æterna animæ incolumitate cogitas. Ille animæ tuæ æternam felicitatem concupiſcit, tu de corpore tantum paſcendo laboras. quo enim tendunt omnes tuæ cogitationes, ſtudia, labores, aut ſaltem potiſſima eorum pars,

pars quam ad pecunias, opes, honores, voluptates, ſimiliaque ad corporis delicias pertinentia coaceruanda? Exſuſcita in te ipſe continuam virtutum, amoriſque diuini ſitim, quo facto liberaliter Chriſti ſitim reſtingues: breuique in te omnem rerum caducarum cupiditatem emori ſenties, nec te intemperata voluptatum, gloriæ diuitiarumque ſitis, ad interminatam atque inexplebilem ſitim ducet, cui, in ſempiternis incendijs omnis refrigeratio denegabitur.

DIES SEXTVS.

In hæc verba:

Conſummatum eſt. *Ioan. 19.*

1 PErcurre animo omnem Chriſti vitam, & inuenies à primo eius ortu ad vltimum vſque vitæ ſpiritum ab eo omnia expleta perfectaque fuiſſe, quæ de eo vnquam prophetarum oraculis prænunciata fuerant. vnde merito dicere potuit, nihil à ſe, quod ad hominum ſalutem promouendam conducere poſſet, prætermiſſum fuiſſe: ortum eius extrema inopia, pueritiam hoſtium inſecta-

inſectationes, robuſtiorem ætatem deſpectus, & inuidiæ afflixerunt. Mores eius fuere ad omnem honeſtatem compoſiti; vitæ ratio, omnis virtutis exemplis illuſtris; doctrina ſapientiæ pleniſſima, eaque miraculis ac prodigijs teſtatiſſima, mors denique omni pœnarum genere acerbiſſima, in qua ſubeunda nullam moleſtiam ſubterfugit, nullum dolorem recuſauit, nullum fuit toto corpore membrum ſine cruciatu, nullum ſine vulnere, atque ita ſanguinem omnem ad vltimam vſque guttam liberaliſſime profudit. Quibus in tormentis ita ab omnibus deſertus fuit, vt non modo humano præſidio, ſed etiam æterni Patris ſolatio deſtitueretur, vt nobis culpæ liberationem amiſſæque felicitatis & innocentiæ recuperationem acerbioribus ſupplicijs mereretur. Quid nos agimus? quam maligne Dei præcepta explemus? quam reluctanter conſilia illius exſequimur? & quid poſt tam negligentem ſatisfactionem & obedientiam à Deo exſpectamus?

11. Conſidera finem vitæ Chriſti perfectiſſime anteactæ reſpondere, quæ vti perpetuo ex diuinæ voluntatis præſcripto acta fuerat, ita etiam ad extremum illuſtri obedientiæ exemplo terminata fuit. vt hinc intelligas, poſſe te felicem

cem vitæ exitum ſperare, ſi ad hunc te diligenti virtutũ ſtudio præparaueris. quo neglecto nequidquam te tibi hanc polliceri. Si enim vita fuerit rerum fluxarum cogitationibus ac deſiderijs impedita, magnopere metuendum eſt, ne ijſdem cogitationibus animus è corpore diſceſſurus diſtrahatur.

III. Confer Dei pro ſalute noſtra ſtudium & diligentiam, cum noſtro neglectu & ignauia: Deus cumulatiſſime perfecit, quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium videri poterat. Quid nos vt ſalutem noſtram tueamur, facimus? An non frequentiſſime res maxime nobis ad beatitudinem conſequendam neceſſarias negligimus, vitæ noſtræ emendationem ex die in diem proferentes, donec tandem inopinata morte occupemur? Cum tamen interim Deus nobis tam affluenter ſpatia corrigendis moribus indulgeat, quæ fortaſſe extrema vitæ parte, vt plerumque fieri ſolet, non concedet.

IV. Obſerua quam diſpari præmiorum ſorte diſtinguentur, ij qui mundo tota vita ſeruiuerint, ab ijs qui Dei ſe obſequijs conſecrarint: meditare quid mundus ſuis ſequacibus rependet, cum fugiente ſpiritu, etiã hoc *Conſummatum eſt*, vſurpare poterunt, quaſi dicant: En hactenus fidelem tibi operam

operā nauauimus, imperijs tuis ſemper ſtudioſiſſime obſecuti ſumus, vitamque omnem tuo arbitratu egimus, quam das modo tantæ fidelitatis & ſtudij compenſationem? eheu quid det præter æternorum bonorum exſpoliationem, ac ſempiterni incendij immortale cruciamentū? Quiſquis hanc compenſationem deſiderat, mundi ſe obſequijs mancipet. Deinde meditare quæ præmia ſuis ſectatoribus Deus daturus ſit cum & illi vitæ terminum attigerint, idemque *Conſummatum eſt*, vſurpabunt; quaſi dicant, Domine, quæ nobis ad viuendum ſpatia definieras, ea ex diuinæ tuæ voluntatis decreto expendimus, quæ nobis pro continenti hac ſeruitute merces manet? in æterna beatitudine interminatæ lætitiæ ac felicitatis fructus ſempiternus, quem è perpetuo diuinæ naturæ conſpectu percipietis. Elige hic dum potes, quem ducem ſequi malis.

v. Obſerua item diſcrimen quod eſt inter Dei & mundi imperia, & expende vt illis ſint grauiora moleſtioraque; nullo enim negotio intelliges; faciliora longe & mitiora eſſe quæ Dei iuſſu hominibus imponuntur, quam quæ mundus imperat. præterquam enim quod ea quæ Deus ab hominibus exigit, minore cura, labore, difficul-

tate,

tate, perfici poſſint, maior etiam in ijs perficiendis animi tranquillitas, liquidiorque voluptas, quam in mundi imperijs inuenitur, & cum rarioribus periculis expoſita ſint, leuioribuſque moleſtijs impedita, amplioribus tamen diuinæ miſericordiæ præſidijs adiuuantur. Qua de re mortalium nemo certius planiuſque loqui poteſt, quam qui in exequendis vtriuſque imperijs operam aliquamdiu poſuerit.

DIES SEPTIMVS.

In hæc verba.

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Luc. 23.*

1. ILluſtre hic exẽplum habemus, 1. Quomodo nobis è vita, cum ſuprema aduenerit hora, ſit abeundum. 2. Non poſſe nos vlli tutius ſpiritum è corpore abeuntem commendare quam æterni Patris, aut etiam Christi Domini manibus, qui tanta beneuolentia manus & brachia ad peccatrices

trices animas excipiendas in cruce expandit. 3. Non debere nos ſupremo vitæ tẽpore fortunas noſtras, nomen, dignitatem, aliaque ſimilia ad mundum pertinentia Deo commendare, ſed ſolam animam, pro qua ſola Chriſti exemplo, tum anxij ac ſolliciti eſſe debemus, cum ab huius beatitudine æterna noſtra deinceps beatitudo pendeat 4. Chriſtus ſupremis hiſce verbis non ſuum tantum ſpiritum æterno Patri committit; ſed eorum etiam omnium quos virtutis & pietatis ſtudio ſuos imitatores futuros præuidet, cum hi omnes vnus idemque cum eo ſpiritus ſint validiſſimis charitatis vinculis connexi, quæ ex duobus vnum admiranda commutatione conſtituit. ô fortunatam coniunctionem! ô beatam commutationem, qua interueniente homo diuinam quodammodo naturam, & humanam Deus induit!

II. Quis ſupremo vitæ puncto cum Chriſto hanc vocem vſurpare poterit? nempe is qui tota vita Deo conſtanter ſeruierit. nam qui mundo paruerit, cuius ille potius tutelæ ſpiritum ſuum committet, quam eius cui quoad viuere licuit, fideliter ſeruiuit? ab altero enim quam cui quis ſeruierit mercedem flagitare, contra omnem æquitatem eſt.

III. Prius

III. Prudentiſſime illi rebus ſuis proſpiciunt, qui hanc Chriſti orationem quotidie pronunciant, atque ei cum primo mane, tum veſperi, tum etiam interdiu animum ſuum frequentiſſime commendãt: nam nuſquam ille tutius, nuſquam ſecurius, quam in eius tutela eſſe poteſt, ſub qua dum latitat, nullis hoſtium telis aut impugnationibus lædi poteſt.

IV. Conſidera quam diſpar ſit eorum conditio, qui ſpiritum ſuum in mundi complexu exhalant, ac eorum, qui eum mundo repudiato, Dei manibus commendant. Expende hic 1. cuius manibus ſpiritum tuum ſecurius committere poſſis, & in cuius eum cuſtodia melius ac tutius ſeruandum putes, Deine an mundi: cuius fidei plus credendum, de cuius perfidia magis metuendum exiſtimes 2. Qui ſint qui animum ſuum mundi manibus, quique qui Dei committant: primi ſunt, qui quamdiu viuunt, mundi pollicitationibus ineſcati operam ſuam omnem, & induſtriam in mundi obſequijs ponunt: inanem tantum ac euaneſcentem laborum ſuorum remunerationem exſpectantes. Secundi, qui propoſitis ſibi ijs præmijs quæ miniſtris ſuis Deus pollicetur, cogitationes ſuas & ſtudia eo dirigunt,

dirigunt, vt Deum quam proxime ſequantur, præceptis eius obtemperent, conſilijs pareant, vitam moreſque eius imitentur, quæ vt quam perfectiſſime exequantur, nullos labores detrectant. Diſpice num in horum numero inuenìare.

v. Recenſe apud te fructus quos aſſequuntur ij qui quotidiana virtutum exercitatione animam ſuam Deo commendare contendunt.

1. Raro in grauiora flagitia impingunt, & ſi contingat eos humana fragilitate quandoque prolabi, continuo ad mentem redeunt, & à lapſu ſurgunt. Deus enim huiuſmodi hominibus miſericordiæ ſuæ dextram, non ſecus quam proli ſuæ benigna mater, porrigit.

2. Raro admodum inopinato caſu ex hac vita abripiuntur: quod ſane inter maxima diuinæ miſerationis officia, non poſtremum numerari poteſt, cum n mirum Deus hominibus ante obitum oportunum vitæ anteactæ examinandæ inſpiciendæque ſpatium indulget, vt non prius è viuis abeant, quam vitæ rationibus inſpectis ſalubri erratorum dolore culpam & ſupplicium deprecentur.

3. Vitam agunt longe ſecuriorem, cum

ſciant

Digitized by Google

ſciant cuius pro ijs præſidium excubet, nec magnopere hoſtium inſidias reformidant, illius virtute fidentes, cuius ſe curæ plane concedidere. Quid hoc amplius optare poſſit homo, qui quotidie inter hoſtium inſidias iter habeat, ſciatque nunquam inimicos ſuos mala ſibi & interitum machinandi finem facere?

VI. Contemplare Chriſti matrem, poſt amantiſſimi filij obitum ſuſpirijs, lachrymis planctuque miſerrimam ſuam orbitatem deplorantem. Quam illa libenter cum filio, æterno Patri ſpiritum, reddidiſſet? immo quoties illa mortem animo oppetijt, cum filium ſuum in cruce morientem vidit? quanto illi mitius fuiſſet ſemel cum filio mortem ſuſtinere, quam quoties tam atrocia filij tormenta intueretur, immo cogitatione ſecum retractaret, toties morte quauis acerbiores cruciatus experiri, merito ſane dicere poterat: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* nunquam horum vinculorum, verberum, conſputationum, ſpineæ coronæ, clauorum, crucis, aliorumque mortis illius inſtrumentorum memoria animo meo excidet. quippe quæ altius pectori meo infixa ſint, quam cruci claui, aut ſpineum

Thren. 3
Cant. 1.

neum ſertum capiti filij mei. Hæc erunt cogitationum mearum oblectamenta, in his omne meum ſolatium, omnis ſpes mea & fiducia: extra hæc nulla mihi voluptas, nullum gaudium, nulla delectatio; quidquid ab his diuerſum animo ſuccurrere poterit, tamquam felle, abſynthio, & omni amarore amarius nauſeam mihi & faſtidium pariet. In vulneribus filij mei commorabor, in ijs precandi mihi & quieſcendi ſedem conſtituam, ex his omnium virtutum alimenta ſugam. Hæc enim mihi vbera ſunt diuino lacte turgentia, oſſa ſapidiſſimis medullis referta, amoris mero plena dolia: ex his robur omne mentis, intelligentiæ perſpicuitatem, diuinum voluntatis incendium hauriam. In his ſiti meæ reſtinguendæ iucundiſſimum potum, eſuriei ſatiandæ delicatiſſimum paſtum, morbis meis præſentiſſimam medicinam, vulneribus ſanandis aptiſſima fomenta: denique in his emoriendo vitam ſempiternam inueniam. Perpende tecum num ſimilia vere cum beatiſſima matre verba vſurpare poſſis. Sequere hanc Virginem matrem, nec vſquam à via aberrabis.

VII. Diſce Chriſti exẽplo te ad imminentẽ mortẽ cõparare 1. cũ inimicis in gratiã redi;& pro eorũ incolumitate, vt pro Iudæorũ

Chri-

Chriſtus, Deum precare .1 culpam eis omnem qui te vmquam offenderunt condona, & vindictæ loco, noua in eos beneficia congere, & ſic Chriſti in latronem clementiam benignitatemque imitare. 3. Curam eorum habe qui tuæ fidei commiſſi ſunt, vt Chriſtus matris ſuæ moriens habuit. 4. Conuertere toto animo ad Deum, vti ſe Chriſtus ad Patrem in ſummis tormentis conuertit. 5. Exſuſcita in te ardentiſſimã ſitim perfruẽdi in Dei conſpectu ſempiternis delicijs, ſimulque vehementiſſimum terrenarum rerum faſtidium. 6. Diſſolue debita omnia quibus quoquo modo obſtrictus es, vt cum Chriſto dicere poſſis, à te pro flagitijs tuis, pia eorum confeſſione, vero dolore, firmaque numquam ea repetendi deliberatione, ſatis eſſe factum. 7. Animum tuum æterno Patri commenda, neglectaque omni rerum periturarum ſollicitudine, curas tuas in animæ tuæ ſalute expedienda impende, nec tum animum tuum alijs vllis cogitationibus quam quæ æternam beatitudinem ſpectent, diſtrahi patere.

VIII. Expende tecum ea quæ poſt Chriſti obitum contigere. 1. Velum quod in Salomonis templo adytis oppanſum erat, in duas partes ſciſſũ fuit: quo prodigio monemur nefarias noſtras mẽtes dolore ex flagi-

tiorum

tiorum noſtrorum memoria hauſto affligere ac dilacerare. Iudicabatur etiam hoc portento, cæli fores ad id vſque tempus arctiſſime obſeratas, Chriſti morte apertas eſſe. 2. Terra mouit, ſaxa diſſiluere, mortui reuixere, vt hoc rerum inanimatarum exemplo, terrea noſtra & ſaxis rigidiora pectora ingenti pœnitudinis ac mœroris æſtu ſoluantur ac miteſcant, & diuinis admonitionibus aperiantur. 3. Centurio, pluresque alii, qui ſpectaculo intererant, viſis tam inuſitatis prodigiis attoniti ac ſtupefacti, plãgenteſque in ſignum doloris pectora dicebant, *Vere filius Dei erat iſte.* Tu quoque peccatorum tuorum malitiam indignatus, concepto ex iis vero mœrore ac deteſtatione, plange facinoroſum pectus tuum. 4. Phariſæi nihil hiſce prodigiis commoti, in cæcitate ſua, & amentia obſtinate perſiſtunt: ac ne integriores è plebe inſolentibus hiſce ſignis excitati paulatim apertius Chriſti virtutem deprehendant, rogant Pilatum, vt iubeat, exanime corpus à cruce refigi & tolli. Magna profecto ea eſt & ſummopere extimeſcenda peccatorum pœna, Cum Deus hominem eo cæcitatis ac dementiæ proruere patitur, vt nec manifeſta veritatis oſtenſione, nec clariſſima miraculorũ aſſertione, à flagitiis abduci queat. Mat. 27.

T 5. Chri-

5. Chriſti latus à milite lancea transfigitur. Non ſufficiebat Iudæis omni crudelitatis genere in viuentem ſæuiiſſe, niſi etiam in mortuum rabiem ſuam exercerent. Nobis interim barbara hæc Iudæorum in Chriſtum mortuum feritas, vberem ad meditandum materiam ſuggerit, ſi cauſas inueſtigare velimus, ob quas æternus Pater filio ſuo iam exanimi hoc adhuc vulnus infligi paſſus fuerit.

1. Nempe vt perfectiſſimum Chriſti in nos amorem oſtenderet. Ideo enim lancea cor eius recludi ſiuit, vt omnis amoris vis, quæ adhuc intra eius viſcera latebat incluſa, per hanc pectoris rimam foras prorumperet, atque ita nobis conſtaret, nihil ab eo, quod ad vtilitatē noſtram profundere poſſet reſeruatū fuiſſe. Accommoda hoc Chriſti vulnus, in tuos vſus, fige in eo ſedē tuam; ſit hoc tuum conclaue, intra quod te cum diuina meditari placuerit, recondas, quo cum te hoſtiū impetus laceſſiuerit refugias, vbi cum te mœrore afflictum, difficultatibus oppreſſum, ariditate ac diffidentia exagitatum ſenſeris, omne leuamē ac ſolatium à Deo impetres. Ex hoc enim Chriſti pectore aduerſus omnes inimicorum impugnationes pręſidium, robur, conſtantiam, omniumque moleſtiarum temperamentum iucundiſ-

cundiſſimum exſuges. Contende etiam quantum potes, vt cor tuum ſimili amoris vulnere ſaucietur, immo transfige tu ipſe, ſi potes, cor Saluatoris tui ignito charitatis telo, vt vere de te ipſe dicat, *Vulneraſti cor meum.* O ſalubria vulnera! cum eadẽ amoris ſagitta Dei pariter ac hominis pectus ſauciauerit. Precare Deum vt tam ſalutiferam cordi tuo plagam infligat. Ex hac enim citra omnem laborem omnium virtutum germina efflorefcent.

2. Cor hoc tam vaſto vulnere apertum fuit, vt eſſet peccatorum omnium portus & aſylum, quo ſe Dei vltoris manum fugientes reciperent: nam ſi perpetuo hæc miſericordiæ officina obſerata remanſiſſet, quis in eam vmquam penetrare potuiſſet? cuius ea fuiſſet confidentia, vt hoc pectus ſibi perfugium deſtinaſſet? At cum modo tam laxe pateat, quis ad hoc aſylum non confugiet? quis ad hunc fontem omnes vitiorum ſordes expurgaturus non properabit? Quis ad hoc ſalutiferum balneum lepram ſuam omneſque animæ morbos & vulnera ſananda non deferet? Quis denique ad hanc arcem, quoties ſe hoſtium telis appeti ſenſerit, non conuolabit? quam ſcit nullis cuniculis ſubrui, nullis dolis occupari, nec vllis inferorum machinis labefactari poſſe.

3. Cor hoc etiam ferali telo reſeratum fuit, ad punitionē eorum peccatorum, quæ, cum intimo animi ſinu incluſa deliteſcant, numquam ea nefario pudore impediti proferimus; ſed antiqua nouis indies exaggerantes, tam dirum virus animo incluſum circumferimus. Quapropter viſo Chriſti pectore tam alto vulnere noſtri cauſa effoſſo, audeamus & ipſi animi noſtri arcana ſalubri pænitentiæ mucrone aperire, vt omnis inde ſcelerum ſanies medica manu educi poſſit.

4. Noluit ſine vulnere cor ſuum Chriſtus relinqui, vt ſupremæ illæ ſanguinis guttulæ, quæ in eo adhuc ſupererant, inde etiā pro ſceleribus noſtris effluerent. Conſidera veram ſinceri amatoris indolem. nihil ſibi, ne ſtillam quidem ſanguinis ſupereſſe patitur, quam non cupidiſſime in amici gratiam profundat. Examina vitam tuam, & vide anne omnia tua cū Deo communia ſint, illumne omnium eorum quæ in vita poſſides participem facias. inſpice diligenter tuū viuendi modū, perpende num facultates tuas, opes, honores, ſanguinē, vitam, ingenium, memoriā, voluntatem, omnem deniq; animū tuum ita Dei obſequiis offeras ac dedices, vt nihil inde in tuos proprios vſus auara tenacitate decerpas.

5. Tra-

Digitized by Google

5. Transfigitur quoque Chriſti cor, vt inſatiabile ſuum pro nobis patiendi deſideriū commonſtret, priora verbera, flagella, ſpinæ, claui intima corporis viſcera non ſauciauerant, quæ ne illæſa permanerent, haſtæ mucronem in pectus ſibi adigi paſſus eſt, vt nihil eſſet in toto corpore, ne in intimis quidem viſceribus, quod pro delictis noſtris non vulneraretur.

6. Apertum fuit Chriſti cor, vt indicaretur, eius morte omnes gratiæ fontes ac ſcaturigines ad illum vſque diem concluſas, aperiendas, atque ſaluberrimis earum aquis ſitientes omnes animas inebriandas, infectaſque peccatorum ſordibus abluendas. Item ad indicandum, poſt Chriſti mortem, cæleſtem illum clementiæ rorem, nubeſque diuinæ benignitatis, in ſuauiſſimū imbrem reſoluendas, & ſaluberrimum peccatis expiandis inde flumen procreandum.

7. Latus hoc lanceæ cuſpide transfoſſum fuit, vt in publico extremi iudicii tribunali ingens Chriſti in homines caritas clarius eluceret; Partim ad iucundiſſimum eorum omnium ſolatium, qui ſedula peccatorum fuga, diligentique virtutum ſtudio Chriſto Domino fidos ſe nauoſque miniſtros exhibuerint: partim etiam ad turpiſſimam eorum ignominiam, qui contemptis tantæ

charitatis argumentis ſtudioſius mundi, quam Chriſti conſilia ſecuti, vitam ſuam plurimis flagitiis commacularint. Cuius ignominiæ morſus longe eos acerbius torquebit, cum alia etiam in Chriſti manibus ac pedibus vulnera intuebuntur, quos ſe longe truculentius frequentiſſimis ſuis ſceleribus confixiſſe intelligent, quam trabales illi claui, aut lancea in cruce configere potuerint. Cum ergo hæc vulnera peccator aſpiceret, quid Deo tantam ei crudelitatem exprobranti reſpõdebit? quomodo ad conſpectum illius iudicis trepidabit, à cuius decreto & æternæ ſuæ felicitatis & extremæ miſeriæ ſortem pendere cernet, præſertim cum hunc toties à ſe, flagitiorum ſuorum clauis teliſque crudeliter confoſſum fuiſſe recordabitur?

ORA-

ORATIONES AD VIRTVTES IMPETRANDAS.

In Orationem Dominicam.

Pater noſter.

I.

SI Deus, pater noſter eſt, vbi noſter in talem patrem filiorum affectus? vbi digna filiis talis parentis vita ac mores? vbi amor noſter erga tam immenſum Deum ac patrem noſtrum? Ipſe toties ſe parentem noſtrum eſſe oſtendit, nos tam raro, filios nos eius eſſe teſtamur. Agnoſce, ô anima mea, paternum eius in te affectum ex tam frequentibus beneficiis quæ adhuc indies in te congerit. Expende tecũ horũ præcipua, cum ſingulis non ſufficiat tua imbecillitas: Creationem tuam ad eius effigiem: Conſeruationem qua nos

Digitized by Google

ſingulis momentis ab interitu ſeruat: Incarnationem eius atq; immites cruciatus, quos pro ingratiſſimis filiis, capitali à ſe odio diſſidentibus, atque ideo æternis ignibus addictis, ſuſtinuit: Sanctiſſima ab ipſo instituta ſacramenta, ſalutis noſtræ inſtrumenta, ad beatitudinem ſubſidia, ac præter hæc dona prope innumera quæ quotidie liberaliſſime in nos paterna eius dextera effundit. Et vbi noſtra digna talis parentis filiis gratitudo atque amor? quid in tantorum beneficiorum compenſationem tali parenti rependimus? peccata peccatis ſuperaddimus, iniurias iniuriis cumulamus, defectiones defectionibus coniungimus, violationes paternarum eius legum congerimus, conſilia adhortationeſque eius ſemel neglectas ſpernere pergimus, pactiones cum hoſtibus eius inimus, nouis indies ſponſionibus confirmamus, hæccine filiorum in parentem officia? quid ergo ab hoſtibus exſpectabit? Conuerte te, ô anima mea, à iuratis hoſtibus tuis, à vita nefaria, ad Patrem tuum: imitare paternum eius in te animum, paternam beneuolentiam, paternam charitatem: ac pudeat in tam benigni parentis conſpectu, à quo numquam te ſubducere potes, paterna eius mandata infringere. Quis filius aliquo ſaltem amoris vinculo

culo cum parente coniunctus eo adſtante ac inſpiciente, imperia illius reiiciet aut violabit? Tu cum non ignores aſtare te perpetuo coram patre tuo cæleſti, nec poſſe te vmquam ita oculos eius declinare, vt non etiam occultiſſima animi tui ſenſa peruideat; enitere vt optimi parentis tui oculis ſedula bonitatis eius imitatione placere poſſis: firmiterque apud te ſtatue, millies potius, ſi fieri poſſit, mortē oppetere, quam vel ſemel infinitam parentis tui bonitatem offendere; quam vel ſemel paternam eius in te propenſionem, vnico flagitio à te ab alienare; ne paternam eius beneuolentiam tua culpa in ſeueriſſimi iudicis indignationem conuertas.

Sanctifica diuinum eius nomen, diuina opera perficiendo, prolixa gratitudine, ſincera animi ſubmiſſione, ardenti deſiderio ipſi miniſtrandi, ac mandatis eius obtemperandi; non aliam ob cauſam quam quod ipſe ſit vnicus tibi in cælis pater. Contende vt omnes qui te vident, intelligant, eſſe te egregium amatorem ſectatoremque huius parentis cæleſtis, filiumque eius dilectum, qui non aliud quæras aut optes, quam amplificationem gloriæ benigniſſimi tui parentis, ſummum tuum honorem ac decus in amplificatione honoris illius poſitum

eſſe ducendo: ſic fiet, vt perfectum eius regnum ad te perueniat.

II.

QVæ voluntas, ô pater, ac Domine mi, tam nobis vtilis ac ſalutaris eſſe poteſt, quam tua? Quæ magis certa ac beneuola? aut quid ego de tua voluntate conqueri poſſum? Nulla mater tam tenere filio, quem propriis vberibus enutriuit afficitur, quam tu Domine animæ meæ: nam etſi poſſet mater filii vteri ſui obliuiſci, tu tamen mei obliuiſci non potes. Quam ergo rationem habere poſſum, vt de materna tua in me affectione dubitem? Quæ mihi res infinitam tuam bonitatem, ſapientiam, omnipotentiam ſuſpectam reddere poſſet? Si tu omnia ſcias, omnia poſſis, ac bonitas tua maternaque in homines pietas nullis terminis contineri arctariue poſſit; qui fiet vt aut in rerum delectu fallare, aut vt mihi perniciosum quippiam, aut ſaluti repugnãs accidere patiare? prouidentia tua falli nequit, maternaque tua in nos charitas ſuos odiſſe neſcit. Quapropter quidquid te permittente obuenerit, id omne mihi ſaluberrimum, optimum, atque tutiſſimum æſtimabo: voluntatem meam in omnibus diuinæ tuæ voluntati conformando, nec aliud quidquam deſiderando, quam quod diuino tuo

tro tuo arbitratu fuerit præſtitutum: cum ſciam te in tua deſignatione & prouidentia falli non poſſe, nec maternum tuum affectum filios ſuos poſſe fruſtrari. Mea voluntas ſæpe nullo negotio in errorem induci poteſt, ſapientia mea frequenter in rerum delectu fallitur; vt longe tutiſſimum ſit, eius voluntatem amplecti, quæ nec falli poſſit, nec fallere: quæ eſt ſola tua voluntas. Exſpolia te, ô anima mea, tua voluntate, vt diuinam induere poſſis. tuam ſequendo errare potes, quod diuinam ſequenti nullo modo poteſt contingere: elige certiſſimam, ac ſaluberrimam voluntatem: tua decipi poteſt, teque ad æternam calamitatem perducere; Dei infallabilis eſt, atque ad beatitudinem via tutiſſima.

Roga hunc Patrem, vt te quotidie alat, non ſolo pane qui corpus nutriat; ſed pane quo animus alatur, pane cæleſtis ſuæ gratiæ. nullus enim ſapidior, nullus melior, nullus animæ ſalubrior, quam panis diuinæ voluntatis: hæc ſit cibus tuus, huic obtemperare ſit tua refectio, tua ſatietas. Nec enim vſpiã ſunt epulæ lautiores, nullæ quæ mentẽ humanã melius paſcant, nullæ quæ magis animum exſatient, quam quę diuinæ voluntati obſequendo comparantur. In hoc enim cibo omnes cæli deliciæ, omne

animæ nutrimentum, omnes virtutum fruges, tanquam ſuo trunco inſitæ, tamquam natiuo ſolo innatæ, tamquam in ſemine ſuo ac radice incluſæ. Paſce me, ô Domine, cæleſti hoc paſtu, qui ſolus eſt animæ ſalus ac nutrimentum: exſatia cor meum voluntate tua, vt aliud nihil deſiderem, nihil optem, nihil quæram, immo nullo alio delecter aut recreer, quam obtemperando diuinæ tuæ voluntati, ex qua mihi omnis ſalus ac iucunditas omni æternitate eſt exſpectanda, Amen.

III.

INnumerabilia ſunt debita mea, quis pro me ſatisfaciet? nã penes me nequaquam facultates inuenio, quæ tantis nominibus ſufficiant. Ius tuum, meaque debita negare non poſſum, nec exſoluere: neceſſe eſt tua, ô Domine, ac pater mi, liberalitas meæ ſuccurrat tenuitati. Do veniam omnibus qui me vnquam offenderunt, iniurias mihi vnquam illatas libenter condono, ſperoque te pari facilitate mihi culpam omnem condonaturum, cum olim ipſe dixeris, *Di-*
Luc. 6. *mittite, & dimittemini, & eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Dimitto, Domine, ex toto corde, quidquid in me vllus vnquam commiſit; auerte tu quoque à me iuſtiſſimam indignationẽ tuam,

camque

eamque in benignam erga me propenſionem conuerte, & paternum iterum erga me affectum indue. Ne memineris perpetuo Domine, iniquitatum mearum, ſed eas ita obliuiſcere, perinde ac ſi numquam à me perpetratæ fuiſſent. Admitte me iterum in eorum numerum, qui arctiore tecum amicitiæ nexu ſunt coniuncti: rurſumque, quamuis indignum inter dilectiſſimos tuos filios recipe. Nam propter te Domine, condono libens, omninoque obliuiſcor quidquid in me vnquam ab aliis peccatum fuit, inimicos omnes, omni ſimultate atque indignatione depoſita, inter amicos repono, iiſque omnem proſperitatem ac felicitatem affectu quam poſſum maximo precor ac voueo: paratus quantum meæ patientur facultates, neceſſaria ipſis propenſe ac beneuole ſuppeditare, quinimmo nec vultum eis deinceps auſteriorem, nec officia humanitatis leuiora, nec denique in conuictu conſuetudinem aſperiorem exhibebo, quam prius, cum nulla nos animorum offenſio diſiunxiſſet. Tu precor Domine eadem mecum fide ac beneuolentia in gratiam redi. Atq; vt perfectius ego quæ mearum ſunt partium expleam, ne me inducas in tentationem, ſed diuina tua ac paterna dextera propelle à me omnes carnis, mundi, ac

di, ac dæmonis impugnationes. nam aduerſus hoſtes tam validos ſolus nequaquam ſufficio, niſi me potentiſſima tua dextera corroboret, omnis mea virtus cum horum robore ac fortitudine compoſita minus poteſt, quam contra ignem fœnum ac palea, contra ventorum turbines delapſum ab arbore folium, contra tempeſtuoſi maris procellas fragilis arundo. Ideoque ad te tamquam ad patris vlnas, ad matris ſinum, benigniſſime Domine, qui & patris prouidentiam ac matrum affectum tuo in nos amore ſuperas, ſupplex confugio. Defende me ac tuere à rugientibus his leonibus, à lupis ringentibus, perniciofiſſimiſque ſerpentibus. nam ſine te miles inermis ſum inter armatorum hoſtium millia, in medio hoſtilis exercitus, qui non aliud quam meam perniciem molitur, cuique ſumma voluptas ac gloria ex meo exitio quæritur. Eripe me Domine, circumcinctus enim ſum vndique, & fuit à me omnis virtus mea tamquam puluis vento diſſipatus: robur meum peccatorum lue abſumptum eſt, & vt coram igne cera contabuit. Reſpice, ô Domine, pater mi, conſolator ac defenſor, imbecillam hanc animam, eiuſque miſerere, reſpice illam oculis tuæ clementiæ, pugnet pro ea paterna dextera tua, vindicet

dicet eam à calamitatibus omnipotens brachium tuum. Nam ſi tu me deſeris, quo me vertam? quo ſugiam? vbi me recondam? Omnia mihi metuenda, cælum, terra, mare, inferi, nec in me ipſo vllam ſecuritatem aut præſidium reperio; carnem meam & ſanguinem, intimaſque ex oſſibus medullas ac vires omnes, inimici mei exſuxerunt, quo me defendam? omnia armorum præſidia mihi erepta ſunt, & fortitudo mea me dereliquit: & ideo tu ſolus es, Deus ac pater mi, in quo ſpes mea omnis eſt repoſita. Tu mihi robur ac telum aduerſus hoſtes, tu præſidium atque exercitus, tu munitio mea, tu arx, tu propugnator ac defenſor. Intuere contritum atque humiliatum cor meum, quod peccatorum mole tamquam in mortario ferreo contuſum piſtillo, omni ſua vi ac virtute eſt deſtitutum. Hæc eſt ouis illa perdita, hic filius ille qui ſua prodigalitate periit, qui oculos pudore deiectos ad paternę tuę benignitatis vlnas vultumq; attollere erubeſcit. Exaudi me in hac neceſſitate mea ad te clamantem, expanſiſque miſericordiæ tuæ brachiis, recipe me in clientelam tuam, à qua omnis mea dependet incolumitas, libera me à peccatis meis atq; ab omni eo quod ad peccatum me poſſet impellere. hæc enim ſunt hoſtes animæ

meæ

meæ maxime pernicioſi. vt tantis malis expeditus miſericordiam ac benignitatem tuam in omnem æternitatem laudem ac prædicem, Amen.

Oratio ad Beatiſsimam Virginem de angelica ſalutatione.

BEne precentur tibi in omnem æternitatem Beatiſſima MARIA creaturæ omnes, quam à primo mundi exordio Sanctiſſima Trinitas, vt eſſes aliquando filii Dei mater, elegit. En dies hic eſt ſummæ tibi lætitiæ, nobiſque incredibilis felicitatis nuncius, tot annorum ſpatiis exſpectatus, tot lachrymis poſtulatus, tot ſuſpiriis deſideratus, atque tot martyrum ſanguine efflagitatus. dies quem diuinæ clementiæ radii mirabiliter illuſtrarunt. Cuius lingua ad diei huius gratulationem ſufficiet? cuius intelligentia audita hoc primum die prodigia aſſequetur? cum mortalis virgo, immortalis ſempiternique Dei mater effecta eſt? Merito ſane ab angelo gratia plena diceris, quam gratiæ omnis auctor & largitor in matrem elegit. non ego tecum puriſſimis angelorum choris, ô Virgo, ſaluto, ſed cum infelicibus Euæ filiis humi proſtratus & pedibus tuis aduolutus, guttulam aliquam è tanta gratiarum redundantia, riuulum aliquem.

aliquem è copioſiſſimo flumine, quo animam tuam fauſtiſſimo hoc die æternus Pater inundauit, ſupplex exſpecto. En ego hic canis inſtar, (hominem enim vt me dicam, innumera mea flagitia prohibent,) ſub menſa tua proiectus, defluentes ex ea capto micas, vt hiſce fame prope enectam animam paſcam. Benedicta tu inter mulieres, quæ ſola à Deo digna habita es quæ vnigenitum eius filium caſtiſſimo tuo corpore exciperes, virgineo tuo ſanguine & lacte aleres. Quid tibi poſtulanti negare vmquam poterit, qui de puriſſimis tuis viſceribus carnem & ſanguinem ſuum dignatus eſt haurire? tu eſto nobis miſericordiæ mater, quæ mundo filium omnis miſericordiæ auctorem genuiſti, qui fieri poſſet vt talis matris preces talis filius repudiaret? Deiice ergo miſericordes oculos tuos in calamitoſam hanc animam meam, eoſque inde ad amantiſſimum filium tuum attolle, teque mediatricem inter ſceleratam animam meam, infinitamque eius benignitatem conſtitue. Excipe ſupplices preces ab imo mentis affectu prorumpentes, tu quæ es inter omnes cælites humillima, ideoque ſuper omnes in æterna gloria exaltata. hæc enim veræ ſubmiſſionis digna merces, quæ quo ſuo eſt iudicio vilior abiectiorq; eo eſt

apud

apud Deum ſublimior altiorque. Tu cum vere Dei mater prædiceris, omnibus te hominibus ſubmittis, atque poſt auguſtiſſimam hanc ad te de cælo miſſam legationem, non te alio, quam ancillę nomine dignam æſtimas. Quid ancilla abiectius? En nobiliſſimos animi vere humilis fœtus, ad excellentiſſimam matris Dei dignitatem euehi, nec tamen à conſtanti ſui deſpicientia vel minimum deficere. Quis me ſtrenuum tantæ tuæ ſubmiſſionis, ô piiſſima Virgo, imitatorem efficiet, vt tecum aliquando etiam tuæ felicitatis particeps efficiar. vtinam ipſe quoque ex animi ſententia dicere poſſim, En ego ſeruus Domini, nec ſim amplius dæmonum aut flagitiorum meorum prauarumue cupiditatum mancipium. Quando tandem experiar ipſe in me conſtans incitatumque ſoli Deo perpetuo ſeruiendi deſiderium? Quando cogitationes meæ omnes, dicta factaque, ipſius ſolius obſequium ſpectabunt, ita vt præter illum neminem ſuſpiciam, præmium ab eo ſolo exſpectem, aliorum omnium ſeruitutem faſtidiam atq; excutiam, priuſque millies in poſterũ mortem oppetam, quam vel ad latum vnguem ab imperiis ipſius diſcedam. Accende ô benedicta inter mulieres, in facinoroſa hac anima mea vehemen-

tiſſi-

tiſſimam Deo ſeruiendi cupiditatem, inflammatam in eum caritatem, ſtudiumque indefeſſum perpetuo tibi filioque obſequendi. Quid enim beatius mihi aut glorioſius poſſit accidere, quam vt Dei matri cælorum reginæ ſeruiam? Concede mihi ô mater miſericordiæ hanc mentis promptitudinem, hanc voluntatis obedientiam, vt addictam tibi ſeruitutem læto ac hilari animo ſeruiam, nec aliud vnquam deſiderem, quam vt filio tuo, tibique æternum placeam ac miniſtrem. Amen.

Oratio de Chriſti Incarnatione.

PEccatorum noſtrorum ſordibus immerſi, infeliceſque dæmonum ſerui, æternis omnes ignibus mancipandi eramus, niſi tu nos Deus aliquando clementiſſimis oculis reſpexiſſes. erat omnis liberationis ſpes præciſa, quod peccata noſtra contra infinitam Dei maieſtatam perpetrata, & mole eſſent immenſa & numero infinita: adeo vt pro iis ex iuſtitiæ rigore Deo ſatiſfacere, noſque cum eo reconciliare, nullæ creatæ naturæ vires poſſent. atque ideo neceſſe erat inueniri reconciliatorem ac vindicē, cuius eſſent opera meriti infiniti, quibus diuinæ iuſtitiæ plene ſatisfieret: talis eſſe nemo poterat, niſi qui idē eſſet homo, & Deus; homo

homo vt patiendo ſatisfacere poſſet; Deus vt humanis operibus infiniti pretii dignitatem adderet. Durum id atque ab omni ratione alienũ videri poterat, vt Deus ipſe, cui ob grauiſſima ſcelera infinitis debitis obſtricti eramus, pro nobis ſatisfaceret; ſed cum præter hanc alia nulla ratio ſuppeteret ad ſatisfaciendum iuſtitiæ diuinæ, atque ad hominem ab æterna ſeruitute, ſempiterniſque ſuppliciis vindicandum, voluit ipſe vnigenitus Dei Filius hortante infinita ſua miſericordia, benigniſſimaque in genus humanum propenſione, humanam ſibi naturam inaudito vinculo cõiungere, delecta ſibi in matrem caſtiſſima virgine Maria, quam ab omni æternitate ad hanc dignitatem deſtinarat. Quis infinitas has Domini miſerationes animo concipere poterit? Quæ lingua explicabit? quæ intelligentia aſſequetur? Deus ſolus eſt qui hanc donorum ſuorum infinitatem complecti poſſit. O felix diuinæ miſericordiæ decretũ! ô fauſtum nuncium! ô iucundiſſimum clementiæ ac miſerationis diem! quam tu exſpectatus mundo exortus es! quam tu omnium prædicatione celebrandus, quantum venerandus! O Virginum beatiſſima, tam mirabiliter à Deo ſelecta, ad tantam dignitatem exaltata, vt Dei mater eſſes, ſupra om-

omnes Sanctos, ſupra omnes Angelos, ſupra omnem creatam naturam proxime ad filii tui ſolium euecta, miſerere calamitoſiſſimæ animæ meæ, quæ modo es apud filium tuum tantæ auctoritatis ac potentiæ, inſtilla in animum meum vnicam ſaltem gaudii illius guttulam, quo te æternus Pater hoc die incarnationis Filii ſui, die miſericordiæ diuinæ, cæleſtiſque iucunditatis, cumulauit. penetret ad peccatricem mentem meam aliquis voluptatis tuæ radius: illuſtra peccatorum meorum tenebras aliquo diuinæ tuæ lucis ſplendore: exſiliat ex ardentiſſima caritatis tuæ fornace in frigidum pectus meum vnica ſcintilla, vt te cum filio tuo in omnem æternitatem laudare ac venerare poſſim, Amen.

Oratio de B. Maria cognatam ſuam Eliſabeth viſitante.

AMor eſt ſine modo, ſine termino, quietis omnis ac ceſſationis impatiens, operoſus ſemper, nunquam otioſus: ignis eſt perpetuo ardens. perſpicuum hoc fit in Virgine Dei matre, quæ intellecto ex Angelo, cognatæ ſuæ iam ſexto menſe grauidæ pariendi tempus inſtare; exurgit cum feſtinatione, tranſcurrit montana, intrat domum Eliſabeth, vt ſuum ei obſequium offerat

animæ nutrimentum, omnes virtutum fruges, tanquam ſuo trunco inſitæ, tamquam natiuo ſolo innatæ, tamquam in ſemine ſuo ac radice incluſæ. Paſce me, ô Domine, cæleſti hoc paſtu, qui ſolus eſt animæ ſalus ac nutrimentum: exſatia cor meum voluntate tua, vt aliud nihil deſiderem, nihil optem, nihil quæram, immo nullo alio delecter aut recreer, quam obtemperando diuinæ tuæ voluntati, ex qua mihi omnis ſalus ac iucunditas omni æternitate eſt exſpectanda. Amen.

III.

INnumerabilia ſunt debita mea, quis pro me ſatisfaciet? nã penes me nequaquam facultates inuenio, quæ tantis nominibus ſufficiant. Ius tuum, meaque debita negare non poſſum, nec exſoluere: neceſſe eſt tua, ô Domine, ac pater mi, liberalitas meæ ſuccurrat tenuitati. Do veniam omnibus qui me vnquam offenderunt, iniurias mihi vnquam illatas libenter condono, ſperoque te pari facilitate mihi culpam omnem condonaturum, cum olim ipſe dixeris, *Dimittite, & dimittemini, & eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Dimitto, Domine, ex toto corde, quidquid in me vllus vnquam commiſit; auerte tu quoque à me iuſtiſſimam indignationẽ tuam,

Luc. 6.

eamque

eamque in benignam erga me propenſionem conuerte, & paternum iterum erga me affectum indue. Ne memineris perpetuo Domine, iniquitatum mearum, ſed eas ita obliuiſcere, perinde ac ſi numquam à me perpetratæ fuiſſent. Admitte me iterum in eorum numerum, qui arctiore tecum amicitiæ nexu ſunt coniuncti: rurſumque, quamuis indignum inter dilectiſſimos tuos filios recipe. Nam propter te Domine, condono libens, omninoque obliuiſcor quidquid in me vnquam ab aliis peccatum fuit, inimicos omnes, omni ſimultate atque indignatione depoſita, inter amicos repono, iiſque omnem proſperitatem ac felicitatem affectu quam poſſum maximo precor ac voueo: paratus quantum meæ patientur facultates, neceſſaria ipſis propenſe ac beneuole ſuppeditare, quinimmo nec vultum eis deinceps auſteriorem, nec officia humanitatis leuiora, nec denique in conuictu conſuetudinem aſperiorem exhibebo, quam prius, cum nulla nos animorum offenſio diſiunxiſſet. Tu precor Domine eadem mecum fide ac beneuolentia in gratiam redi. Atq; vt perfectius ego quæ mearum ſunt partium expleam, ne me inducas in tentationem, ſed diuina tua ac paterna dextera propelle à me omnes carnis, mundi, ac

di, ac dæmonis impugnationes. nam aduersus hostes tam validos solus nequaquam sufficio, nisi me potentissima tua dextera corroboret, omnis mea virtus cum horum robore ac fortitudine composita minus potest, quam contra ignem fœnum ac palea, contra ventorum turbines delapsum ab arbore folium, contra tempestuosi maris procellas fragilis arundo. Ideoque ad te tamquam ad patris vlnas, ad matris sinum, benignissime Domine, qui & patris prouidentiam ac matrum affectum tuo in nos amore superas, supplex confugio. Defende me ac tuere à rugientibus his leonibus, à lupis ringentibus, perniciosissimisque serpentibus. nam sine te miles inermis sum inter armatorum hostium millia, in medio hostilis exercitus, qui non aliud quam meam perniciem molitur, cuique summa voluptas ac gloria ex meo exitio quæritur. Eripe me Domine, circumcinctus enim sum vndique, & fuit à me omnis virtus mea tamquam puluis vento dissipatus: robur meum peccatorum lue absumptum est, & vt coram igne cera contabuit. Respice, ô Domine, pater mi, consolator ac defensor, imbecillam hanc animam, eiusque miserere, respice illam oculis tuæ clementiæ, pugnet pro ea paterna dextera tua, vindicet

dicet eam à calamitatibus omnipotens brachium tuum. Nam si tu me deseris, quo me vertam? quo fugiam? vbi me recondam? Omnia mihi metuenda, cælum, terra, mare, inferi, nec in me ipso vllam securitatem aut præsidium reperio; carnem meam & sanguinem, intimasque ex ossibus medullas ac vires omnes, inimici mei exsuxerunt, quo me defendam? omnia armorum præsidia mihi erepta sunt, & fortitudo mea me dereliquit: & ideo tu solus es, Deus ac pater mi, in quo spes mea omnis est reposita. Tu mihi robur ac telum aduersus hostes, tu præsidium atque exercitus, tu munitio mea, tu arx, tu propugnator ac defensor. Intuere contritum atque humiliatum cor meum, quod peccatorum mole tamquam in mortario ferreo contusum pistillo, omni sua vi ac virtute est destitutum. Hæc est ouis illa perdita, hic filius ille qui sua prodigalitate periit, qui oculos pudore deiectos ad paternę tuę benignitatis vinas vultumq; attollere erubescit. Exaudi me in hac necessitate mea ad te clamantem, expansisque misericordiæ tuæ brachiis, recipe me in clientelam tuam, à qua omnis mea dependet incolumitas, libera me à peccatis meis atq; ab omni eo quod ad peccatum me posset impellere. hæc enim sunt hostes animæ meæ

meæ maxime perniciosi. vt tantis malis expeditus misericordiam ac benignitatem tuam in omnem æternitatem laudem ac prædicem, Amen.

Oratio ad Beatissimam Virginem de angelica salutatione.

BEne precentur tibi in omnem æternitatem Beatissima MARIA creaturæ omnes, quam à primo mundi exordio Sanctissima Trinitas, vt esses aliquando filii Dei mater, elegit. En dies hic est summæ tibi lætitiæ, nobisque incredibilis felicitatis nuncius, tot annorum spatiis exspectatus, tot lachrymis postulatus, tot suspiriis desideratus, atque tot martyrum sanguine efflagitatus, dies quem diuinæ clementiæ radii mirabiliter illustrarunt. Cuius lingua ad diei huius gratulationem sufficiet? cuius intelligentia audita hoc primum die prodigia assequetur?cum mortalis virgo, immortalis sempiternique Dei mater effecta est? Merito sane ab angelo gratia plena diceris, quam gratiæ omnis auctor & largitor in mattem elegit. non ego tecum purissimis angelorum choris, ô Virgo, saluto, sed cum infelicibus Euæ filiis humi prostratus & pedibus tuis aduolutus, guttulam aliquam è tanta gratiarum redundantia, riuulum aliquem,

aliquem è copiosissimo flumine, quo animam tuam faustissimo hoc die æternus Pater inundauit, supplex exspecto. En ego hic canis instar, (hominem enim vt me dicam, innumera mea flagitia prohibent,) sub mensa tua proiectus, defluentes ex ea capto micas, vt hisce fame prope enectam animam pascam. Benedicta tu inter mulieres, quæ sola à Deo digna habita es quæ vnigenitum eius filium castissimo tuo corpore exciperes, virgineo tuo sanguine & lacte aleres. Quid tibi postulanti negare vmquam poterit, qui de purissimis tuis visceribus carnem & sanguinem suum dignatus est haurire? tu esto nobis misericordiæ mater, quæ mundo filium omnis misericordiæ auctorem genuisti, qui fieri posset vt talis matris preces talis filius repudiaret? Deiice ergo misericordes oculos tuos in calamitosam hanc animam meam, eosque inde ad amantissimum filium tuum attolle, teque mediatricem inter sceleratam animam meam, infinitamque eius benignitatem constitue. Excipe supplices preces ab imo mentis affectu prorumpentes, tu quæ es inter omnes cælites humillima, ideoque super omnes in æterna gloria exaltata. hæc enim veræ submissionis digna merces, quæ quo suo est iudicio vilior abiectiorq; eo est

apud

apud Deum sublimior altiorque. Tu cum vere Dei mater prædiceris, omnibus te hominibus submittis, atque post augustissimam hanc ad te de cælo missam legationem, non te alio, quam ancillę nomine dignam æstimas. Quid ancilla abiectius? En nobilissimos animi vere humilis fœtus, ad excellentissimam matris Dei dignitatem euehi, nec tamen à constanti sui despicientia vel minimum deficere. Quis me strenuum tantæ tuæ submissionis, ô piissima Virgo, imitatorem efficiet, vt tecum aliquando etiam tuæ felicitatis particeps efficiar. vtinam ipse quoque ex animi sententia dicere possim, En ego seruus Domini, nec sim amplius dæmonum aut flagitiorum meorum prauarumue cupiditatum mancipium. Quando tandem experiar ipse in me constans incitatumque soli Deo perpetuo seruiendi desiderium? Quando cogitationes meæ omnes, dicta factaque, ipsius solius obsequium spectabunt, ita vt præter illum neminem suspiciam, præmium ab eo solo exspectem, aliorum omnium seruitutem fastidiam atq; excutiam, priusque millies in posterū mortem oppetam, quam vel ad latum vnguem ab imperiis ipsius discedam. Accende ô benedicta inter mulieres, in facinorosa hac anima mea vehemen-

tissi-

tissimam Deo seruiendi cupiditatem, inflammatam in eum caritatem, studiumque indefessum perpetuo tibi filioque obsequendi. Quid enim beatius mihi aut gloriosius possit accidere, quam vt Dei matri cælorum reginæ seruiam? Concede mihi ô mater misericordiæ hanc mentis promptitudinem, hanc voluntatis obedientiam, vt addictam tibi seruitutem læto ac hilari animo seruiam, nec aliud vnquam desiderem, quam vt filio tuo, tibique æternum placeam ac ministrem. Amen.

Oratio de Christi Incarnatione.

PEccatorum nostrorum sordibus immersi, infelicesque dæmonum serui, æternis omnes ignibus mancipandi eramus, nisi tu nos Deus aliquando clementissimis oculis respexisses: erat omnis liberationis spes præcisa, quod peccata nostra contra infinitam Dei maiestatem perpetrata, & mole essent immensa & numero infinita: adeo vt pro iis ex iustitiæ rigore Deo satisfacere, nosque cum eo reconciliare, nullæ creatæ naturæ vires possent. atque ideo necesse erat inueniri reconciliatorem ac vindicē, cuius essent opera meriti infiniti, quibus diuinæ iustitiæ plene satisfieret: talis esse nemo poterat, nisi qui idē esset homo, & Deus;

homo

omnes Sanctos, supra omnes Angelos, supra omnem creatam naturam proxime ad filii tui solium euecta, miserere calamitosissimæ animæ meæ, quæ modo es apud filium tuum tantæ auctoritatis ac potentiæ, instilla in animum meum vnicam saltem gaudii illius guttulam, quo te æternus Pater hoc die incarnationis Filii sui, die misericordiæ diuinæ, cælestisque iucunditatis, cumulauit. penetret ad peccatricem mentem meam aliquis voluptatis tuæ radius: illustra peccatorum meorum tenebras aliquo diuinæ tuæ lucis splendore: exsiliat ex ardentissima caritatis tuæ fornace in frigidum pectus meum vnica scintilla, vt te cum filio tuo in omnem æternitatem laudare ac venerare possim, Amen.

Oratio de B. Maria cognatam suam Elisabeth visitante.

AMor est sine modo, sine termino, quietis omnis ac cessationis impatiens, operosus semper, nunquam otiosus: ignis est perpetuo ardens. perspicuum hoc fit in Virgine Dei matre, quæ intellecto ex Angelo, cognatæ suæ iam sexto mense grauidæ pariendi tempus instare, exurgit cum festinatione, transcurrit montana, intrat domum Elisabeth, vt suum ei obsequium offerat

ferat atque impendat. O ingens caritas, & hac maior humilitas! Virgo à Deo in matrem ex omnibus mulieribus selecta, abit vt in cognatæ suæ obsequio viuat: excellentissima cælorum regina super omnes Angelos exaltata, pergit vt instar ancillulæ seruiat. Cumque à cognata, quæ Spiritus sancti instinctu eius dignitatem iam didicerat, super omnes mulieres laudaretur, ipsa hoc se profundius infra omnes mulieres abiecit, omnemque gloriam soli Deo adscripsit: Dei mater salutabatur, illa se Dei ancillam esse, nec quidquam præterea gloriabatur. Disce hinc, ô anima mea, quid faciendum tibi erit cum ab aliis laudabere: nempe laudem omnem ac gloriam Deo adscribendam, cui soli honor omnis & gloria debentur: disce pro tua conditione proximo indigenti operam tuam impendere: disce veram animi submissionem, disce omnium te minimum, immo seruum ac mancipium ceterorum existimare. Humilitas enim est virtutum decus, perfectionis Christianæ fundamentum, caritatis basis ac fulcrum, ad hanc consectandam singulare illud & excellentissimum à Christo Domino documentum atque exemplum datum inuitat, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* à quo ergo hanc virtutem accipiam?

Mat. 11.

piam? vnde eius exempla petam? vbi quæram? non longe hęc petenda: Christi Domini beatissimæque matris eius vita, quid aliud est quam humilitatis effigies viuacissima, prototypon perfectissimum, ac politissimum speculum in quo spirantia veræ submissionis exempla eluceant? Da Domine vt hæc imitando assequar, atque effice vt anima mea expulso omni superbiæ fastu, omni mẽtis tumore, omni glorię inanitate, omni honoris ambitione, omni propriæ æstimationis pruritu, sinceræ perfectæque humilitatis amore ardeat. Nam reuera, si quod res est, fateri velim, quid merui, nisi vt omnium mortaliũ vestigiis proterar, fustibus ab omnibus tundar, & omnium linguis contemnar atque proscindar? Quid enim est vita mea, nisi perpetua flagitiorum congeries, continentium scelerum catena, vitiorum omnium non interrupta series? Insere ô Domine, diuinis tuis manibus animo meo hanc virtutem, quam inde nunquam vllus insolentiæ flatus euellat, sed altas in eo radices agat, quæ mihi vitæ comes indiuidua certissimaque ductrix adhæreat, ducatque donec ad te humilitatis pennis euectus, æternum tuo conspectu perfruiturus, perueniam. Da mihi ô Domine, cor vera humilitate profundum, quod

tui

tui amoris igne impleas. tibi enim inter mortales nulla ſedes humili anima iucundior, vti etiam nulla ingratior, nulla inuiſior, animo ſuperbo atque inflato. vt veriſſime dictum ſit. Quo quis eſt humilior, eo Deo eſt vicinior: quo ſuo iudicio vilior abiectiorque, hoc Dei iudicio dignior celſiorque. Largire mihi hanc animi demiſſionem, quæ cogitationes meas omnes dicta factaque ſic moderetur, vt ea omnia diuinis tuis oculis ſemper placeant, ac me tandem aliquando ad æternæ gloriæ iucunditatem perducant, Amen.

Oratio de Chriſti Natiuitate.

O Felicem noctem omni luci lucidiorem! ô noctem omni die clariorem, ſole ipſo fulgidiorem! O Bethleem animæ meæ ſolatium! ô præſepe deliciæ meæ! ô fœnum! ô palea plena diuinæ voluptatis! ô ſtabulum cœleſtis gaudii officina! O diues matris ſinus, Deo plene, infinito bono referte, immenſis cæli theſauris cumulate! O virginea vbera diuino rore turgida! O amabile collum ex quo omnes cæli opes pendent! O beatiſſimum os! ô felicia labra! ô diuina lumina! O brachia! ô manus exquiſitiſſimis opibus graues! Quis mihi donet vt præſepe hoc, primas Chriſti cuas, blanda agi-

da agitatione motem; vt fœnum hoc stramenque excutiam & digeram, vt stabulum hoc amoris lachrymis eluam, vt Bethleem vndique sanguine ex intimis cordis fibris amoris vi expresso depingam atque exornem? vt pro vili palea cor meum hisce cunis insternam, vt in eo membra diuini infantis mollius calidiusque foueantur. Vt dulces pannos ac linteola aquis ex oculorum fontibus haustis eluam, vt osculis exsiccem? O noctem amabilem! noctem ceteris omnibus temporibus excellentiorem! quoties modo vt iterum dum viuo, otiare exopto! aut vixisse me dum in tuis tenebris lux illa increata oriretur voueo. O vtinam occidisses nunquam, ô noctium iucundissima, liceretq; mihi lumen illud diuinum in tua vmbra semel natum sempiterno cultu venerari. O felix stabulum, quoties te atq; in te diuinum tuum hospitem quærerem! ô si te vspiam inueniam, non tibi cælos præoptem, tu enim quamdiu amplexu tuo puerum Deum contines, animæ meæ es cælum deliciosissimum: vtinam in hoc stabulo perpetuo seruiam! vtinam in eo tamquam præsepe consistam, vtinam artus mei omnes pro pannis ac fasciis puerum tegant, vtinam pro fœno ac palea ei substernar, calorem q; ei inhalem! vtinam liceat mihi matrem

iumentorum vice pascere! ô si detur puerum vlnis amplecti ac stringere! O felicem horam! ô diem beatum! noctem faustissimam! nullas præterea voluptates, nullas delicias exoptem. Valete cæli, omnesque cælorum iucunditates, valete sancti, valete angeli. Bethleem elegi, hoc mihi cælorum cælum, hic omnium mihi amœnitatum amœnitas maxima. Quis mihi tam beatam horam donet? quis mihi in sinum puerum hunc æthereum ingerat, diu nissimũ hunc solem, cælestem hunc panem, hoc Verbum æternum, hunc suauissimum rorem, hoc summum cælorum delicium. Quid enim cælum est, si hic inde absit? & vbicumque ille fuerit cur ibi non sit cælum? ipse enim solus est animæ cælum. O animam beatissimam cui puerum hunc amplecti, pedes eius ac manus castis osculis suauiari licet, cui amabilem illam faciem contemplari, suauissimas genas contrectare, diuina illa labella osculari conceditur. Osculare me, ô sponse animæ meæ osculo tuæ misericordiæ, irriga miseram animam meam cælestibus tuæ dulcedinis fontibus, asperge eam rore cælestium voluptatum: immerge eam iucundissimo æternorum gaudiorum oceano, Amen.

Ora-

Orationes ad fructuose passionis Dominicæ mysteria recolenda.

I.
De Christi oratione in monte Oliueti.

QVid cessatis oculi mei? fundite in hoc monte fontium instar riuos lachrymarum. vbi venæ meæ? tamquam flumina hunc hortum irrigate. vbi cæli, eorumque lamenta, & planctus, cum in hac nocte Sol ille splendidissimus tam horrenda caligine offuscatur? vbi Angeli? vbi eorum in hoc Dei sui luctu, lachrymæ? vbi sanguis, cum Dominum suum proprio sanguine madentem conspiciunt? vbi hominum omnium tristitia & mœror? Quid creaturarum omniū suspiria & gemitus in hac tanta creatoris sui calamitate conticescunt? Deus pauet ac trepidat imminentium cruciatuum ac mortis prouisione exanimatus: & nos vix meminisse dignamur, quam patum à morte & fortassis etiam ab inferno distemus. Deus noster humi iacet mortis exspectatione prostratus, & nos omnem æternorum suppliciorum recordationem, quantū possumus à nobis excutimus, quę tamen

V 2 longe

longe forsan propius quam arbitramur securis impendent. En Christus Deus noster in lachrymis nimia animi anxietate ex oculis protumpentibus natat, & nos in deliciis voluptatibusq; lasciuiētes natamus, qui tamen incerti sumus vniusne adhuc horulæ spatium nobis ad viuendum supersit. Iacet Deus noster sanguineo sudore diffluens, quem instantium suppliciorum horror toto corpore expressit: nos nec mortem horremus, nec paratas nobis inferorum flammas expauescimus. Volutatur ille in suo sanguine, quem imminentium sibi dolorum, nostræque ingratitudinis meditatio elicuit; & nos in libidinibus nostris immundique deliciis volutamur, parum cogitantes quam acerbis suppliciis fortasse ea ipsa hora futiles illæ voluptates nobis erunt compensandæ. Deus terram irrorat atque humectat fœcundissimo sanguinis sui fonte, quod videat nullis lachrymarum suarum imbribus, nullis sanguinis sui riuis dura ac saxea corda nostra molliri. nos vitā nostram omni iucunditate cumulamus, animumque nostrum quantum possumus voluptatum melle potamus, nec minimum immitem illam breui contra nos à Deo pronunciandam sententiā formidamus. Christus orationem pro nostra incolumitate institutam

in

Google

in longum producit; nobis omnis hora precibus impendenda nimis est prolixa: omne vero tempus epulis mensisq; insumendum quantumcumque prolixum, angustum est ac breue. omnes sensuum cupiditatibus coercendis præstitutos dies longos ac immensos querimur: lętitię vero ac hilaritatis tempora exigua & fugacia iudicamus. dies pœnitentiæ ac mœroris stare putamus aut repere: voluptatis vero celerrimo impetu currere aut volare. grauis nobis omnis ad beatitudinem consequendam videtur labor, sempiternos vero in continuis ignibus labores non expendimus. piget ad ęternę gloriæ lauream promerendam sudare: nec tamen molestum est aut durum quasuis asperitates, difficultates, incommoda sustinere, ad fallaces opes, dignitates, delicias comparandas, etsi non ignoremus harum plerumque exigui temporis fructum sempiternis breui miseriis redimendum. O Domine Deus meus quis ad deflendam improuidam hanc mortalium vecordiam oculorum meorum cataractas, venarumque scaturigines laxabit, vt hisce doloris mei fontibus. pedes tuos lauem, ad testificandum mei in te amoris ardorem? quis mihi dabit vt natem in diuino hoc balneo è tuis lachrymis, sudore ac sanguine temperato,

vt meæ omnes lachrymæ, sudor ac sanguis diuino huic liquori permisceantur? efficiaturque è diuinis tuis meisque peccatricibus lachrymis, sanguine ac sudore balneum, in quo anima mea dolore saucia, amore torrida foueatur ac recreetur? Succende in oratione mea cor meum, inflamma animum meum amoris tui ignibus; vt prius quam nouam tibi lachrymandi, sudandi ac sanguinis profundēdi causam dem, mille mortes, mille cruciatus, imo inferorum incendia subeam, potiusque totus in lachrymas dissoluar, in sudorem diffluam, in minutissimum puluerem comminuar, quam te iterum cogam tam acerbas sanguine permixtas lachrymas profundere. Emolli obduratum hoc pectus: mitiga adamante duriorem animam meam diuino hoc sanguine tantā copia pro me profuso, vt in hac vita nihil aliud cupiam, nihil quæram quam tibi placere, ac infinitæ maiestatis tuæ dignitatem vera scelerum meorum detestatione, assiduoque virtutum studio profiteri & venerari, Amen.

II.

De comprehensione Christi, flagellatione, ac coronatione.

O Immensa Dei bonitas! O misericordia in-

Digitized by Google

dia infinita! Quorſum hi funes & vincula? ô immites funes, crudelia vincula! nulli fures, nulli ſicarii tam crudeliter adſtringuntur. Quomodo hic iacet humi proſtratus, pedibus obtritus, ſputis fœdatus tanquam mortalium ſceleſtiſſimus, catenis conſtrictus, qui verbo cœlos ac terram condidit, hominem ad ſuam imaginem figurauit! omnium hic plantis quaſi terræ vermiculus obteritur, qui aliquando hominum omnium angelorumque iudex eſt futurus; & hoc propter me. Peccata mea, ô Domine, te constrinxere, conculcauere, conſpuere. Quo me vertam Domine? quid conſilii capiam? Ego funium nexus, catenas, ferreas compedes merui; & tu pro me iis arctaris, nec adhuc tamen hæc ferreum animum meum emolliunt, nec vehementiſſimam tuam in me charitatem extinguunt? Tu deſpicatui haberis, illuderis, verberibus multaris, veſtibus nudaris, qui terræ campos ſuo gramine veſtis, cælos ſtellis illuſtras. Tu ad columnam alligaris, flagris miſerandum in modum laniaris, virgarum ſpinis, flagellorum vncinis, ſcorpionum aculeis diſcerperis. Tune hic es ô Deus meus? an vero diris omnibus deuota victima? nulla eſt in te hominis ſpecies aut ſimilitudo; ſed pecudis magis miſerandū in modum luporum den-

tibus dilaniatæ. Intuere ô anima mea Deum tuum: superest vspiam in toto corpore nouo vulneri locus? an vt plura adhuc infligantur verbera exspectas? quid hæres? en iterum nouo tibi sanguine è diuino corpore balneum tepet. Circumspice parietes vndique sanguinis aspergine variegatos: pauimentum sanguine perfusum: lictores sanguineo rore madētes, solum carnis frustis, flagrorum aculeis è corpore discerptis stratum, artus omnes flagrorum vibicibus sulcati, ossa multis locis plagarum hiatu nudata. & hæc ô anima mea pro tuis in Deum sceleribus perpetratis Christus patitur. Quid ergo tibi exspectandum, nisi tempus ad criminum expiationem à Deo concessum voluntariis suppliciis illud ocissime impenderis? Quæ te flagra, quæ verbera in æternis ignibus manent? vbi tuæ cruori permixtæ lachrymæ? vbi sanguinei imbres? quantum verbera exhorrescis, quæ tamen tot sceleribus contaminata es? quam operose supplicia omnia subterfugis, quæ ad omnes libidinum sensus es propensissima. Castiga me hic, ô Domine, vt in altera vita mihi parcas. Coge me hic ad lachrymas, inflige verbera, sanguine hic meo culpas eluam. Ego enim sum illa peccatrix anima, tu agnus innocentissimus. Ego, ego sum

Digitized by Google

ſum qui commerui, & tu ſupplicijs excruciaris. Quid contaminatum ſceleribus ſanguinem meũ, quid peccatrices lachrymas, fugacibus voluptatibus ſeruo? cũ innocentes Chriſti lachrymæ, innoxius inſontis agni ſanguis inſtar fluminis per humũ fluitet, vt me ab æternę mortis damnatione eripiat? Sed nondũ hic ſtat charitatis impetus: Caput ſupereſt nullis adhuc plagis ſauciũ, huic aculeatis contextum ſpinis ſertũ plectitur. Conſidera ô anima mea regem tuum truci diademate redimitum, ſpinis coronatum, veprium aculeis compunctum, confixum, laniatum. Contemplare miſerandam hanc regis tui ſpeciem, & ſi quis in te humanitatis eſt ſenſus, ad commiſerationem te concitet tanti Saluatoris tui cruciatus, niſi enim ſaxo ſis aut ferro rigidior, miteſcet tanta pœnarum aſperitate ſaxeum ferreumq; cor tuum. Immo quamuis adamante ſis durior, tanti tamen ſanguinis aſpergine adamantinum pectus poterit mollescere. Ego tamen, proh dolor? necdum in lachrymas prorumpo, necdum ſanguine madeo, necdum flagra, vulnera, ſpineas coronas appeto; ſed heu contra, mollia conſector, ad delicias, ad voluptates, per noua quotidie ſcelera, quæ tibi ô Deus meus acerbiſſima hęc flagra, & horribilem coronã intulere, pro-

tuo. Quid heu dicam, cum dies illa iudicii, dies seueritatis ac rigoris illuxerit, nisi tu me modo, dum veniæ spes superest, misericordiæ tuæ ope adiuueris. Da mihi ergo Domine vberem maris instar lachrymarum copiam, quibus peccata mea immergam, contaminatam animam eluam, nefarium cor expurgem, omniaque mea integre emundem: vt pretiosissimo sanguinis tui & lachrymarum balneo recreatus, purum me deinceps ac mundum ab omni peccatorum labe seruare possim. Amen.

III.

De Christi Cruce.

VBi es ô anima mea? vbi latitas, contemplare regem tuum redimitum diademate suo, sceptro suo insignem, purpura proprio sanguine tincta vestitum, quam induit ei nouerca synagoga in die desponsationis suæ. considera quam splendido cultu, tot vulneribus secto, tanto sudore, sanguine, lachrymis, sputis, distincto niteat. Estne in cælis quippiam aut in terra Dei sanguine & lachrymis pretiosius? maiusque vspiam ac diutius diuini in nos amoris pignus reperiri potest? estne toto orbe quidquam hoc liquore excellentius, quidquam nobilius? Intuere quanta caritate diram illam crucem

Digitized by Google

baiulat: & quis præter ipsum hanc ferat? Crux enim scelerum nostrorum est symbolum: quis eam ferat præter hunc solum reconciliatorem nostrum, vindicem nostrum, qui pro debitis nostris Deo tam cumulate satisfecit? Cui simile vnquam spectaculum videre contigit? Deus mundi fabricator, pedibus obtritus, flagris concisus, spinis compunctus, morti addictus, suæ crucis pondere grauatus ad supplicium raptatur. Si in viridi ligno huiusmodi fiant, in arido atque exsucco quid fiet? Si scelera mea tam immaniter innocentis suppliciis puniantur, quid mihi fiet, qui ipse propriis sum sceleribus nocentissimus? Et si ne innocentis quidem sanguini parcatur, vt pro flagitiis meis satisfiat, quam rigida à me flagitiorum meorum supplicia exigentur? Si dum pro sontibus insons plectitur, pœnæ pœnis accumulentur, quid sceleratæ animæ meæ fiet, cum dies seuerissimæ vindictæ aduenerit. Considera hic anima mea Deum tuum sub graui criminum tuorum pondere sudantem, incurere vt ad terram fasce delictorum tuorum deprimatur. vbi humanitatis tuæ sensus? vbi commiserationis affectus? Deus verberibus contusus, flagris laniatus, grauissimæ cruci succumbit: & tu quotidie huic eius molestissimæ sarcinæ nouorum

ſcelerum onera ſuperaddis. Si alienum iumentum in ſuo ſanguine volutari conſpiceres, an non parcendum commiſeratio ſuaderet? aut tanta tua eſſet inhumanitas ac feritas, vt quadrupedi oneribus prægrauato, vix ſpiritum ducenti atque in ſuo ſanguine palpitanti, nouas ſarcinas ſuperiniiceres? Multo ſane immanior tua eſt crudelitas, ô anima mea, cum Deo tuo ſub vaſta cruce gementi, lachrymis te ad commiſerationem inuitanti, vulneribus confecto, ſuo ſanguine madenti, nouas adhuc ſcelerum tuorum, quæ quotidie admittis, ſarcinas perferendas ſuperadiicis. Quæ tibi, cum coram hoc ipſo Deo tuo iudicanda ſteteris, ſententia pro barbara hac crudelitate tua, exſpectanda?

Porro poſt tantam huius ad Caluariæ montem profectionis aſperitatem, nõdum tamen aut Iudæorum rabiem ſatiatam, aut animæ meæ inhumanitatem inflexam, aut Chriſti caritatem fatiſcentem video. Deerant adhuc manibus pedibuſque clauorum vulnera, quibus Pater meus, Iudex & Deus meus cruci affigeretur. O crudelitatem omni feritate crudeliorẽ! vidiſtine vnquam, ô anima mea, feram aliquam tam truculenter clauis confixam ſuſpenſamque? & hoc tua ſcelera fecere. Exhorreſcis has clauorum

rum plagas? exhorrefce potius flagitia tua, quæ veri immitefq; claui funt, quibus multo afperius Deus tuus cruci affigitur. Si quifpiam proprium parentem verberibus multaffet, flagris concidiffet, cruci clauis affixiffet, necaffetque, quæ fupplicia qui ignes huic parricidæ puniendo fufficerent? Quid ergo me fiet, qui meis peccatis reuera optimum benigniffimumq; parentem, futurum meum iudicem, Dominũ ac regem meum, vnicum Dei filium, Deum ipfum conuulneraui, concidi, clauis cruci fuffixi? atque idipfum quotidie, quantum in me eft, iterum vt faciam laboro: ita vt animæ meæ crudelitas vnica Chrifti morte, vnica cruce fatiari non poffe videatur. nam quoties mortifero piaculo Deum laceffo, an non Deo noua flagella, noua vulnera, nouos clauos, crucefque fabricor? & fine multo magis Deus nefarias has molitiones meas exhorrefcit, quam trabalẽ illam crucem, clauos ferreos aut fpineam coronam. Multo ille libentius omnes verberationes, omnia vulnera corpore excepit, quam vel vnico flagitio diuinam maieftatem contemni videat. Quid ergo Deo in vitam meam inquirenti refpondebo, qui quotidie prioribus culpis nouas fuperaddo? cuius mifericordiam mihi polliceri poffum? Quam immitis

mitis mihi ab eo sententia exspectanda? quam triste iudicium, qui tam inhumanus, tam dirus, tam truculentus in patrem, in iudicem, in Deum fuisse conuincar? Heu me quid agam, quo me conuertam, quo fugiam, nisi ad te Domine, ad hæc tua verbera, clauos, vulnera: in his solis mea omnis posita est fiducia. Omni alio sum præsidio destitutus: anima mea tantis rea criminibus sibi ipsa diffidit: tu solus vnum mihi perfugium, vna spes superes, quem etsi toties à me contemptum, vulneratum, clauis confixum meminerim, scio tamen miserationes tuas longe facinorum meorum grauitati præponderare. Sis ergo mihi propitius Domine, qui te toties tam inhumaniter, tam barbare tractaui: doce me seruire tibi, te sequi, scelera euitare, tua flagella, tua vulnera, tuos clauos, crucem tuam quotidie grata mœstaque memoria recogitare, intimoque pectori inclusa circumferre. Hic me cæde, clauis confige, ad crucem adige ô Domine Deus meus, vt post hanc vitam, verberum tuorum, crucis ac vulnerum merito, in beata æternitate sempiternis gaudiis fruar, quæ nobis tuis vulneribus, tuis doloribus, tua morte in cruce promeruisti, Amen.

De

IV.

De quinque Christi vulneribus eiusque siti in cruce.

VBi delitescis, ô anima mea? conuerte oculos tuos in hanc crucem tam splendide vestitam, tam alte erectam, tam nitide mundatam exornatamque, purpura sanguinis vnigeniti Filii Dei rubentem. O thesaurorum opulentissime, vbi sunt tui amatores? nullis hic ostiis, nullis fenestris clauderis ingredere ô anima mea diuinum hoc gazophylacium, en portæ patent, custodiæ aufugere, arma iacent, propugnacula disiecta sunt, claustra ac seræ comminuta. Ingredere anima mea, reserata sunt ostia, aditus nullis excubiis, nullis hostibus obsidetur. Ingredere intrepide, ingredere, aberrare nusquam potes: constitue hic habitationem tuam, perfugium ac præsidium salutis tuæ, nulla hic te clades opprimere, nulli hostes expugnare, nulla arma perturbare, nullius potentia nocere potest: hic portum ab omni tempestate remotum, nullis ventorum procellis obnoxium nacta es. Conquiesce hic, ô anima mea, atque omnes impugnantium conatus ride: ede, hic bibe, somnum cape, tutissimam stationem inuenisti; sanguis hic te pascet, sanguis

guis sitim restinguet, quantumcumque esurias aut sitias comede, famem tuam exsatia; bibe, sitim exple, en mensæ hic adornatæ, cellæ vinariæ apertæ, nullus arcet, nihil excludit. Quod si te hic pastus nō satiet, quis te cibus satiabit? si liquor hic sitim tuā non restinguat, nulla potio illam restinguet. Si te peccatis prægrauatam sentis? abiice te ad hanc crucem, hic enim lassis quiescendi locus suauissimus. Sordibus te coinquinatam vides? abiice te in sanguineum hoc balneum, nullæ te aquæ nitidius eluent. Valetudinem tuam variis morbis affectam doloribusque confectam luges? hic præsentissima remedia, medicamenta potentissima. Paupertate atque inopia premeris? hic copiosissimi thesauri tibi aperti sunt. elige quid desideres, nullum argentum nullum aurum, nullæ gemmæ, vniones, monilia cum his opibus conferri possunt, quæ tibi hic tam copiose offeruntur. Et ne metu aut pudore quantum libuerit accipere vereatis, ipse horum omnium bonorum Dominus contenta voce clamat. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* quicumque esuritis, sititis, languetis, inopia conflictamini, venite, singulis cumulate prospiciam. Cumque adueniat tam paucos hac sua inuitatione ad se accur-

Mat. 11.

accurrere, altiore voce in summis doloribus constitutus exclamat, *Sitio*: indicans non minus se auide cupere, famelicis, sitientibus, pauperibus, infirmis, oppressis, singulis pro sua indigentia subuenire quam homo siti exhaustus potum appetat. O benignissimam sitim! ô sitim misericordem! ô beatam sitim! sitim animatum! sitim virtutum! sitim meæ beatitudinis! vere ardenti siti æstuabat, qui vt sitim nostram depelleret, tot lachrymas fudit, tam multa verbera, tam dira vulnera, tam crudelem coronam, tam immites clauos corpore suo excepit: quibus tamen omnibus necdum ea restincta fuit. cupidissime enim ardebat longe grauiora asperioraque (si fieri potuisset) ad hanc sitim satiandam sustinere. Vbi mea tam ardens sitis? Quid tam auide fames mea concupiscit? alimentum mortalis huius corporis, quod breui post est interiturum. Quid sitis mea? corporis quod tam cito euanescet, modico humore instaurationem. hoc enim omnes meæ cogitationes, hoc curæ omnes spectant vt corpus hoc esca vermium commode lauteque habeatur. Deus meus fame & siti salutis meæ emoritur, & heu, postrema mihi est de animæ salute cogitatio. O Deus meus quis in me salubrem hanc sitim excitabit, quam

ex hac

ex hac cruce, ex his clauis, ex hisce vulneribus tamquam è cælestium doliorum epistomiis è cella penaria omni penu cælesti redundanti expleam? Satia animam meam hac fame, hac siti, ô Domine Deus meus, ne deinceps alium cibum appetam, aliamue potionem sitiam, præter hunc animarum cibum potumque: reple esurientem meam hoc pastu, restingue sitim meam hoc potu, qui est vnicus, perpetuus, idemque iucundissimus beatorum mentium in felici æternitate cibus ac potus, Amen.

V.

In hac verba:

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? *Matth.* 27.

AVsculta, ô anima mea, terribilem illum è summa cruce tubæ clangorem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* ô tristia verba! ô vocem horribilem auditu! veram tamen, quia qui eam profert mentiri non potest. Cælestis pater, qui est ipsa misericordia & benignitas, vnigenitum filium suum sine solatio, sine leuamine in tantis doloribus destituit. An non vere desertus destitutusque est quem cuncti mortales deserunt, immo quem omnes ad mortem postulant? Inspice manus eius ac pedes

pedes tam immaniter clauis transfixos, intuere sacrum verticem tam crudeliter spinis laceratum punctumque, contemplare totum corpus instar nerui in arcu contentum, considera totam carnem laniatam, concisam, vixque vsquam inter plagas sibi cohærentem. Percurre oculis costas carne nudatas, vulnera sine numero, intelliges amorem non habere modum. intuere sanguinem è venis, tamquam è fontibus salientē, ac riuulorum instar per membra fluentem. Nusquam illi locus est vbi caput reclinet: potum ad sitim leuandam impetrare non potest; commiserantem neminem nec in cælis, nec in terris inuenit, nullum vsquam auxilium, nullum consolatorium verbum, nullum compatientis oculum reperit. Non is vere ab omnibus derelictus desertusque est, qui his omnibus est destitutus? Quomodo tu te, ô anima mea, in leuibus tuis ærumnis affectam experiris? quam cito in querelas prorumpis quam leuiter animum despondes. Exilis aduersitas, verbum asperius, leuis contumelia te prope exanimat atque interimit. hæc enim quamuis leuissime perstricta, continuo animi tranquillitate deiiceris, mentis hilaritas indignatione, suspicionis cogitationibus, curis, metu, anxietate conuellitur:

tuo. Quid heu dicam, cum dies illa iudicii, dies seueritatis ac rigoris illuxerit, nisi tu me modo, dum veniæ spes superest, misericordiæ tuæ ope adiuueris. Da mihi ergo, Domine vberem maris instar lachrymarum copiam, quibus peccata mea immergam, contaminatam animam eluam, nefarium cor expurgem, omniaque mea integre emundem: vt pretiosissimo sanguinis tui & lachrymarum balneo recreatus, purum me deinceps ac mundum ab omni peccatorum labe seruare possim. Amen.

III.

De Christi Cruce.

VBi es ô anima mea? vbi latitas, contemplare regem tuum redimitum diademate suo, sceptro suo insignem, purpura proprio sanguine tincta vestitum, quam induit ei nouerca synagoga in die desponsationis suæ. considera quam splendido cultu, tot vulneribus secto, tanto sudore, sanguine, lachrymis, sputis, distincto niteat. Estne in cælis quippiam aut in terra Dei sanguine & lachrymis pretiosius? maiusque vspiam ac diutius diuini in nos amoris pignus reperiri potest? estne toto orbe quidquam hoc liquore excellentius, quidquam nobilius? Intuere quanta caritate diram illam crucem baiulat,

Digitized by Google

baiulat: & quis præter ipsum hanc ferat? Crux enim scelerum nostrorum est symbolum: quis eam ferat præter hunc solum reconciliatorem nostrum, vindicem nostrum, qui pro debitis nostris Deo tam cumulate satisfecit? Cui simile vnquam spectaculum videre contigit? Deus mundi fabricator, pedibus obtritus, flagris concisus, spinis compunctus, morti addictus, suæ crucis pondere grauatus ad supplicium raptatur. Si in viridi ligno huiusmodi fiant, in arido atque exsucco quid fiet? Si scelera mea tam immaniter innocentis suppliciis puniantur; quid mihi fiet, qui ipse propriis sum sceleribus nocentissimus? Et si ne innocentis quidem sanguini parcatur, vt pro flagitiis meis satisfiat, quam rigida à me flagitiorum meorum supplicia exigentur? Si dum pro sontibus insons plectitur, pœnæ pœnis accumulentur, quid sceleratæ animæ meæ fiet, cùm dies seuerissimæ vindictæ aduenerit. Considera hic anima mea Deum tuum sub graui criminum tuorum pondere sudantem, intuere vt ad terram fasce delictorum tuorum deprimatur. vbi humanitatis tuæ sensus? vbi commiserationis affectus? Deus verberibus contusus, flagris laniatus, grauissimæ cruci succumbit: & tu quotidie huic eius molestissimæ sarcinæ nouorum

ſcelerum onera ſuperaddis. Si alienum iumentum in ſuo ſanguine volutari conſpiceres, an non parcendum commiſeratio ſuaderet? aut tanta tua eſſet inhumanitas ac feritas, vt quadrupedi oneribus prægrauato, vix ſpiritum ducenti atque in ſuo ſanguine palpitanti, nouas ſarcinas ſuperiniiceres? Multo ſane immanior tua eſt crudelitas, ô anima mea, cum Deo tuo ſub vaſta cruce gementi, lachrymis te ad commiſerationem inuitanti, vulneribus confecto, ſuo ſanguine madenti, nouas adhuc ſcelerum tuorum, quæ quotidie admittis, ſarcinas perferendas ſuperadiicis. Quæ tibi, cum coram hoc ipſo Deo tuo iudicanda ſteteris, ſententia pro barbara hac crudelitate tua, exſpectanda?

Porro poſt tantam huius ad Caluariæ montem profectionis aſperitatem, nōdum tamen aut Iudæorum rabiem ſatiatam, aut animæ meæ inhumanitatem inflexam, aut Chriſti caritatem fatiſcentem video. Deerant adhuc manibus pedibuſque clauorum vulnera, quibus Pater meus, Iudex & Deus meus cruci affigeretur. O crudelitatem omni feritate crudeliorē! vidiſtine vnquam, ô anima mea, feram aliquam tam truculenter clauis confixam ſuſpenſamque? & hoc tua ſcelera fecere. Exhorreſcis has clauorum,

rum plagas? exhorresce potius flagitia tua, quæ veri immitesq; claui sunt, quibus multo asperius Deus tuus cruci affigitur. Si quispiam proprium parentem verberibus mulctasset, flagris concidisset, cruci clauis affixisset, necassetque, quæ supplicia qui ignes huic parricidæ puniendo sufficerent? Quid ergo me fiet, qui meis peccatis reuera optimum benignissimumq; parentem, futurum meum iudicem, Dominũ ac regem meum, vnicum Dei filium, Deum ipsum conuulneraui, concidi, clauis cruci suffixi? atque idipsum quotidie, quantum in me est, iterum vt faciam laboro: ita vt animæ meæ crudelitas vnica Christi morte, vnica cruce satiari non posse videatur. nam quoties mortifero piaculo Deum lacesso, an non Deo noua flagella, noua vulnera, nouos clauos, crucesque fabricor? & sane multo magis Deus nefarias has molitiones meas exhorrescit, quàm trabalẽ illam crucem, clauos ferreos aut spineam coronam. Multo ille libentius omnes verberationes, omnia vulnera corpore excepit, quam vel vnico flagitio diuinam maiestatem contemni videat. Quid ergo Deo in vitam meam inquirenti respondebo, qui quotidie prioribus culpis nouas superaddo? cuius misericordiam mihi polliceri possum? Quam immitis

mitis mihi ab eo sententia exspectanda? quam triste iudicium, qui tam inhumanus, tam dirus, tam truculentus in patrem, in Iudicem, in Deum fuisse conuincar? Heu me quid agam, quo me conuertam, quo fugiam, nisi ad te Domine, ad hæc tua verbera, clauos, vulnera: in his solis mea omnis posita est fiducia. Omni alio sum præsidio destitutus: anima mea tantis rea criminibus sibi ipsa diffidit: tu solus vnum mihi perfugium, vna spes superes, quem etsi toties à me contemptum, vulneratum, clauis confixum meminerim, scio tamen miserationes tuas longe facinorum meorum grauitati præponderare. Sis ergo mihi propitius Domine, qui te toties tam inhumaniter, tam barbare tractaui: doce me seruire tibi, te sequi, scelera euitare, tua flagella, tua vulnera, tuos clauos, crucem tuam quotidie grata mœstaque memoria recogitare, intimoque pectori inclusa circumferre. Hic me cæde, clauis confige, ad crucem adige ô Domine Deus meus, vt post hanc vitam, verberum tuorum, crucis ac vulnerum merito, in beata æternitate sempiternis gaudiis fruar, quæ nobis tuis vulneribus, tuis doloribus, tua morte in cruce promeruisti. Amen.

De

IV.
De quinque Christi vulneribus eiusque siti in cruce.

VBi delitescis, ô anima mea? conuerte oculos tuos in hanc crucem tam splendide vestitam, tam alte erectam, tam nitide mundatam exornatamque, purpura sanguinis vnigeniti Filii Dei rubentem. O thesaurorum opulentissime, vbi sunt tui amatores? nullis hic ostiis, nullis fenestris clauderis ingredere ô anima mea diuinum hoc gazophylacium, en portæ patent, custodiæ aufugere, arma iacent, propugnacula disiecta sunt, claustra ac seræ comminuta. Ingredere anima mea, reserata sunt ostia, aditus nullis excubiis, nullis hostibus obsidetur. Ingredere intrepide, ingredere, aberrare nusquam potes: constitue hic habitationem tuam, perfugium ac præsidium salutis tuæ, nulla hic te clades opprimere, nulli hostes expugnare, nulla arma perturbare, nullius potentia nocere potest: hic portum ab omni tempestate remotum, nullis ventorum procellis obnoxium nacta es. Conquiesce hic, ô anima mea, atque omnes impugnantium conatus ride: ede, hic bibe, somnum cape, tutissimam stationem inuenisti; sanguis hic te pascet, san-

guis

guis sitim restinguet; quantumcumque esurias aut sitias comede, famem tuam exsatia; bibe, sitim exple, en mensæ hic adornatæ, cellæ vinariæ apertæ, nullus arcet, nihil excludit. Quod si te hic pastus nō satiet, quis te cibus satiabit? si liquor hic sitim tuā non restinguat, nulla potio illam restinguet. Si te peccatis prægrauatam sentis? abiice te ad hanc crucem, hic enim lassis quiescendi locus suauissimus. Sordibus te coinquinatam vides? abiice te in sanguineum hoc balneum, nullæ te aquæ nitidius eluent. Valetudinem tuam variis morbis affectam doloribusque confectam luges? hic præsentissima remedia, medicamenta potentissima. Paupertate atque inopia premeris? hic copiosissimi thesauri tibi aperti sunt, elige quid desideres, nullum argentum nullum aurum, nullæ gemmæ, vniones, monilia cum his opibus conferri possunt, quæ tibi hic tam copiose offeruntur. Et ne metu aut pudore quantum libuerit accipere vereatis, ipse horum omnium bonorum Dominus contenta voce clamat. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* quicumque esuritis, sititis, languetis, inopia conflictamini, venite, singulis cumulate prospiciam. Cumque adueniat tam paucos hac sua inuitatione ad se

Mat. 11.

accur-

accurrere, altiore voce in summis doloribus constitutus exclamat, *Sitio*: indicans non minus se auide cupere, famelicis, sitientibus, pauperibus, infirmis, oppressis, singulis pro sua indigentia subuenire quam homo siti exhaustus potum appetat. O benignissimam sitim! ô sitim misericordem! ô beatam sitim! sitim animarum! sitim virtutum! sitim meæ beatitudinis! vere ardenti siti æstuabat, qui vt sitim nostram depelleret, tot lachrymas fudit, tam multa verbera, tam dira vulnera, tam crudelem coronam, tam immites clauos corpore suo excepit: quibus tamen omnibus necdum ea restincta fuit. cupidissime enim ardebat longe grauiora asperioraque (si fieri potuisset) ad hanc sitim satiandam sustinere. Vbi mea tam ardens sitis? Quid tam auide fames mea concupiscit? alimentum mortalis huius corporis, quod breui post est interiturum. Quid sitis mea? corporis quod tam cito euanescet, modico humore instaurationem. hoc enim omnes meæ cogitationes, hoc curæ omnes spectant vt corpus hoc esca vermium commode lauteque habeatur. Deus meus fame & siti salutis meæ emoritur, & heu, postrema mihi est de animæ salute cogitatio. O Deus meus quis in me salubrem hanc sitim excitabit, quam ex hac

pedes tam immaniter clauis transfixos, intuere sacrum verticem tam crudeliter spinis laceratum punctumque, contemplare totum corpus instar nerui in arcu contentum, considera totam carnem laniatam, concisam, vixque vsquam inter plagas sibi cohærentem. Percurre oculis costas carne nudatas, vulnera sine numero, intelliges amorem non habere modum. intuere sanguinem è venis, tamquam è fontibus salientē, ac riuulorum instar per membra fluentem. Nusquam illi locus est vbi caput reclinet: potum ad sitim leuandam impetrare non potest, commiserantem neminem nec in cælis, nec in terris inuenit, nullum vsquam auxilium, nullum consolatorium verbum, nullum compatientis oculum reperit. Non is vere ab omnibus derelictus desertusque est, qui his omnibus est destitutus? Quomodo tu te, ô anima mea, in leuibus tuis ærumnis affectam experiris? quam cito in querelas prorumpis quam leuiter animum despondes. Exilis aduersitas, verbum asperius, leuis contumelia te prope exanimat atque interimit. hæc enim quamuis leuissime perstricta, continuo animi tranquillitate deiiceris, mentis hilaritas indignatione, suspiciosis cogitationibus, curis, metu, anxietate conuellitur: cum

cum tamen adhuc tantum abſis à plagis, vulneribus, ſpinis, clauis, crucibus. Qua tu vmquam conſtantia ſanguinem profundes? qua promptitudine verbera, clauos, crucem, quæ toties ſcelerum tuorum atrocitate commeritus es ſuſtinebis? nam plagæ, vulnera, ſpinæ, claui, Crucis tormenta; quibus Dominum tuum omni ſolatio deſtitutum excruciari vides, ab eo ad debita tua diſſoluenda, atque ad nefariam vitam tuam, grauiſſimaque peccata punienda tolerantur. horum enim cauſa innocens hic ſanguis tam inhumaniter, tam dire profunditur. hæc ſunt quæ Patris cæleſtis miſericordiam ab vnigenito eius filio auerterunt. hæc ſunt quæ Dei filium in extremam hanc deſtitutionem coniecerunt, Ne me quæſo deſtituas ô benigniſſime Domine in neceſſitate mea. fateor me quidem tuo præſidio ac ſolatio omnino indignum eſſe, qui tibi mea culpa omnem conſolationem in acerbiſſimis cruciatibus conſtituto intercluſerim. Sed tua benignitas infinite iniquitatum mearum grauitatem excedit. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, ſcelerumque meorum ne memineris, quæ in profundum vulnerum tuorum, in pectoris tui hiatum conieci: quæ in pretioſiſſimo ſanguinis tui lauacro laui, quæ lachrymarum

marum tuarum fonte purgaui, quæ sudoris tui purissimo rore dealbaui. Aufer à me quæso Domine quantumuis exiles peccatorum maculas, mentemque meam corrobora, vt tecum, ô consolator animæ meæ, magna voluntate, omnem contemptum, omnem iniuriam, plagis & vulnera perferam; immo vt cum beatis Apostolis tuis omnem contumeliam aduersitatemque læte hilariterque sustineam, Amen.

VI.

In hæc verba.

Hodie mecum eris in Paradiso.

VBi moraris anima mea? numquam est dum viuis, vt ad Deum recurras, serum nimis. Confuge ad expansa hæc in cruce brachia, quæ se vsque ad cælorum altissima terrarumque profundissima extendunt. Si nec in manuum nec in pedum vulneribus locum tibi inuenias, en latus patet. recipe te in hanc caritatis officinam. Quid metuis? quamdiu diuinũ hoc cor illæsum clausumque fuit, cæli obserati clausique mansere; at cum lanceæ cuspis cor hoc aperuit, continuo quoque cæli tibi fuere aperti. cordis huius apertio cælum reserauit, cælorum claues huius cordis theca includebantur. vulnus hoc thesaurum hunc nobis aperuit,

Digitized by Google

ruit, ferasque cælorum comminuit. Sequere tantum, ô anima mea, felicem illum latronem, vitæ tuæ scelera magna animi tristitia ac mœrore confitere, conuertere ad Deum tuum, ad salutarem hanc plagam, ad saucium hoc latus: vt tu quoque audias iucundissimum illud verbum. *Hodie mecum eris in Paradiso.* O bonitas quæ omnem excedis bonitatem! ô misericordia infinita! nulla te lingua eloqui, nulla mens capere vnquam poterit. Deus in suppliciis, iisque omnium acerbissimis destitutus, homini paradisi delicias spondet: è summo dolorum suorum, hominem ad cæli voluptates inuitat: Deus pro peccatis nostris omni cruciatuum diritate obruitur, nos per hos cruciatus omnibus suppliciis, quæ iustissime sceleribus nostris debebantur erepti, ad sempiterna gaudia inuitamur. ô amorem super omnem amorem! quando te tandem fruar? quando animum meum tuis deliciis explebo? quando sitim tuo nectare restinguam? Domine in te solo spes mea omnis ac fiducia, in hac cruce tamquam in solidissima petra collocata est, tuis vulneribus subnixa in cordis tui medio, quo nec cęlo nec terra fundus solidior, inædificata. Hic reperio animam meā mundantes aquas; hic carnem, hic sanguinē animæ

mæ meæ cibum potionemque. Largire mihi hæc Domine salutis meæ præsidia, vt tecum sermone ad Deum Patrem directo dicere audeam: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, cum diuinam eius voluntatem gratia tua adiutus expleuero. Beatum illum qui tecum, & per te dicere potest, Voluntatem tuam Domine executus sum; miserere peccatrici animæ meæ. *In manus tuas commendo spiritum meum*; vbi securior illi portus, vbi tutius perfugium, quam in tua protectione? in tuo præsidio? Beatus ille cui in hoc præsidio commorari concessum fuerit. nulla ei aduersitas obesse, nulli hostes nocere, nulli dæmonum impetus terrere, nulla æternitas contristare, nullæ accusationes perturbare, nulla calamitas, nulla miseria, ac ne mors quidem ipsa formidinem potest incutere. Amen.

VII.

Oratio ad corpus Christi.

TVne hic es, Domine Deus meus? tune in hoc exangui corpore delitescis, tu qui es omnis vitæ vita, & à quo magis omnium vita, quam à sole radii, pendet, quæ mens hoc capere poterit? quo me vertam? qua vita deinceps viuam, vita mea mortis extin-

extincta? tu enim es vita mea, nec alia quam vita tua deinceps viuere desidero, quæ cum mihi in hac cruce erepta sit, vbi aliam qua viuam inueniam? O perplexam ratiocinationem! tu si vitam tuam conseruas, ego in æternum vitæ exors relinquor; & si tu vitam pro me tuam prodigis, quis mihi vitam dabit? Inauditum incomprehensumque ænigma, tu si viuis, moriendum est mihi; moreris, vitæ mihi spes oboritur: absque tua morte, æternum moriar, tu nisi occidas, æternum occidi. Morere ô Domine, vt viuam; & vt tecum viuam: mors enim tua, mea est vita, & vita mea sempiterna. Sed quis cõcipere poterit, te, Deum meum, qui ex nihilo cælum ac terram condidisti, qui omnibus viuentibus vitam infudisti, vt me creaturarum omnim deterrimum ab immortali morte liberares, mori voluisse. Ego peccatorum meorum infinitate mortem sempiternam millies merueram, & te tamen, vt me à morte toties promerita vindices, video morientem: diuinumque corpus tuum in cruce suspensum?

Quis mihi det vt tecum moriar, vt in æternum viuere quoque tecum possim? quis in me vitia omnia deprauatasque cupiditates mori coget, quorum te culpa tam diris suppliciis obiecit? ô fœlicem mortem! quoties

ties pro te vota concepi quod te suspirijs, quot lachrymis à Deo meo postulaui! à quo solo mors hæc omni vita beatior impetrari potest. Beatus ille qui crucem amplexus, in eadem cum Saluatore suo sanguinem profundit, qui ante quam ab ea vel minimum deflectat, vel vitam prodigit, quique constanti animo omnes ingruentium malorum procellas, omnes impugnantium machinationes despiciens, millies mauult vitam exponere, millies si fieri queat mortem oppetere, quam turpi animi imbecillitate à cruce, à laboribus, à cruciatibus profugere. nam illa morte nulla felicior, nulla nobilior, quam quæ Christi imitandi studio in cruciatu, in cruce oppetitur. post talem enim mortem sempiterna vita consequitur, quam sua morte promeritam liberalissime nobis Christus spopondit. O felicem mortem, quæ aditum ad tam beatam vitam animæ recludis! & è diuerso infelicem impiorum vitam, quæ in mortem sempiternam æternum torquendas animas præcipitat! Absit à me infaustum hoc viuere, adsitque contra perpetuo beatissimum illud mori, quod solum vt cum Christo crucifixo omnibus bonis cumulatus æternum viuam, efficere poterit. Morere hic anima mea, nec dies vlla transeat, nulla hora, qua non felici hac morte

 moria-

moriare. vt nulla tibi hora sine premij merito elabatur. morere in fugaci breuissimaque hac vita futilibus delicijs, vt te Deus in æterna constantibus, & nunquam defluentibus gaudijs remuneretur. morere omnibus quæ corpori ac sensibus blandiuntur, risibus, iocis, epulis, luxui vestium, honoribus, diuitijs, vt his mortua cum IESV tuo crucifixo ad sempiternæ hilaritatis, gaudij, honoris, gloriæ interminatam possessionem peruenire merearis. Intuere quoque anima mea in omnibus tentationum incursibus hoc Dominini Dei tui corpus emortuũ: & cum in te nefariæ libidinum cogitationes impetum facient, defige mentis oculos in gelidum hoc Christi IESV crucifixi cadauer, recordare mortem ab eo tam acerbam pro tuis esse peccatis susceptam? teque singulis piaculis conari iterum quantum in te est, Deo ac Patri tuo mortem machinari. Quapropter considera quoties te sensuum illecebris in peccatum pertrahi sinis, quid tibi exspectandum maneat, qui quantum per te potes, iterum Deo ac Patri tuo vitam eripere conaris, in cuius olim morte cælum ac terra tremuerunt, sol ac luna lucem mundo subtraxerunt omniaque elementa stupore defixa trepidarunt: & morere deinceps millies potius, quam vel ad vnum te flagi-

flagitium petrahi patiaris, cuius tibi noxa sit æterno exitio, vitæque beatæ ac sempiternæ iactura, expianda. Quod vt præstem, ô Domine, exhibe mihi misericordem manum tuam, omniaque à me peccata propelle, atque omnes eo inuitantes occasiones auerte, vt benigno gratiæ tuæ fauore confirmatus, milles prius vitam profundam, quam te vel leuissimo piaculo offendam, immo minus inferorum incendia, quam iustam tuam iram perhorrescam, ita vt prius mea sponte in profundissimam inferorum voraginem insiliam, quam sciens & prudens vllo me scelere obstringam. Quid enim nocere mihi possunt omnia inferorum tormenta, si peccato caream? vbi peccatum nullum est, ibi tu es Domine: & vbicumque tu existis, ibi cælum esse necesse est. Ita vt melius mihi esse credam tecum sine scelere in inferorum ignibus existere, quam sine te, peccatis obnoxium omni voluptate circumfluere. Doce me ô Domine, hic tecum feliciter mori, vt totus mundo mortuus, omnique fluxarum rerum sensu amisso, sempiternam tecum in cælis vitam viuere merear,

Amen.

das perferēdaſque animer atque confirmer: quandoquidem te videam tam cupide, tam ardenter, tamquam noſtræ reconciliationis ferculum à Deo Saluatore noſtro quæſitam, apprehenſam complexamque fuiſſe. reple memoriam meam continenti tua recordatione, vt animo meo ſemper obuerſere, vt nulla niſi de te mentem cogitatio occupet, nulla extra te deſideria rapiant, nulla me verba, nulla facta niſi tua nota inſignita diſtineant. Nam cui tu ſemper in oculis es, cui ſemper animo obuerſaris, quid huic obeſſe, quid nocere poteſt? quæ illum impugnationes, quæ cupiditates à recto abſtrahent? quæ vis, quæ poteſtas proſternet? quæ voluptatum, quæ diuitiarum illecebræ inflectent? Ex te pendet omnis iucunditas, omnes cœlorum theſauri in te ſunt reconditi, cum quibus vitæ huius opes collatæ, rerum potius vmbræ, & mera paupertas dicendæ ſunt quam vt verorum bonorum aut felicitatis nomen mereantur. Largire mihi cæleſtes hos theſauros, & extingue in me omnes rerum perituarum cupiditates. Accende in animo meo ardens deſiderium tecum hic viuendi, tecumque moriendi; vt poſt hanc vitam in ſempiternis cœlorum gaudijs tecum ó Domine Deus meus, in æternum immortali vita perfruar. Amen.

ASPIRATIONES VIRTVTIBVS COMPARANDIS ACCOMMODATÆ.

Psalm. 9. DEsiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Psalm. 12. *Illumina* (ô Domine) *oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.*

Psal. 15. (Domine) *notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cũ vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem.*

Prouidebam Dominũ in conspectu meo semper: quoniã à dextris est mihi ne cõmouear.

Psal. 17. *Tu* (Domine) *populum humilẽ saluũ facies: & oculos superborũ humiliabis.*

Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum; protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Psal. 18. *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

Psal. 24. *Ad te Domine leuaui animam meã Deus meus in te confido, non erubescam.*

Psal. 26.

Psal. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?*

Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Psal 27. *Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ & rege eos, & extolle illos vsque in æternum.*

Dominus adiutor meus & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.

Psal. 29. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: & circumdedisti me lætitia.*

Psal 32. *Beata gens cuius est Dominus Deus: eius populus quem elegit in hereditatē sibi.*

Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor & protector noster est.

Psal. 33. *Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.*

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.

Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.

Psal. 34. (Dominus) *eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.*

Psal. 36. *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.*

Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panē.

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

Psalm. 41. *Quare oblitus es mei? & quare cōtristatus incedo, dū affligit me inimicus?*

Dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Psal. 45, *Deus noster, refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Propterea non timebimus dū turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Psal. 51. *Ego autem, sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei*

in

in æternum, & in sæculum sæculi.

Psal. 54. *Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.*

Psal. 58. (Domine) *factus es susceptor meus & refugium meum, in die tribulationis meæ.*

Psal. 60. *Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis à facie inimici.*

Psal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum.*

In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est.

Psal. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, & non sum deceptus.*

Psal. 79. *Deus virtutum conuertere: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.*

Psal. 85. *Misericordia tua* (Domine) *magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.

Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Psal. 117. *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.*

Psal. 124. *Non relinquet Dominus virgam*

peccatorum, super sortem iustorum; vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Psal. 142. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te* (Deus meus) *leuaui animam meam.*

Psal. 143. (Deus) *misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus & liberator meus* (est Deus meus.)

Psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos.*

Psal. 145. *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.*

Psal. 146. *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.*

MEDITATIONES AD DEI AMOREM EXCITANTES, IN QVATVOR HEBDOMADAS DISTRIBVTÆ.

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

De Christi in limbum descensu.

Considera 1. locum hunc subterraneum, quo tamquam obscurissimo carcere conclusæ beatæ illæ animæ liberatorem suum exspectabant, vt ab eo tandem longæ captiuitatis, diuturniq; exilij vinculis solutæ, in cælestem patriã inducerẽtur. attẽde

horum gemitus, suspiria, preces & vota. Tum aduerte momento temporis locum hunc teterrimum iucundissima luce compleri, atque intrante in eum gloriosissima Christi anima diuinitatis radijs coronata, expulsa longæ noctis caligine, diem serenissimum illucescere. Pete vt diuinus hic sol lucis suæ radijs cor tuum feriat, mentem collustret, voluntatem amoris sui igne succendat. Pete vt te quoque è calamitoso corporis tui carcere liberet, quod toties animam ad cælestia anhelantem coercet, atque non raro in discrimen adducit, ne è mortali hoc carcere ad æternum supplicium extrahatur.

II. Considera vehementem Christi in suos amorem, qui peracto redemptionis humanæ opere, non patitur amicos suos diu eius fructu carere, vix enim anima corpore excesserat, cum continuo in ima terræ celerrimo lapsu penetrans, ipsa per se lætissimum partæ libertatis nuncium detulit: obserua cum insigni hac Christi caritate coniunctam & regiam humilitatem, quæ gloriosissimum cæli terræque Dominum, parta tam illustri victoria, ad infima mundi loca cogit descendere. en vt nullam patiatur moram, sed statim morte obita in caliginosam inferorum specum descendat, vt

cam

eam ſua præſentia iucundiſſima luce compleat. Ex quo diſce nunquam ab eo ſine ſolatio deſtitui, qui conſtanter aduentum eius exſpectant, licet enim diutius ſubinde quam amantis animæ deſideria ſperarant, conſolationem ſuam differre videatur tempori tamen ſemper, & cum animæ vtiliſſimum iudicarit eam impertiri ſolet. nihil enim aliud in hac conſolationis ſuæ procraſtinatione ſpectat, quam vt in nobis eius deſiderium magis accendatur.

III. Conſidera gaudium ſanctorum Patrum, viſo Chriſto Saluatore ſuo, cuius aduentum plerique eorum tanto tempore exſpectarant. Intuere primos humani generis parentes, ſanctos Patriarchas, Prophetas Martyres, Virgines, innocentium puerorum gregem, atque in ſingulis peculiaria ac propria ingentis lætitiæ indicia obſerua. conſidera vt ſinguli magna veneratione atque hilaritate Dominum ſuum tam inſigni victoria potitum ſalutent, vt ſinguli pro feliciſſima hac ſua liberatione tanto tempore à ſe exſpectata, tot precibus, tot ſuſpirijs, tot lachrymis deſiderata, liberatori ſuo ſibi que inter ſe gratulentur. Expende admirabilem harum animarum lætitiam, cuius ſuauitate inebriatæ, omnis prioris miſeriæ acerbitate abſterſa, ſeſe præ gaudij magnitudine non capiunt.

capiunt. audi vt locum omnem diuinis laudibus, mutua congratulatione, gratiarum actione admirationis ac gaudij vocibus impleant. Considera etiam gaudium animæ Christi, visis tam copiosis passionis suæ fructibus, quorum conspectus iucundissimam ei priorum cruciatuum recordationem efficiebat.

Exspecta tu quoque similem lætitiam, sed non nisi post labores ac malorum tolerantiam. Coniunge te, cum felicissimo hoc beatarum animarum agmine, atque cum ijs è conspectu glorissimæ animæ Christi, quam potest, maximam diuinæ lætitiæ suauitatem hauri. Hæc tibi versetur ante oculos quoties te aut laboribus fatigari, aut mœrore opprimi, aut mentis aciem obscurari senseris. ab hac enim continuo animæ lumen, gaudium, vigoremque affundi senties.

IV Considera quoque gaudium eorum qui in igne purgatorio, temporarijs adhuc supplicijs obnoxij tenebantur, cum audiuere lætissimum de aduentu Saluatoris sui nuncium. valde enim credibile est, à Christo etiam omnes eas animas quæ tum ibi expiabantur, singulari beneficio è tormentis eductas fuisse. Perpende admirabilem harum lætitiam quam in tam repentina mutatione

tatione fenfere, cum è tam atrocibus fupplicijs ad Dei Saluatoris fui confpectum, atque ad cæleftium gaudiorum iucunditatem tam fubito fe tranflatas viderent. Tanto enim ijs huius gaudij fenfum fuauiorē fuiffe neceffe eft, quanto ante acerbioribus fuerāt fupplicijs obnoxiæ. Quorum tum memoriam ita continuo noui gaudij magnitudo oppreſſerat, vt leuia plane ac ludicra ijs omnia ea viderentur, quæcumque ad tantā beatitudinem confequendam pertuliffent: quin etiam multo ad huc plura atrociora que iterum fubire paratiffimæ effent, fi ad aliquam huius lætitiæ partem promerendam iterum ijs fubeunda proponerentur. Excita teipfum ad prompte alacriterque vitæ huius incommoda ac miferias tolerandas: immo horum tolerantiam præfer omnibus mundi commodis, cum tam copiofa fint modicæ tolerantiæ in cælis præmia præparata.

V. Attende in hac Chriſti victoria malignorum fpirituum indignationem, ignominiam, vlulatum, vociferationes, cū viderent potenti victo is manu prædam fib. eripi, quam tot annorum fæculis ex vniuerfo orbe comportarant: dominatum fuum crucis potentia oppreffum, vires fuas Chrifti vulneribus eneruatas, carceris clathros eius clauis effractos, catenas fuas Chrifti vin-

culis

culis dissolutas, superbiam suam Christi humilitate obtritam, copias suas lanceæ cuspide confossas, munitiones suas omnes verberum ac flagrorum Christo inflictorum impetu deiectas, denique triumphum sibi Christi morte è manibus extortum.

VI Damnatarum animarum ignominiosam desperationem, cum se à Deo absque omni spe liberationis, ceteris è carcere liberatis, in teterrimorum carnificum potestate relictas viderent: idque quia dum viuerent tempus sibi ad beatitudinem conquirendam datum neglexere, dum cupidius fugaces mundi honores, diuitias, voluptates; quam constantia beatæ immortalitatis bona quæsiuere. Expende quid ibi faciendum incumbat, vt ignominiosam hanc à te desperationem propulses.

DIES

DIES SECVNDVS.

Christus à morte resurgit, ac Virgini matri viuum se exhibet.

I. Contemplare gloriosam Christi animam stipatam ingenti caterua angelorum, Sanctorumque lætissimo concentu liberatorem suum celebrantium, ad corpus suum, quod in sepulchro clausum iacebat, properantem: illudque iterum, vulneribus eius omnibus, præter quinque illa manibus pedibusque ac latere excepta, (quorum ad perpetuam passionis suæ memoriam, Sanctorumque solatium cicatrices superesse voluit) momento temporis integerrime sanatis, omnique liuore ac sorde abstersa, animantem, atque super omnem beatorum corporum splendorem exornantem: vt quod laborum ac cruciatuum particeps fuerat, esset idem etiam gloriæ & præmiorum particeps. Considera hic renouatam sanctarum animarum lætitiam, cum intuerentur sacratissimum Christi Domini corpus quod sciebant fuisse saluberrimum redemptionis suæ instrumentum. Tu cum beatis his mentibus Deo Saluatori tuo gratias pro tua redemptione age.

II. Contemplare hic etiam omnes Angelorum choros, Christo Domino suo cõgratulantes, eiusque virtutem deprædicantes. si enim angelos Christo mortalem hanc vitam primum ingresso læto carmine applausisse constet; quanto verisimilius vniuersas angelorum cateruas eidem victori, superatis mortalitatis miserijs, partoque tam illustri de hostibus triumpho, hominibusque ab æterna morte liberatis, lætissimis choris occurrisse.

III. Disce à Saluatore tuo ad nouam melioremque vitæ rationem, inueterata peccandi consuetudine deposita, resurgere: egredere è fœtido vitiorum prauarumque cupiditatum cœno, in quo tanto tempore tanquam in puditissimo sepulchro conclusus iacuisti: proripe te è teterrimo hoc carcere, relictisque tabidæ naturæ sordibus cũ Christo ad nouam vitæ rationem, & in aliũ quodammodo hominem vberiore Dei gratia recreatum transmutare, vt deinceps nihil aliud cogites aut desideres, quam quod Deo maxime placitum esse intelligis.

IV. Sequere Dominum tuum cum felicissimo hoc beatarum mentium agmine, ad mœstissimam matrem suam properantem, vt eam absterso omni mœrore, lætissimo resur-

resurrectionis suæ nūcio recreet: animumq́; eius tanto præ ceteris iucundioribus gaudijs compleat, quando prius ipsa acerbiores in Christi cruciatibus doloris morsus sustinuit. Cerne vt Christus in amantissimæ matris amplexum ruat, vt ipsa filij sui vulnera, quæ paulo ante acerbissime maternum pectus confoderant, magna voluptate exosculetur. Quam suaui lætitiæ nectare matrem in hoc filij complexu inebriatam fuisse credimus? quanto amoris æstu, ex diuini huius ignis contactu succensam inflammatamque? vere tum pro dolorum toleratorum magnitudine, diuinæ consolationis abundantia animum eius exhilarauit. Exspecta tandem non disparem compensationem, si cum beatissima matre Christo in cruce pendenti adhæseris: si nimirum in hac vita prōpto paratoque animo labores, anxietates, molestias, cruciatus, & quidquid demum asperum aut difficile occurrerit tamquā certissima æternæ felicitatis consequendæ instrumenta complecti volueris.

V. Considera deinde, vt angeli omnes beatæque illæ animæ Christi matrem laudent, extollant, prædicent, gratias agant, quæ res magnopere beatissimæ matris lætitiam augebat. Discamus horum

horum exemplo, frequenter feliciſſimam hanc matrem dignis laudibus celebrare, ab ipſa, quoties aduerſitate nos premi, aut angore confici, aut impugnationum inſultibus quati contigerit, opem auxiliumque flagitare: cultum ipſius ac venerationem cum tota vita, tum maxime cum proſpere nobis omnia & ex voto ſuccedunt numquam intermittere: vt rebus aduerſis, ac præcipue difficillimo mortis tẽpore fauorẽ eius ac patrociniũ paratũ nobis inueniamus.

VI. Expende accuratius excellentem Chriſti in matrem, matriſque in filium charitatem. cogita quomodo hinc matris in filium amor, inde filij in matrem pietas, poſt tot calamitates, angores, cruciatus vtrimque inter ſe affectuum contentione certatint. Conſidera eam eſſe amoris vim, vt nulla vmquam mole opprimi, nullis impedimentis elidi poſſit. ſiue enim profundiſſimo maris gurgite obruatur, ſeu vaſtiſſimis ætheris ſpatijs interiectis ſubmoueatur, ad amatum ſemper aſpirat & contendit, nec prius quietem capere poteſt, quam amati ſui congreſſu fruatur: à quo quamdiu abeſt, perpetua anxietate ac mœrore cõficitur. Iam vero cum in nullo vmquam vehementior fuerit huius amoris æſtus quam in Chriſto erga hanc matrem, & in

hac

hac matre erga talem filium; quomodo non tota, diuturniore tanti desiderij æstu perusta absumpta que fuisset, nisi quam citissime immensum hoc matris desiderium, præpropera visitatione restinxisset? aut quis ignem hunc longiore mora in immensum auctum præter ipsum, cuius tantum cupiditate flagrabat, comprimere potuisset?

VII. Cum Christus in hoc mundo matre sua cariorem habuerit neminem, dubiū esse non potest quin huic quoque ante omnes se primum à morte rediuiuum ostenderit, vt prima tanti gaudij nuncio recrearetur quam & ipse præ ceteris omnibus diligebat, quæque vna inter omnes maiori desiderio reditum eius ab inferis exspectabat.

VIII. Demum expende quid inter Christum & beatissimam eius Matrem, post primam salutationem gestum sit. quæ verba, quæ compellationes, quæ rerum futurarum præsignificationes intercesserint: quantisque in amabili hoc congressu gaudijs duo hi mutuis amoris flammis æstuantes animi fuerint oppleti. mirum sane est, non vtrimque corda eorum amoris ardore liquefacta in vnum confluxisse, cum tantum in vtriusque pectore amoris incendium existeret, quo & æris & ferri rigor liquari, imo & cæli ipsi possent dissolui. Stude in te

ipso

ipso frequentibus votis hunc ignem accendere, quod vt citius consequare, amantissimæ matris huius patrocinium, eiusque filij opem expolce. Existimula quoque te ipsum interdiu iaculatorijs quibusdam precatiunculis, nec prius desiste, quam cælestem hunc ignem vehementer in pectore tuo accensum senseris ô felix incendium! ô fortunatam animam, quæ toto diuino hoc igne succensa, omnino ardet aque exuritur.

DIES TERTIVS.

Christus Mariæ Magdalenæ se ostendit.

I. CONsidera quomódo angelus Christo iam è sepulchro egresso, saxum quo sepulchrum clausum fuerat amoueat, atque in eo sedens Mariam Magdalenam, eiusque comites suo conspectu exterritas blandis verbis compellet, animet ac soletur, simul illis significans Christum à morte rediuiuum existere. Ex quo discere possumus, eos qui Deum serio quærunt, nec ab hoc nego-

Digitized by Google

negotio laboribus vllis aut molestijs absterrentur, maiora quam sperarant operæ impensæ præmia consequi. Imitare hanc mulierum sedulitatem: quære primo mane Deum tuum, nec pigeat in hoc negotio omnem operam, studium, industriam consumere: tandem operæ tuæ ab ipso pretium consequere. persevera in oratione pijsque occupationibus, nec industriæ tuæ præmium vnquam deerit.

II. non satis est Christo mulierum studium vnius angeli conspectu recreasse: verum deinceps eas iterum duorum angelorum visione recreat & solatur. Vt hinc nobis constare possit, quam professe laboris in Christo quærendo perseuerantiam compensare soleat: numquam se Deus ab homine vinci patitur. quapropter quisquis Deum toto animi impetu quæsierit, numquam se abeo vacuum recedere competiet: imo semper amplioribus actum præmiis, quam vel tacite secum vmquam optare potuisset.

III. Obserua in Magdalena admirabiles veri amoris proprietates, ac primo impertertitam eius audaciam. imbellis mulier nihil Christi hostes verita summo mane properat ad corpus exanime vngendum. Hæc prima veri amoris proprietas,

vt amatores omnes confidentes atque impauidos efficiat, hostes, tela, minas, cruciatus, mortem denique tanquam puerorum terriculamenta rideat, omnes mundi ac dæmonum machinationes contemnat; cum sciat nihil hæc omnia sine eius quem vnice diligit, voluntate, amanti nocere posse; quippe qui solo nutu omnes hostium molitiones possit euertere. vide quantum adhuc ab hoc amoris effectu distes.

IV. Magdalenæ perseuerantiam Perstat ad sepulchrum, quippe quæ sciret, perseuerātia omnia à Deo impetrari posse. nec patitur se ab incepto abduci prius quā quod sperarat obtinuisset. Hæc secunda amoris proprietas, cui proprium est non supersedere labore, nisi quod concupiuit assequatur. omnium obliuiscitur, parentum, coniugis, liberorum, fratrum, sororum, sui etiam ipsius; nec meminit quidem corpori necessaria ad sustentationem conquirere, antequam voti sui compos fiat. Vide num in te hanc amoris diuini vehementiam experiare.

V. Magdalenæ impatientiam quietis. quærit, sciscitatur, interrogat de suo dilecto, nec prius quærere omittit, quam hanc animi commotionem inuento eo, ad quem anhelat, sedarit. Tertia hæc est amoris proprietas, quæ si delectum suum

per-

perdiderit, nec die nec nocte quietem capit, interrogat singulos vbi eum inuenire possit, vt solet mater si forte charissimum filium perdiderit, obuios omnes de filio suo, donec eum inueniat, interrogare. O felicem animum tam sancta diuini amoris perturbatione concitatum! longe tamen feliciorem, cum tandem perfecta æternaque concupiti boni possessione côquiesceet! Supplica Deo, vt salubrem hanc quietis impatientiam animo tuo subiiciat, vt hac concitatus ardentius constantiusque ad æternam aliquando quietem assequendam contendas.

VI. Desipientem Magdalenæ sapientiam non attendit, cum quo loquatur, quem interroget, pauperne sit an diues, hostis an amicus, externus an domesticus, suæne linguæ peritus an rudis. Imo nec clare satis aut distincte interrogat respondetue. æstimat cuiuis æque exploratum esse ac sibi quid quæreret, & quem ipsa Dominum suum vocaret. Christus eam interrogat, *Mulier quid ploras?* cui respondit *Domine si tu sustulisti eum dicito mihi.* quasi crederet cuiuis perspectum esse debuisse quem ipsa quæreret. Hæc quarta est amoris proprietas, quæ in sapiêtia sua desipit, & in stultitia sapiens est. Sæpe non cohærentia, omniaq; disparata interrogãdo connectit. Cum Ioã. 20

enim animum amoris æstus abripiat; nihil præter huius ardorem percipit, retorque vnicuique non minus sensa sua quam sibi perspecta esse, quasi intimas mentis agitationes haberet in vultu descriptas. Hinc fit vt huiusmodi amantium ratiocinationes parum inter se plerumque sint connexæ, crebris suspitiis, lachrymis, votis interruptæ interceptæq; frequẽter subita obliuione, dum mira desideriorum vehementia alio animum à memoriæ functionibus auellit, dum loquuntur, parum anxii sunt rectène an perperam, corrupte an emendate, ornate an inculte id faciant, sintne in motibus concinni an rustici. Ineptus enim motum magister est amor, qui plerumque nec decentiæ nec ciuilitatis meminit, cum affectus animo spatium considerandi ea quæ agenda sunt vix indulgeat, & hinc non raro ridicula multa stultaque in agendo admittunt, dum animus perpetua de eo quem amat cogitatione occupatus, quæ circa se fiunt considerare contemnit: idq; eo amplius, quo maioribus indies incrementis hic amoris impetus augescit, verum hic amor parum quid de se homines sentiant solicitus est. satis ei est si ab eo quem amat sermo eius intelligatur, quem mente sæpius quam voce compellat. Pete à Deo tuo sapientem

entem hanc insipientiam, cum ab ipso insipientiæ huius iudicio intimi amicorum eius deligantur. O beatum insaniam à mundo quidem despectam contemptamque, sed à Deo qui falli non potest, omni mundanæ sapientiæ prælatam!

VII. Magdalenæ cæcitatem. videt, alloquitur eum quem quærit, quem tantopere amat, nec tamen agnoscit. Quinta hæc est amoris proprietas, cæcutire etiam oculis apertis magis quam videre. Cum enim amor omnem videndi sensum in amantem defixerit, fit vt præter hunc neminem videat, neminem agnoscat, & vt videns non videat, immo non raro amor tanto impetu amantem abripit, vt etiam eum quem oculis intuetur, non videat: vt iis accidere solet, qui animi viriumque defectione impediti, parentes, liberos, ceterosque alias notissimos sæpe vix agnoscant. Simile enim omnino in hac amoris perturbatione (vt ex Magdalenæ facto patet,) amantibus contingere solet, donec sereniore Dei vultu illustrati, sibique quodammodo restituti ea quæ prius non viderant, videre incipiant. Alterum cæcitatis Magdalenæ argumentum est, quod cum duos angelos ad Christi sepulchrũ sedentes vidisset. neutrum tamen videatur agnouisse. nam cũ ab iis interroga-

Digitized by Google

rogaretur: *Quid ploras?* paucis respondet: *quia tulerunt Dominum meum.* Si hos angelos esse aduertisset, maiori proculdubio veneratione & reuerentia eis respondisset, cum tamen ita familiariter eis, vt vulgo hominibus fieri solet, respondeat. Euidens hoc est indicium animi amoris impetu à se alienati, neminem suscipere, neminem agnoscere, quamdiu hac amoris perturbatione impeditur. O beatissimam animam quæ felici hac cæcitate impedita neminem aspicis, neminem agnoscis, præter solum dilectum tuum.

VIII Surditatem Magdalenæ. Intellexerat ab angelis Dominum suum iam rediuiuum è sepulchro surrexisse. verum illa nihil huiusmodi sermonibus mouetur. Illum solum quærit quem diligit, nec alterius illam blanditiæ solari possunt. Hæc amoris sexta proprietas. Narra illi quidquid libuerit, mone, clama, doce, instrue; frustra est, neminem audit, surdo loqueris. propone ei vitæ huius commoda, ingentes opes, amplissimos honores, voluptatum blanditias; cum hæc omnia & his etiam longe plura, prolixe commemoraris, si ipsam interroges, quomodo ei huiusmodi sermones arrideant, respondebit se ne quidem quid retuleris, intellexisse: aures enim eius tantum eius sermo-

sermonibus patent, quē toto affectu amat. veniant parentes, fratres, cognati, affines, qui ei quippiam de rebus ad Deum non pertinentibus, humanis rationibus persuadere nitantur, nihil agent: siquidem illa vocem aliam præter eius quem diligit admittere nequit, quam beata illa est anima, quæ ad omnia mundi consilia blandimentaque obsurduit; nec alia vlla præter dilecti sui monita ad aures admittit?

IX. Magdalenæ ebrietatem. venit cum aliis ad sepulchrum, videt in eo neminem iacere; ab angelis Christi resurrectionem intelligit: iterum tamen ad tumulum reuertitur, iterum in eo corpus quærit, rursus vbi sit, quid eo factum sciscitatur, an non hic agendi modus puellam ebriam prodit? videt angelos, nec eos tamen agnoscit: videt Dominum quem quærebat, nec quis sit aduertit. Septima hæc amoris vis est, vt eum quem inuaserit; quasi ebrium & temulentum reddat. Quod enim accidere cernimus iis qui nimio vino rationis vsum obruere, vt quo copiosiore se mero impleuerint, eo longius à mentis potestate aberrent: idem etiam cælesti hoc mero recreatis contingit, qui tanto semper profundiore ebrietate sopiuntur, quo liberalius hoc nectar obbiberint? ita vt tandem rem aliam nullam no-

rint nisi hoc vinum, de nulla alia, quam de eius apotheca loquantur. proponantur eis feria multa, grauiaque vitæ huius negotia, nihil capiunt: commemorentur noua, inusitata, admiranda, præter hoc vinum nihil eis sapit.

Inspice attentius mores rationemque agendi eius animæ, quam hoc amoris vinum occupauit. Nullius illa reuerentia, nullius interuentu ab eo quod amor suaserit deducitur, semper cogitationi suæ adhæret, nec potest ab eius mente tã dulcis apothecæ memoria discedere. Propone ei omnes vitæ huius delicias, obijce ei quicquid collibitum fuerit, quantumuis amplum, pulchrum, magnificum, aqud eam nihil in pretio est præter hoc vinum. Propius illam introspice, nullam in ea constantiam, quietem nullam inuenies, modo inambulat, modo consistit, in genua mox prouoluitur, iam exsurgit, iam sedet, ita vt vix vnquam ad horam vno se situ continere queat: nec profectò mirum, cum generosissimo hoc vino ebria sit, cuius vis per ora oculosque prorumpit. O fortunatam ebrietatem! ô nobile vinum! ô felicissimam animam hoc vino potatam inebriatamque!

x. Christi agnitionem. Christus eam suo nomine compellat dicens *Maria* at illa con-

continuo reponit *Rabboni, Magister.* O desiderabilem horam quæ amantem animam ad agnoscendum Dominum suum eius compellatione adducit: qua tamen longe illa optabilior, qua ei dilecti sui congressu frui datur, atque ita ei coniungitur vniturque, vt iam non diuersa ab eo, sed vna eademque esse videatur: cum duæ amantium animæ amoris igne liquefactæ, ita inter se permiscentur, vt in eodem cratere duo vina confusa coalescunt. Quis sic permista separabit? nulla profecto humana industria. Multo sane perfectius amantis animus cum dilecto suo Christo permiscetur. ita vt non solum humana nulla vi aut industria, sed nec vlla dæmonum aut angelorum machinatione, ab inuicem diuelli vnquam possint. Posce à Deo continuis precibus tam arctam cum eo coniunctionem, nec prius supplicare desine, quam voti te compotem factum videas.

XI. Conspectum agnitionemque Domini impetrat Magdalena post longa suspiria, vberes lachrymas, indefessamque in quærendo perseuerantiam. Quæsierat illa olim Dominum flentibus oculis, cum pedes eius copiose lachrymarum profluuio abluit, capillis suis extersit, perfuditque pretiosissimis vnguẽtis, quibus tamẽ longe gratiores

 tiores

tiores erant calentes peccatricis lachrymæ: nulla enim odorum suauitas hisce oculorum fontibus, nec vlla mantilia passo inculto, pœnitentis capillo comparanda. modo iterum dilectum suum lachrymarum imbre perfusa requirit, iterumque reperit. prima inquisitio erat peccatricis animæ, quæ per vitiorum caliginem à Deo suo aberrarat, altera hæc animæ Deum amantis, à cuius se conspectu paululum amator subduxerat, aut potius abdiderat, vt maius in ea sui desiderium breui absentia excitaret. In vtraq; inquisitione Magdalena quod quæsiu it inuenit, tu eius in vtraque studium diligentiamque imitare, & parem industriæ fructum aliquando assequeris. Primum illam in priore quærendi modo sequere, & tum sperare poteris etiam te in posteriore eam secuturum.

XII. Christus in primo cum Magdalena congressu non se omnino manifeste aperuit. Eandem agēdi rationem seruare quotidie cum hominibus Deus solet, quos primum subobscura dubiaque voce compellat & quodammodo suscitat; deinde clariore vehementioreque inuitat; demum expressa ac perspicua sui ostensione, eis se familiarem reddit, cū nimirum affectu retū periturarū cupiditatibus expurgato, Deum solum

ſolum inquirere ac perueſtigare incipiunt. Inſpice te ipſe ac vide quantum à tali Dei vocatione, tam prompta imitatione, manifeſtaque eius cognitione abſis.

XIII. Concita teipſum ad tanti amoris imitationem, non ſola ardentis huius animæ inſpectione, verumetiam exemplo eorum qui vehementiore mulierculæ cuiuſpiam amore tenentur. Conſidera quid hi non tentent, quid non moliantur, quæ non conſilia ineant, quas artes, quam induſtriam, quam ſolicitudinem non adhibeant, vt in eius ſe gratiam inſinuent, nec facultatibus, nec laboribus parcunt, nec die nec nocte quietem capiunt, nulla pericula exhorreſcunt, nihil eis nimis arduum, nihil nimis eſt moleſtum, è re nulla præter eam quam concupierunt, voluptatem capiunt, nullæ libidinem eorum opes, nullæ diuerſæ ab amatis delitiæ ſatiare aut mulcere ſufficiunt: & hæc omnia miſeri homuncionis deſiderio, amore corporis alicuius ad ſpeciem venuſti, quod breui in putredinem ſit commutandum. Pudeat te ac erubeſce cum videris horum te in amando feruore & alacritate ſuperari, cum hos nulla in te ſidi parcere aduertis, vt ſibi beneuolentiam velvnius mulierculæ concilient; cum tu vt æterna tibi bona, perpetuas voluptates,

sempiternorumque gaudiorum intermina-bilem possessionem conquiras, tam parum, tam exiguum & sæpe vix decimam, immo centesimam partem laborum, quos mundi huius amatores adhibent, digneris impendere. Quid enim à nobis fit vt Deum Saluatorem, consolatorem & sponsum animæ nostræ nobis concilíemus, vt infinitum hoc bonum, maximam hanc omnium voluptatum voluptatem, cælorum gaudia, angelorum consortium, denique consummatam omnium bonorum aggregatione felicitatem consequamur.

DIES QVARTVS.

Christus se mulieribus quibusdam, iterumque Mariæ Magdalenæ, Petro, discipulisque in Emaus abeuntibus ostendit.

1. Considera vt Christus nunquam sine consolatione, eos deserat à quibus pio se affectu quæri videt. Etsi enim hæ mulieres non alia eum spe quærerent, quam vt corpus eius exangue vngerent, quæ pietas magnam sibi fidei imperfectionem admistam habebat, planeque cum promissione resurrectionis, quam toties eis ante mortem suam fecerat, pugnabat, quia tamen

hæc

hæc omnia bono ab iis animo affectuque fieri videbat, noluit eas sine solatio insalutatas prætetire, sed cum eis in via se obtulisset, blandum illis *Auete* primus dixit. Expende harum mulierum lætitiam, cum Deum suum & Dominum, in quo omnem suam spem olim defixerant, tam insperate viuum contuerentur, quem mortuum sepultumq; requirebant. Quomodo non repente tanti amoris igne conspecto instar niuis sunt liquefactæ? Illæ continuo ad pedes Domini sui venerabunde prouoluuntur, atque in eorum amplexu, ardentissimi amoris sui affectui satisfaciunt. Considera qua fuerint perfusæ voluptate amplexando suauiandoque diuinos Christi pedes. O felicem contactum! beatum osculum, amantis animæ ad pedes sui dilecti procumbentis, eosque suauissime præ gaudio manantibus lachrymis tamquam viuo flumine perfundentis! Hic affectuum impulsu, aquæ statum suum alueum transgrediuntur, lachrymarum æstus aggerum impedimenta perfringunt, fluuntque sine remora ex oculis aquarum riui melle suauiores, generosissimo vino lautissimisque deliciis sapidiores.

11. Christus illis dixit, *Nolite timere, ite nunciate fratribus meis vt eant in Galilæā, ibi me videbunt.* Circa quæ obseruadum, 1. Mat. 28

1. in apparitionibus visionibusque diuinis timorem omnem statim discuti solere, animumque confirmari constanti pace & gaudio: cum è diuerso diabolicæ illusiones perpetuo sint angore, perturbatione, mœstitia, animique suspensione permistæ. 2. A Christo Apostolos & Discipulos fratres suos appellari. Ad quantum dignitatem eleuat hominem virtus & pietas, vt tandem à Deo ipso & frater & soror, imo & pater & mater appelletur? Quid intentatum quilibet è populo prætermitterent, vt regum aut principum fratres aut consanguinei dici possent? & quid à nobis fit vt vnigeniti filii Dei fratres (quod facillimo negotio assequi possumus) efficiamur, ac perpetuo in hac cognationis societate cum eo permaneamus, simusque animo Christi fratres, sorores, sponsæ, in æternum ei arctissimis amicitiæ vinculis coniuncti?

III. Ex apparitione Christi Mariæ Magdalenæ & Petro facta discimus, Christum non dedignatum fuisse iis se statim à resurrectione viuum exhibere, qui præ cæteris eum ante grauius offenderant. Magdalena vitam multis flagitiis infamem egerat, Petrus fœdo periurio Christum negauerat. vtrique crimina sua detestando deflendoque labem omnem eluere, atque in gratiam iterum

rum à Christo recepti fuere: quod spem fiduciamq; dare debet iis, qui se quoq; in flagitia prolapsos esse vident. Quod etiam colligi potest ex parabola filii prodigi, ouis perditæ, exemplis D. Pauli, Zachæi, Matthæi, quos Deus peculiaribus præ ceteris beneuolentiæ signis prosecutus fuit, vt nos ad deprauatæ vitæ emendationem inuitaret, cum ex horũ venia eorumq; post reconciliatũ sibi Deum conditione perspicue cognoscere possimus, non minus gratos Deo amicosq; esse, qui post flagitia, vitæ emendatione peccatorumq; detestatione veniam meruere, quam qui nunquã criminosa vita ab eius amicitia discessere. Age Deo gratias pro tanta eius in homines misericordia, eaque dum potes in commodum salutemque tuam vti contende, ne deinceps cum tempus misericordiæ effluxerit, nihil profuturis querelis ignauiam tuam accuses.

IV. Ausculta querimonias duorum discipulorum euntium in Emmaus, audi eos Domini sui mortem deplorantes, & cum admiratione ea quæ de ipsius resurrectione audierant, quamuis paruam iis fidem adhiberent, commemorantes: vide quam facile in peccata proruamus, cum à Dei præsidio discedentes nimium industriæ nostræ sapientiæque confidimus.

V. Con-

v. Considera solicitudinem Christi pro hominum salute, qui non patitur diutius à se aberrare eos, quos inter aberrandum adhuc sui meminisse, ac de se loqui aduertebat: hinc illud quoque monemur Deum libentet inter eos esse, quos de se rebusque diuinis colloqui videt, eumque piis de virtute sermonibus interuenire solere, atque ea interno sæpe instinctu promouere: contra vero inuitissimum iis in locis adesse, vbi de vanis inutilibusque rebus sermones miscentur, atque adeo à colloquiis otiosis & mundanis, quæque nihil ad salutem promouendam faciunt, profugere. Cum enim summum Christi desiderium sit, vt quam plurimi æternam beatitudinem consequantur, fit etiam vt osor sit atq; hostis otiosæ omnis confabulationis, omniumq; colloquiorum ad hominum salutem nihil pertinentium.

Hic examinari possunt hæc verba à Sapientia æterna prolata: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Mirum sane est Deum tam libenter cum hominibus versari, vt sola nostra negligentia eueniat, si Christus perpetuo nobiscum non versetur. Si enim tam auide nos Christi familiaritatem ambiremus, quam ille nostram, nunquam ille se à nostra consuetudine subtraheret: & si vt illius deliciæ sunt nobiscum esse, ita nos quo-

Prou. 8.

quoque illius perpetuam familiaritatem in deliciis haberemus, nunquam vel ad momentum ab eo discederemus. Ibi enim cupidissime versantur homines, vbi suas delicias omnes, omnemque voluptatem repositam existimant. Magnum diuini amoris argumentum est libenter cum Deo esse, libenter de eo cogitare, loqui, & loquentes audire: vti etiam à futilibus sermonibus, (etsi minime noxiis) quia ad Deum nihil pertineant, abhorrere. è diuerso vero perspicuum indicium est amorem Dei ab eorum animis aut abesse omnino, aut in iis valde refrixisse, qui auidius de vanis mundi rebus agunt, loquuntur, cogitant, quam de cælestibus aut diuinis: maluntque præsentis vitæ solicitudinibus, quam diuinarum consideratione implicari. Inquire in tuos affectus, & obserua in quas res magis desideria tua propendeant.

VI. Christus studiosissime eos qui à veritate aberrāt, erroris sui admonet, & instruit, magnamque ex hoc opere voluptatem capit: vt suo nos exemplo doceat laborem nullum subterfugere, quoties opera nostra ad alios errore liberandos, atque ad virtutem cohortandos vtilis esse possit: cum nullum dignius Deoque gratius à nobis negotium suscipi queat; quam nos totis viribus ad

ad salutem hominum, quà verbis, quà virtutum exemplis promouendam applicare: quæ ratio longe omnium efficacissima est.

VII. Christus libenter iis adest, qui ægritudine ac mœrore premuntur, quos blande solari, molestia leuare, atque ad forti animo aduersa superanda, animare solet. Licet enim procul eum à nobis abesse, immo ab eo nos plane derelictos esse, existimemus dum mœstitia affligimur, multo tamen nobis tum propior viciniorque adsistit, quam cum rebus secundis inani lætitia efferimur. Quod si studiose consideremus, inueniemus maiorem longe nos lætitiæ occasionem habere, cum aduersis huius vitæ tempestatibus agitamur, quam cum secundis ventis secuti & hilares nauigamus.

VIII. Christus hos discipulos interrogat,
Luc. 24 *Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?* Cui illi responderũt, tristes se esse ob iniurias ignominiosamque mortem Iesu Nazareno illatam: *qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo.* Attende quibus hi laudibus Christum afficiant, & quantum potes enitere, vt in his Saluatori tuo quam simillimus efficiare; primum piis sanctisque operibus, deinde sermoni-

monibus & cohortationibus; & totum hoc ad obsequium & gloriam Dei, proximique salutem; ita vt ante verborum adhortationes operum exempla præeant, salutiq; proximorum Dei gloria præponatur.

IX. Considera verba quibus Christus suos instruit: *O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt prophetæ? nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* quibus verbis nos docere voluit stultos nos plane esse & excordes, cum nos sine labore, molestia, dolorum cruciatuumque tolerantia regno cælorum aliquando potituros credimus. Si enim Christo, vt in suum regnum intraret, molestiæ, cruciatus ac mors denique subeunda fuerint. quid nobis absque omni labore aut molestia alieni regni possessionem vana crudelitate pollicemur?

X. Hi discipuli à Christo eruditi, amica eum vi secum ad hospitium suum pertrahunt. quorum facto docemur blande humaniterque egenos excipere, & eos præcipue qui saluti animæ nostræ solent consulere. Disce Christum lachrymis, suspiriis, precibus, corporis afflictatione inuitare, & cogere quodammodo in tuum hospitium, atque ab eo benedictionem extorquere: ad quam rem verba Patriarchæ Iacob vsurpare potes:

ſempiternam addicit. Quis mortalium eſt, qui ſi hiſce pollicitationibus fidem habeat, non liberaliſſime opes ſuas in tam lucroſa negotiatione ſit collocaturus, ſi inquam certo ſibi perſuadeat, tam vberem ſe à Deo liberalitatis ſuæ compenſationem accepturum? Quod ſi facere ſubterfugiat, ſignum eſt, ab huiuſmodi homine aut Deum mendacem haberi, aut ſaltem parum eum Dei promiſſis ſponſionibuſq; fidere. Quis enim eſt, qui non cupidiſſime aureum vnum alteri crederet, à quo centum certo ſe recepturum confideret? Si locuples quiſpiam mercator optimæ apud omnes fidei, pro vno decem ſponderet, magna ei voluntate pecuniam tuam crederes: Deus tibi, non decuplo, ſed centuplo fœnore, vnum ſe compenſaturum ſtipulatur: nec tamen ei credere audes. vnde parum te Dei promiſſis fidere patet: ſi enim tantam Deo fidem, quantam tali mercatori, haberes, non minus prompte, quam mercatori, tua Deo crederes. quod dum non facis, teipſa profiteris nullius eſſe apud te auctoritatis Deũ ipſum eiuſque promiſſiones.

DIES QVINTVS.

Chriſtus oſtendit ſe Diſcipulis ſimul congregatis.

1. CVm diſcipuli Chriſti morte exanima-
ti do-

ti domi se ianuis clausis, ob metum Iudæorum, continerent, iamque de Christi resurrectione parum sperarent; Christus repente in medio eorum constitit, omnibusque se palam videndum obtulit, nolens eos diutius tanta ægritudine confici, tamque vehementibus anxietatis ac dubitationis fluctibus agitari. Discamus hinc, tutissimum esse atque vtilissimum, cum nos mœrore, pauore ac sollicitudine confici sentimus, si nos ad Deum perquirendum conferamus, nec enim diu eos solatiis destitui patietur à quibus se studiose quæri viderit.

II. Christus conspectis discipulis, hac eos salutatione compellat, *Pax vobis*. O iucundam beatamque salutationem! ex qua hoc etiam monemur Deum ibi esse, vbi pax est & concordia: ideoque alio loco dixit, *Beati pacifi i quoniam filii Dei vocabuntur.* Magnum sane hoc atque eximium ornamentum, à Deo in filios assumi. Quid hoc maius sperari à nobis aut optari potest? qui enim Dei filius est, idem etiam bonorum talis parentis, nempe regni cælestis heres est.

III. Sunt etiam hæc verba penitius inspicienda, vt ex iis magis cõstare possit, quodnam sit inter Dei filios, aliosque ab hoc pacis alienos discrimen. Dei filii perpetua

pace:

pace inter ſe perfruuntur: alii vero nec pace fruuntur, nec eam vnquam aſſequi poſſunt. Fieri enim nullo pacto poteſt, vt is pace perfruatur qui internam animi tranquillitatem non poſſideat. Iam vero cum exploratum ſit, eum, qui mortiferis ſceleribus obnoxius ſit, iratum Dei hoſtem eſſe, fieri omnino nequit, vt qui capitales cum Deo inimicitias exerceat, interna pace perfruatur. Quod ſi eos etiam attendere velimus, qui tota voluntate mundo adhærent, vt hi lethalibus vitiis immunes eſſe poſſent; tamen nunquā vera animi tranquillitate perfrui poſſunt. Animus enim eorum perpetua perturbatione rapitur, ita vt numquam iis quæ adepti ſunt, contenti, quotidie maiora ampliora q; poſſidendi cupiditate agitentur. Qui ergo fieri queat vt in huiuſmodi animo firma pax vlla ſit, qui ſecum ſemper perpetui diſſidii ac tumultus materiam circumferat, rerum nimirum mundanarum cupiditatem, continua amittendi ea quæ parta ſunt anxietate conturbatam?

IV. Christus dicit diſcipulis, *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate & videte.* Inter ceteras cauſas ob quas vulnera hæc poſt reſurrectionem in corpore glorioſo exſtare voluit, vna eſt, vt horum oſtenſione diſcipulorum ſuorum in fide Lu. 24.

hæſita-

hæsitationem redargueret. O beatissimam animam quæ à Domino ad hos misericordiæ fontes inuitatur! è quibus nobis quoque potare licet, quoties sacræ Eucharistiæ cibo pascimur, in quo reipsa horū fontium scaturigo continetur. Illud etiam hinc discere possumus, quanta cura Christus suorum semper necessitatibus occurrat, quamque sagaciter ignorantiæ ac dubitationi singulorum medeatur, singulos sensuum peculiaribus ad se rationibus pelliciendo; visum, exhibendo ei gloriosi sui corporis conspectum: auditum, verbis amore plenissimis blande mulcendo: gustatum, sumpto coram eis, citra omnem gloriosi corporis necessitatem cibo, tantum ad fidem eis resurrectionis suæ faciendam: tactum, inuitando eos ad manuum pedumque contrectationem: odoratum, diffuso per totum cœnaculum suauissimo odore. est enim valde credibile corpus hoc dignitate atque excellentia omnia cælestia corpora excedens, iucundissimum à se odorem profundere. Erudiit quoque discipulos suos perspicua sacrarum scripturarum cognitione. quod & quotidie cum iis facit, qui eius discipuli esse student, internis instinctibus illustrationibusq́; quibus eos, dum se rerum diuinarū meditationibus occupant ad omnem virtutem excitare solet.

Digitized by Google

v. Præterea addit Christus, *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Vbi obseruandum 1. quam amplam à Deo potestatem hic Apostoli accipiant. 2. Mitti eos à Christo ad salutem hominũ procurandam, sicut ipse à Patre eadem de causa in mundum, ad labores, molestias, insectationes, crucem sustinendam sanguinemque profundendum missus fuerat. O vere felices illæ animæ quas Pater æternus filio suo in laborum & cruciatuum tolerantia similes efficit. easdem enim etiam filio suo in gloria, & præmio quam simillimas reddet. Quod est sane magnum Dei in eas animas amoris argumentum, quas eadem veste, qua filium suum in hac vita vti voluit, induere dignatur. Disce promptum te paratumq; Deo exhibere ad omnia, ad quæ te, seu per se ipse, seu per moderatores tuos ablegabit, & adhibe operam vt eadem diligentia, & alacritate horum mandatis obtemperes, qua facturus esses si ab ipsius Dei ore ea accepisses. Ioã. 20.

vi. Christus dat Apostolis potestatem condonandi peccata. Est hæc potestas è præcipuis, quas Deus hominibus posset concedere. quæ longe est omni sapientia, eruditione, atque etiam virtute miracula patrandi nobilior digniorque: immo quæ excedit etiam omnem à Deo angelis traditam potesta-

testatem. Vide quibus honoribus suos exornet Deus, quibus etiam in hac vitæ imbecillitate, facultatem concedit peccata quantumuis grauia, tetra, multaque nullo excepto condonandi: idque ea infallibilitate ac certitudine, vt quidquid hic in terris illi soluerint atque condonarint, sit etiam in cælo omnino solutum & condonatum: nec vmquam iterum Deus illud flagitium in memoriam reuocet, quod Apostolorum auctoritate fuerit relaxatum. Ad quod impetrandum, solum opus est lugenti animo peccata sua serio detestari, eaque integra confessione Apostolorum potestati relaxanda submittere.

VII. Considera quanta Christus cura saluti nostræ prospectum esse voluerit; non enim satis ei fuit mortis suæ pretio genus humanum à diabolica seruitute redemisse, nisi etiam vlteriora nouis flagitiis remedia, in quæ homines tum fragilitate tum malitia prolapsuros præuidebat, instituerer, ac in primis ne de peccatorum venia perpetuo dubios & anxios relinqueret, ad securitatem nostram eiusmodi remedia prouidit, quibus si pie prudenterque vti velimus, certi de venia impetrata esse possimus: cuiusmodi præ ceteris est pœnitentiæ sacramentum, quo potestas à Christo Apostolis, omnibus-

nibusque eorum successoribus tradita ad quæuis peccatorum vincula relaxanda continetur. Euidens hoc est diuini in nos amoris numquam quiescentis argumentum. nec enim ei satis est vno sibi beneficio homines obstrinxisse; sed alia insuper & alia quotidie excogitat quibus arctius eos sibi deuinciat. Christus homines omni beneuolentia indignissimos innumeris maximorum beneficiorum vinculis obligauerat; sed post tanta beneficia quiescere necdum potest, quin antiqua perpetuo nouis accumulet atque confirmet. Inspice cor tuum, & vide num in eo aliquod amoris vulnus tantorum beneficiorum tela effecerint. Certissimum huius vulneris indicium est continua earum actionum frequentatio, quæ Deum tibi quotidie arctius obstringunt & animorum amicissima conspiratione vnum quodammodo cum eo efficiunt, ita vt aliud nihil cogites, nihil moliaris, quam quomodo illi perfectius placere, firmioribusque vinculis tecum colligare possis.

DIES SEXTVS.

Christus Discipulos præsente Thoma visitat.

I. ABerat ab Apostolorum consortio Thomas, cum se primum Christus

 post

post resurrectionem eis rediuiuum ostendit. Quod nobis argumento esse potest, 1. Deum libenter cum iis versari quos animorum conspiratione, amicitiæ contubernio, diuinique amoris ac precandi studio consociatos videt 2. eos qui à fraternæ se charitatis sodalitio subtrahunt, etiam à Dei se præsentia plerumque subducere. 3. animorum dissensionem in rebus ad salutem pertinentibus æque perniciosam esse, atque est animorum conspiratio vtilis ac salutaris.

peccati ſuſpicio eſſe poſſit, abſtineamus: & vt contra magno conatu ad omnẽ virtutẽ incumbamus, vt mundum omneſque eius blanditias deteſtemur, ac pro his Chriſtum eiuſque conſilia amplectamur. 4. Ex hac Chriſti promiſſione ingentem lætitiæ materiam capere poſſunt, quotquot ex animo Chriſto famulãtur: cũ ex his colligere poſſint, ipſum non eo ſolum modo ſeruis ſuis adeſſe, vt creaturis omnibus tamquã eorũ creator conſeruatorque perpetuo adeſt, ſed longe ſublimiori modo, nempe peculiari in eos propenſione, affectu, cura, amore, beneuolentia, animoſque eorum tamquam gratiſſimam ſibi ſedem poſſidendo. 5. Admirabilem Chriſti in homines beneuolentiam; qui ſeipſum in ſacroſancta Euchariſtia amatoribus ſuis, immo omnibus hominibus ad ſaluberrimum animarum cibũ propoſuit: vt non ſolum diuinitatem ſuã, verum etiam humanitatem, licet ſpiritali exiſtendi modo occultatam hominibus exhiberet, atque ita cum ijs continenter permaneret. Qui fieri poſſet, vt maiorem Chriſtus in homines caritatem oſtenderet, quã vt pretioſiſſimum corpus ſuum & ſanguinẽ, non ſemel tantum in cruce, verum etiam quotidie in Miſſæ ſacrificio ad viuificum animarum noſtrarum nutrimentum exhiberet?

beret, atque ita arctiſſima cum hom
cietate coaleſceret?

v. Obſeruandum tamen eſt Ch
licet nunquam à nobis abeat, ſub
men ita ſe gerere, quaſi longius à no
ceſſiſſet idque .1. ad caſtigandam n
tiam, teporem, atque incuriam noſt
virtutum exercitatione .2. Propter
fectiones noſtras quotidianaſque c
quæ à nobis tamquam nubeculæ qu
Dei conſpectum auertunt .3. vt veh
tius in nobis diuinæ familiaritatis
rium, ſolitioremque animi cuſtodia
ſuæ præſentiæ ſubtractione excitet,
que nos diligentius in cogitata noſtra
cta & facta inquirere, ne horum viti
quandoque cauſam demus, vt freq
à noſtro ſe congreſſu ſubducat .4 Vt
rientia diſcere poſſimus miſeram h
conditionem, cum ab eis ſe Deus
lum auertit, quibuſque tum potiſſ
ſubſidijs huiuſmodi deſtitutorum
conſolandi, animandi, erigendique ſ
enim commodior huiuſmodi deſola
ſolator directorve inueniri poteſt, qu
in ſe propria experientia deſolationu
dia atque impugnationum inſultus q
que ſenſit: hic enim ea laborantibus
dia præſcribere poteſt, quæ ipſe ſibi v
fica

ficatiora fuiſſe didicit. 5. Vt nos ad proximorum ſalutem noſtra induſtria promouendam adigeret. Nam ſi nobis perpetuo datum eſſet diuinæ præſentiæ familiaritate, cum ſenſibili iucunditate perfrui, quis ſe vnquam ad aliorum indigentiæ ſuccurrendũ à ſuauiſſimis illis vberibus ſua ſponte ablactare poſſet? 6. Quia ea eſt humanæ naturæ imbecillitas, vt continentem hanc ſuauiſſimamque mentis cum Deo familiaritatem atque congreſſum, ſine interruptione tolerare non poſſit quapropter ne nimijs animæ delicijs naturæ vires opprimantur, ita alternis deſolationibus has permiſcet, vt & animæ deſiderijs, & naturali imbecilitati proſpiciat. quam agendi rationem etiam cum ſanctiſſimis diuina prouidentia paſſim tenere ſolet.

VI. Chriſtus ante ſuum in cælos abitum Apoſtolis ſuis benepreeatur. O felicem precationem, quæ tam inuſitatum eorum animis robur, tamque validum aduerſus omnes hoſtium inſultus gratiæ præſidium circumpoſuit! Ora Deum vt non abſimilem tibi benedictionem impertiat, ſupplica vt ea quæ filijs ſuis, veris ſuis amatoribus, amicorumq; e electiſſimis precari ſolet, tibi quoq; precetur, vt hac eius efficaciſſima precatione contra omnes hoſtium molitiones inuictus perſiſtas.

VII. In-

confer cũ huius triũphi gaudijs omnia mũdi gaudia, magiſque hæc ab illis quam nox à die à, cælo terra, à lucidiſſimo ſole exile lucernæ lumen diſcrepabunt; Paria aliquando exſpectato, ſi te ad Chriſtum cum hiſce Sanctorum turmis ſequendum, non voluntate tantum aut lingua, ſed reipſa infracto virtutis ſtudio compoſueris.

IX. Conſidera quomodo Chriſtus tot angelorũ myriadibus ſtipatus cæleſtem regiã ingrediatur, idque poſt crucem, poſt mortem tam ignominioſam, & ipſis adhuc vulnerum ſuorum ſtigmatibus notatus. ex quo diſces viam ad auguſtam hanc vrbem, atque ad hunc æternæ quietis portum, laborum ac moleſtiarum patientia conſtratam eſſe. atque è diuerſo ſocordiam, mollitiem, corporis commoda, voluptates, honores, latiſſimam viam eſſe quæ ad æternam miſeriam pergat.

X. Adhibe interiores animi ſenſus. I. Intuere felices illas beataſque mentes ex inferorum captiuitate eductas, & cum his innumerabile angelorum agmen. conſidera in ſingulis vultus hilaritatem & lætitiam. ſuſpice cælum apertum, atque inde cæleſtẽ Patrem in occurſum & amplexum Filij cum frequentiſſimo angelorum commitatu prodeuntem. circumſpice vt omnia quodam

dammodo geſtire inuſitatæque l
gna præ ſe ferre videantur.
2. Auſculta iucundiſſimas angel
ces, tum Chriſto triumphatori, t
illis mentibus ab inferis liberatis
lantium: harum item animarum i
li lætitia geſtientium plauſus &
quibus modo Chriſtum lib
ſuum, modo felicitatem ſuam de
3. Odorare ſuauiſſimum odorem
mis cælorum penetralibus Chriſt
pompæ triumphali quodammo
rentem: atque à Chriſti parte, p
ſimum è diuerſiſſimis eius virtutib
ciſſimum ex ipſius cruciatibus od
rantem, mire angelorum omnium
ni Patris naribus blandientem.
4. Deguſta ſapidiſſimum angelo
rarumque mentium cibum, quo
diſſimo Dei ſaluatoris conſpect
quam è menſa omni dapum gen
tiſſima ſatiantur.
5. Enitere quantum potes, vt aliq
huius gaudij particulam deriua
quod vt facilius aſſequare, con u
nimo & cogitatione, cum feſtiua h
phantium pompa: aut potius cor t
di amantiſſimi tui Domini inſere
pacto corde & animo ipſi coniun

cohærere ac concordare poſſis; vt iam proprio quodammodo corde ſpoliatus, pro eo, Chriſti in tuo pectore cor habere videare: aut tuum cum illius non aliter permiſcuiſſe, quam duo ſibi inuicem liquores permiſceri ſolent, vt vtraque in vnum coaluiſſe credi poſſint.

DIES TERTIVS.

Aduentus Spiritus ſancti.

1. POſt Chriſti in cælos adſcenſionem, ob eius merita in mundum miſſus eſt Spiritus ſanctus, vt nobis eſſet in omnibus hoſtium incurſionibus, propugnator, inter Deum & homines beneuolentiæ reconciliator, in omnibus aduerſitatibus animator, & conſolator: qui tepiditatem noſtram ſuo igne inflammaret, mœrorem ſuis ſolatijs leuaret, diffidentiam erigeret, rerum noſtrarum patrocinium ſuſciperet, infirmitatem noſtram confirmaret: à quo ignorantia noſtra erudiri, errores corrigi, animorum tenebræ diſpelli, torporque no-

ſtræ

ſter & ſomonolentia excitari poſ
ua huius ad te aduentum eiuſ
ſtudioſe in cunctis aduerſitatibu
Ipſe enim eſt auxiliator omnium
næ ſunt voluntatis, omnium a
deſertorumque recreator. Ad h
piendum animæ tuæ penetralia
tes diligentiſſime compara, atq
amat animas caſtitate nitentes, ſ
ſione bene fundatas, obedienti
manſuetudine ſedatas, pacis & c
amatrices. ad quas cum diuertit
bus eas ornamentis egregie adorn
pe generoſa rerum huius mundi c
tia, ardentique cæleſtium deſider
tamquam ſecundiſſimis ventis n
velocitate ad cæleſtem portum
mni fatigatione & tædio impelli
ctum certa perſpicuaque diu naru
cognitione illuſtrat, voluntate
tiſſimis deſiderijs inflammat, m
perpetua rerum cæleſtium medita
cupat, totum denique hominem
dolore è priorum criminum reco
ſuſcitato expurgat, deprauatas c
animo appetitiones exigit, inolita
rum conſuetudinum ſtirpes euelli
denique priorum noxarum fibras
quæ malorum exſtirpatas cæleſti

incendit: quorum loco feliciſſima omnium virtutum ſemina inſerit, quibus deinde ſuccreſcentibus, breui ex hominibus in virtutum ſtudio timidiſſimis generoſi atque imperterriti, ex gnauis diligentiſſimi, ex inſipientibus ſapientiſſimi, ex ſuperbis arrogantibuſque humillimi, denique ex imperfectis homines omni virtutum genere inſtructiſſimi efficiuntur.

II. Hunc ſpiritum ſanctum Chriſtus ante quam in cælum abiret, ſæpius Apoſtolis addixerat, quem vt mererentur accipere, magno ſe ſtudio, continuatis vnanimi perſeuerantia precibus, comparabant. Quorum facto docemur nobis quoque cum à Deo inſigniora aliqua beneficia impetrare volumus, à rerum familiarium tumultu abeundum eſſe, magnaque contentione, humilitate, perſeuerantia precibus incumbendum. Turpis enim atque admodum pernicioſus error eſt putare fieri poſſe vt ſimul & familiarium negotiorum curis immerſi, atque animo interim cum Deo coniuncti vnitique ſimus.

III. Spiritus ſanctus ſe in Chriſti baptiſmate colūbæ ſimilitudine videndū præbuit, vt auis huius ſymbolo indicaret, tum quam cupide ad homines aduolare ſoleat, qualeſque eos eſſe velit in quorum animis ſit

habi-

randum, ſine quo nihil admodum à quoquam in tam difficili negotio profici poteſt, qui enim hoc ardore deſtitui languent torpentque, non niſi languide & torpide alios à vitijs deterrere atque ad virtutem cohortari poſſunt, quod dum fit, non ampliorem in audientium animis ignem ſuſcitant, quã ſit is quo dicentium animi tepent. Præterea niſi ardens hoc proximi iuuandi ſtudiũ penitus animos huic muneri deſtinatos occuparit; qui fieri poterit, vt difficultates omnes & pericula in hoc negotio adeunda non timeant, vt obtinentium dictis machinationibuſque non cedant, iniurias omnes & afflictiones quæ frequentiſsime ſuſtinendæ, contemnant? Quomodo quiſpiam omnem ſuam induſtriam, operam, ſudorem ſanguinem denique & vitam ad aliorum ſalutem procurandam proſtituet, niſi vehementiſsimo amoris æſtu abreptus ſe ſuaque omnia præ deſiderio ſalutis alienæ parui pendere didicerit?

VI. Ardens hoc proximi iuuandi ſtudiũ euidentiſsimũ amoris diuini eſt argumẽtũ: qui cũ ſemel hominẽ occuparit, eũ quaſi de ſui poteſtate deiectũ ita Dei obſequio mãcipat, vt quidquid cogitet, loquatur aut agat, id omni eũ ſolũ ſpectet cuius ſe totũ volũtati conſe-

conſecrauit. quin etiam non raro ta
menti animus eius impetu ad Deu
dum abripitur, vt præter hunc ni
oculis, auribus, guſtu, odorati
poſſit percipere. nam ſi ei quidp
mundi negotijs narres, ſi rerum f
venuſtatem ob oculos ponas; hæc
vt non intelligat, ita videt vt vider
adeertat. Si reſponſum ab eo exſp
hil audies, niſi quod eum ſpectet, c
uiſſimo amoris nexu, tamquam
mis catenis aſtrictum ſentit. Pro
hominem vehementiſſimis febriu
ribus æſtuantem, ſiti prope co
grauiſſimis capitis, dentium, ali
membrorum doloribus oppreſſu
hic aliud loquitur, præterquam de
re, aridiſſima ſit; moleſtiſſimiſque
bus? loquere cum eo de vanis m
luptatibus, honorum ambitu, di
cenſu, magnifico veſtium epul
apparatu; quo plura de huiuſmod
commemoraris, eo acerbiores ei
moleſtias effeceris, nec alium ex eo
nem elicies, quam quo de dolor
conqueratur. Idem quoque hom
dere ſolet, qui cæleſtibus hiſce flam
nitus incaluit. nihil cogitat, nihil
præter ignem illum, quem in inti

mæ præcordiis circumfert: cetera ei omnia de aliis rebus colloquia nauſeam mouent. & vt ii, quibus inſperato ingentes opes, inexſpectata dignitas, aut alia præter opinionem bona obuenere, de nullo alio libentius quam de præſenti ſua felicitate agunt, nouamque iterum animo voluptatem capiunt, quoties quempiam de ea loquentem audiunt; ita quoque omnis eorum, qui cæleſtes has diuitias adepti ſunt, cogitatio, omnis ſermo, perpetua cæleſtium bonorum commemoratione occupatur.

VII. Spiritus ſanctus ſe Apoſtolis ignitarum linguarum ſpecie oſtendit, vt eos commoneret, diuini amoris ignem ab iis toto orbe in mortalium animis igneis linguis ſucendendum eſſe, homineſque ignorantiæ tenebris inuolutos, & per vitiorum deuia cæcorum inſtar errantes veræ fidei eruditione illuminandos, & ad Dei rerumque cęleſtium cognitionem & ſtudium perducendos. Hiſce etiam linguis indicari videntur familiaria illa Dei cum anima in meditatione colloquia: cum nimirum anima ingenti amoris æſtu ſuccenſa, præter Deum nihil optat, nihil cogitat, nihil loquitur, aſſiduoque cum eo colloquendi deſiderio mentem ſuam frequenti orationum iaculatoriarum niſu, ad Deum erigere, af-

ſectumq; in cælum ad dilectum ſu
contentis amoris neruis eiaculari
VIII. Apoſtoli ignitis hiſce l
ſtructi loquuntur magnalia Dei.
unt quotquot ex animo Deum di
enim de Deo ſemper loquũtur, l
prædicant, magnitudinem extoll
di amatores mundanas ſemper v
commoda, dignitates, & quæcu
ſpectant, in ore habent: qui v
ſerio amant, ii magnopere ſe
de Deo diuiniſque rebus delect
tera omnia, quæ homines admi
deſpiciunt, tamquam prorſus i
quibus aut cogitet, aut loquatur
mus animus ad Dei imaginem
tus, pretioſiſſimoq; Chriſti ſangu
ratus. Et ſane quid eſt in rerum n
gnum aut admiratione dignum, ſ
comparatur? quid diuitiæ, qui
tes, quid gaudia, Deo cæleſtibuſ
honoribus, voluptatibus colla
ſunt præ hoc auro, guttula præ h
præ ſole hoc dubia lucernæ flam
ſecta Deum vt perſpicue eius di
gnitatem, magnificentiam, volup
gnoſcas, earumque memoriam
animo, ſemper in ore habeas.
IX. Iudæi auditis inuſitatis Ap

Digitized by Google

ſermonibus temulentos eos muſtoque plenos putant. & erant ſane ebrii omnino muſtoque (longe tamen alio quam Iudæi opinabantur) pleni: repleti nempe cæleſti muſto, diuinoque vini flore inebriati. O beatam optabilemque ebrietatem! ô felicem animam tali potu exhilaratam, quæ in cæleſtem vini cellam admiſſa, diuini amoris merum plenis ſcyphis hauſit! quæque tota generoſiſſimo muſto è ſanguineis dilecti ſui prælis manante perfuſa eſt! O vinum inter omnia vina generoſiſſimum, diuinæ miſericordiæ ſole ad ſuauiſſimam maturitatem excoctum, ſaluberrimo crucis prælo expreſſum, & à Spiritu ſancto tam copioſe mortalibus propinatum: quam beate cum ea anima agitur, quæ ex hoc amoris poculo ebrietatem ſuxit: quæ præter hoc vinum nihil cogitat, nihil loquitur, nihil odoratur, cui præter hoc vinum nihil ſapit? Deſideraſne vini huius efficacitatem cognoſcere? Apoſtoli, qui ante quam hoc vinum bibiſſent, ita Iudæorum crudelitatem timebant, vt omnem prope hominum conſpectum, & propriam etiam vmbram horrerent, poſt quam vinũ hoc guſtauere, ita animo corroborati confirmatique fuere, vt nec verbera, nec mortem metuerent. Quin immo vini huius tantum odore afflata tria hominum

millia, quorum pars magna paul
bidis clamoribus Chriſtum Dom
crucem poſtularat, repente ita a
mutata fuere, vt damnatis priori
tiis ad Chriſti ſe cultum venerati
continuo reciperent. Tantum ad
ferreaque pectora emollienda val
roſiſſimi vini halitus. Ora Spiri
ctum, vt ipſe animum tuum hoc
pleat, intellectum hoc mero imbu
tatem diuino hoc nectare inebri
denique animam hoc vino perfu
memque à te omnem cæleſtium
rum paſtu depellat; vt tandem p
vinum nihil oculis videas, nihi
audias, nihil odoratu percipias,
ſtes, nihil loquaris, nihil deſider
enim in huius vini potu, inutilis e
rantia. Bibe anima mea, bibe inqu
tietatem, ad ebrietatem. caue in
ſobria abſtemiave inueniare; ſed
mulenta, ebrioſa, vinolenta. Vt
huius vini ebrietas, ſalubris optab
mulentia: quæ ſi te occuparit, e
perducet, vt te magna animi fiduci
diuinæ voluntati permittas: qu
ceris, deinceps nihil intelliges, ni
nihil optabis, niſi quod Deo prob
liges: nihil fugies aut horrebis,

Digitized by Google

Deus pariter fugiendum horrendumque iudicabit: quod ſolum eſt peccatum, longe atrociſſimis inferorum ſuppliciis horribilius atque execrabilius. Aueſne intelligere num in te hic ſpiritus habitet? inſpice mores tuos, & conſidera num ſis cum in omni ſermone, tum in actione compoſitus ac ſedatus; alienus ab omni morum leuitate animo & cogitatione caſtus, mitis, hilaris; in cibo potuque temperans; conſtans in bene ſuſceptis rebus perſequendis; in aduerſis patiens, humilis, lætus, nauus, animoſus, obediens, pacis ſtudioſus quique proximum tuum ſicut teipſum ames illius cauſa, quem plusquam teipſum amare debes.

DIES QVARTVS.

De ſeptem donis Spiritus ſancti.

1. PErcurre animo diligenterque tecum expende ſeptem hæc Spiritus ſancti dona, & præcipue donum ſapientiæ, intellectus, conſilii & ſcientiæ: omnis enim vera ſapientia, intellectus, conſilium, ſcientia, à Deo exſpectanda eſt. Ex quo intelligere poſſumus, omnem mundi ſapientiam, intellectum, conſilium, ſcientiam pro nihilo habendam, & tamquam excordem inſanamque præ diuinis donis deſpiciendam. neque enim ſapientia ea nominanda eſt,

Digitized by Google

quæ plane à ſumma Dei ſapientia
quod mundi ſapientiæ proprium
quam maxime ſemper diuinis iu
uerſatur. Hæc enim in maximis
merat, ingentes diuitias poſſidere,
honoribus ſemper ad altiores con
concatenatis rerũ proſperatum ſe
perfrui, agrorum fines proferre. op
accumulare, omnium ore laudari
que, demũ integra ſemper valetud
ribus horum omnium fructum ca
uerſo vero Deus paupertatem co
mundi honores deſpicit, rerum ad
patientia recreatur, diuitibus exp
perpetuumq; è regno cælorum ex
minatur, denique monet fieri vix
idem bene ſibi & mundo obrem
modumq; difficile eſſe, vt quiſp
hic præſentibus diuitiis abunde
ceps in altera vita æternorũ bon
feſſionem aſſequatur. Expende h
telligentię aſſentiri, cuius ſcientiæ
que malis credere; vtrius conſili
fallere poſſint: cuius comminatio
extimeſcendas, & cuius prom
magis fidendum putes; Deinde
quod cum deliberaris, ea decerne
quæ vtiliora tutioraque iudicaris
11. Duplex eſt fortitudo, alt

rum, animorum altera, illa nos complures ſuperant belluæ, animi vero fortitudine, quæ in ſolis animantibus ratione præditis inuenitur, excelluere plurimi Sanctorum, qui magna alacritate, ſerenoque vultu acerbiſſima tormenta pertulere. Inter quos fuere non pauci pueri puellæque, qui decimo quinto, decimo tertio, nonnulli etiam duodecimo vitæ anno immania prorſus & atrociſſima ſupplicia læti ac hilares ſuſtinuere, magnaque generoſitate tyrannorum crudelitatem, efferatamque truculentiſſimorum tyrannorum ſæuitiam, vt grauioribus ſi poſſet, in ſe tormentis ſæuiret, ridente vultu excitauere. Huiuſmodi fortitudo à ſolo Spiritu ſancto infirmis hominum pectoribus ſubiici poteſt; cum tantum robur longe omnem mortalium virium fortitudinem excedat.

III. Illuſtre huius fortitudinis exemplum hic in Apoſtolis inuenimus, qui antequam cæleſti hoc robore confirmarentur, magno pauore ac trepidatione exanimati domeſticis ſe parietibus tamquam inertes ignauique milites continebant, ad omnem ſtrepitum & vmbram extimeſcentes: at vbi nouam hanc fortitudinem Spiritu ſancto è cælis delapſo cōcepere, omni timore ac trepidatione excuſſa, non vltra hoſtium minas

aut flagra, aut vulnera, aut mort
que exhorruere, ſed contra, *ibant*
à conſpectu concilii, quoniam di
Act. 5. *ſunt pro nomine* IESV *contumelia*

IV. Frequentia quoque & egr
lis fortitudinis exempla quotidie
in plurimis adoleſcentibus, & vi
qui in ipſo ætatis flore conſtituti,
votis expetiti, diuitiis, nobilitate,
ad ſumma quæque nati, mundo
nibus eius deliciis repudiato, relic
tibus, cognatis, amicis, opibus, h
ad humilem ſe auſteramque viu
onem recipiunt, Deo ſe ſuaque o
ſecrantes, cuius amori quidquid
ta ex opibus, honoribus, amicis,
rebus creatis, ſuaue aut iucundu
poterant, magna animi conſtanti
nunt. Nam ſi verum eſt quod ſa
docent, neminem eſſe, qui ſine pe
uinæ gratiæ cæleſtiſque auxilii o
bonam aliquam cogitationem
poſſit; qui fiet vt quiſpiam ex ſe, a
cellenti Sancti ſpiritus impulſi
xime ardua difficillimaque pieta
aggredi poſſit, inter quę longe diffi
eſt, diuini obſequii cauſa mund
tias, honores, voluptates, omniaqu
tinentia fortiter conſtanterque r

Quam rem qui humanis tantum conſiliis amicorumque inductione perſuaderi cuipiam, atque qua par eſt conſtantia ſuſcipi poſſe exiſtimat, haud ſane procul ab hæreſeos errore abeſt. tantum enim eſt ac ſi crederet, pias à nobis cogitationes haberi, & opera virtutum exerceri, ſine peculiari diuinæ gratiæ ſubſidio poſſe. Nec minus profecto à veritate aberrabit, ſi quis ambigat, num huiuſmodi à mundo defectio inter pia ſanctaque opera ſit numeranda: cum de hac re nemo dubitare poſſit, qui non pariter dubitet anne Dei conſilia pia ſanctaque exiſtant, qui diſertiſſimis verbis, homines ad mundum omniaque quæ mundum ſpectant, honores, opes, voluptates, amicos, parentes, quin etiam ſeipſum deſerendum hortatur. Et eſt ſane ad hoc efficiendum magno animo ingentique fortitudine opus, quæ longe militarem omnem generoſitatem, vireſque mortales excedat ſeipſum etenim vincere, honores, fortunas, voluptates à ſe abdicare, parentes, cognatos, amicos deſerere, nulla mortali fortitudine aut conſtantia concipi, aut effici poteſt; cum hæc omnia longe humanis viribus ſint grauiora.

v. Sequitur inter dona Spiritus ſancti pietas & timor Domini, ſine quib. fruſtra in

huius vitæ incommoda, toleratu iucunda redduntur: Quin immo ſi animam diuino hoc amoris igne ſuccenſam in flammas inferorum præcipitaueris, iſtos illa ignes & ardores ridebit, quamdiu diuini in ea incendii æſtus dominabitur, quanto ergo leuius illa omnes vitæ huius cruciatus ridebit, quanto facilius omnes mundi pollicitationes fugaceſque honorum fumos, diuitiarum voluptatumque illecebras deſpiciet, cum de cæleſtibus cogitabit, quæ tanto interuallo mortales omnes opes & gaudia ſuperant, quanto terras cælum, immo quanto Deus ipſe creata omnia excedit.

DIES QVINTVS.

De apparitione B. Stephano facta.

1. REferunt ſacræ literæ Stephanum ita plenum fuiſſe Spiritu ſancto, gratia, ſapientia, fide, & fortitudine, vt è Iudæis nemo orationi eius poſſet reſiſtere. nec ſane mirum. fruſtra enim eſt quidquid ab homine contra Deum tentatur, inſana atque impar nimium cum tam potente contentio. Propone tibi Stephanum diuino igne ardentem, impauide in medio Synagogæ diſputantem: neminem hoſtium veretur, nulli parcit, improbitatem eorum imperterrite coarguit, reprehendit, caſtigat. Quo docet

nos, in religionis negotio, & cum a
ritas oppugnatur, nec hoſtium po
nec mundi indignationem, nec a
vim, nec verbera, nec cruciatus,
tem ipſam metuendam eſſe.

II. In conſtanti hac Chriſti pro
videt Stephanus cælos apertos,
ſtantem à dextris Dei: en dignam
ſtri profeſſione compenſationem.
hanc Stephani conſtantiam, & non
le virtutis tuæ præmium exſpecta.
frequenti cogitatione tibi propoſu
eſt in hac vitæ breuitate quod te p
aut conſtantiam poſſit infringer
enim regnum cæleſte laboribus
mium eſſe præfixum videris, qui
duū nimis aut difficile videri poter
te propugnatorem & patronum in
deris habere Chriſtum, quem vlt
metuere? cum nulla ſit vis, nullum
nec in cælo nec in terra, quę cum h
pugnatoris virtute ſint conferenda

III. Conſidera quomodo Deus
hac vita, merita ſuorum remunere
Stephano adhuc in terris cum hoſt
fligenti, gloriæ ſuæ conſpectum
quod humanæ intelligentiæ longe
mnes excedit. Idem quoque indic
venire conſtat, qui toto affectu Deo

Digitized by Google

contendunt: hi enim ex certa Chriſti promiſſione, etiam in hac vita, dum perfectam æternæ gloriæ mercedem exſpectant, centupla hic virtutis ſuæ compenſatione arrhæ loco perfruuntur. Conſidera animi tranquillitatem eorum, qui Deo ſeruiunt, internam pacem, mentis ſerenitatem, hilaritatem, conſtantiam, ſecuritatem: quanta ſit eorum inter ſe beneuolentia, conſenſio, familiaritas, & in mutuis officiis exhibendis alacritas & promptitudo; cum è diuerſo ii qui mundum ſequūtur, perpetuis animi tumultibus agitentur, curis, ſollicitudinibus, cupiditatū variarum diſſidiis perturbentur, mœrore, ira, odio, inuidentia conficiantur; nec denique vllum vnquam tempus ſit quo omni animi perturbatione vacent.

IV. Animaduerte Dei amicos numquam ab eo omnino deſtitui: quippe qui Stephano in medio hoſtium conſiſtenti, ſpectandum ſe offerens animos ei alacritatemque addidit, & vires contra omnes hominum dæmonumque machinationes ſubiecit. Idem ceteris quoque Martyribus ab eo fideliſſime præſtitum: quorum non pauci tam inuſitato robore muniti fuere, vt in maximis cruciatibus conſtituti moleſtiam nullam perciperent, nonnulli etiam magna voluptate perfruerentur.

V. Iudæi

v: Iudæi Stephanum magno t
rabie, Synagoga & vrbe eiectum,
obruunt. Quorum facto docem
quot Deo conſtanter ſeruiunt, eiq
bare ſtudent, à mundi aſſeclis deſp
ex eorum cœtibus & conciliis ex
turbarique ſolere. Sed vt Stephan
lætitiæ cauſa fuit hæc impiorum in
cum inuſitatam inde animo lætitia
peret, quod ſe tandem dignum à D
tum eſſe intelligeret, qui pro nomi
contumeliam pateretur: ita etiam
Dei amicis, magnam voluptaten
ſolet ſimilium afflictationum to
maxime cum animum ad Chriſti c
atque ad præmia ſuæ patientiæ p
referunt. quid enim iucundius iis
poſſet, quam malorum perpeſſione
Deo ſuo perfectiſſime aſſimilari?
telligunt maximum eſſe diuinæ in
volentiæ argumentum, à qua ſe al
è tot hominum millibus delectos v
aliquibus moleſtiis in hac vita pro I
ria toleratis, æterna cum Stephano c
præmia poſſideant.

vi Stephanus imitatus exemplur
ſti pro inimicis, Deum obſecrat, ne
illuſtri exemplo ad idem faciendu
sat. Hi enim ſunt à quibus magnur

beneficium impenditur, quippe qui vi nos quodammodo ad cælum compellant. vnde tanto ſtudioſius pro iis nobis obſecrandum eſt, quanto acrius nos inſectantur: cum hoc pacto (niſi noſtra nobis ignauia deſimus) ampliorem meritorum ſegetem offerant; proinde huiuſmodi inſectatores, cum Stephano, inter inſigniores amicos, qui optime de nobis mereri ſtudent, referre deberemus; cum ab iis multis minimeque vulgaribus quotidie beneficiis afficiamur. Hi enim nos in propriorum defectuum cognitionem, quaſi manu ducunt, induſtriam noſtram exacuunt, frequentibuſque nobis experimentis, quantum in virtute proceſſerimus, oſtendunt, ad vitæ correctionem extimulant, magnumque animo calcar addunt ad omnem perfectionem conſequendam. Denique ſi ab iis vitam nobis eripi contingat, nobiliſſime nobis coronæ in cælis promerendæ occaſionem præbent. Cum è diuerſo amici vix vnquam vitia nobis noſtra indicent, defectus, ne nos offendant, vt plurimum diſſimulent; immo nonnunquam etiam nobis placendi ſtudio probra noſtra & peccata moreſque deprauatos extenuent, excuſent, & ſubinde etiam laudent.

VII. Obſerua quem orationis ſuæ fructum Stephanus conſecutus ſit: cuius efficacitas

cacitas magnum eccleſiæ Paulum
atque ex perſecutore, vas electio
Chriſtianæ præconem, gentium
lum effecit, à quo Chriſti nomen
ne orbe publicatum fuit. Tantæ e
tiæ eorum deprecatio, qui Dei ſe c
conſecrarunt, tum pręſertim cum re
uerſarum moleſtiis exagitantur: co
plioris quo propius à morte abſun
enim tempus orationi aptiſſimum,
à Deo exaudiantur maxime opo
vbi enim precatio cum cruciatuum
tia conſpirarit, ampla ei impetran
quid pętierit, ſpes aperitur.

VIII. Conſidera cruciatuum B. S
ſeriem, ac deinde præmii dignitatem
cito eum ſaxorum ictus è vita & d
expulſum, in cæli regiam extulerun
exiguo tempore tam amplum p
promeruit! quis non moleſtiora
que morbo ſubinde totis menſibus
fixus incommoda ſuſtinet? percurr
morborum genera, dolorumque
tem cum ſingula prope corporis vi
prio doloris morſu hominem exc
quorum nonnunquam tam eſt int
lis ſenſus, vt animam ante diem
cogant excedere. & huiuſmodi dol
quamdiu hac vita fruimur, obnox

Digitized by Google

mus: nullus ab his immunis, tam regem quam mediaſtinum, tam locupletes quam inopes, ſuo tempore inuadunt, acerbiſſimiſq; cruciatibus paruo ſæpe aut nullo patientiæ pretio affligunt. Cogita quanto illi prudentiores, qui cum Stephano ceteriſque martyribus vitam ſuam Dei cauſa morti offerunt, qua ſubinde minoribus moleſtiis defunguntur, quam ii qui natura deficiente, aut morbis, nulla vi exterius illata occidunt. Et profecto quid intereſt, interiuſne calculi aculeis viſcera conſcindantur, an exterius membra tortorum ſecuribus lanientur? num anima inteſtinis febrium ardoribus, an lictoris manu è corpore expellatur? ſpirituſne deſtillatione in fauces labente, an laqueo intercludatur? ſeu colico dolore, ſeu eculeorum fidiculis exprimatur? Inter dolores ſane parum intereſſe comperiemus, at inter præmia quam plurimum; tantum nimirum, quantum nec verbis explicari nec animo capi à quoquam in hac vita poteſt.

DIES SEXTVS.

De apparitione Chriſti Paulo facta, eiuſdemq; conuerſione. Act. 9.

1. PAulus vnus è præcipuis Chriſtiani nominis hoſtibus, qui à prima ætate odium in Chriſtum imbiberat, à Chriſto

delectus fuit vt in eo benignitati
tientiæ, & liberalitatis vim oſten
eum cum ardentiore impetu in
rueret, Chriſtus è cęlo efficaci or
culit ac repentina commutatione
norum exagitatorem in eorumd
nem defenſoremque conuertit.
iam inuſitatis gratiæ ſuæ donis c
ab impia prioris vitæ ſæuitia, a
tudinem, benignitatem, carit
raſque virtutes homine Chriſ
turoque gentium doctore dig
xit. Quæ Chriſti benignitas c
debet. 1. numquam omnino ani
ciendum eſſe, licet videamus bo
noſtræ partē in ſceleribus & flagi
abſumptā, modo deinceps diuini
bus acquieſcere, & gratiæ Dei co
negligamus. 2. debere nos etian
nos acerbius inſectantur bene m
Paulo à Chriſto factum videmus
etiam inuitis, dum vehementius
uehuntur, benefacere, eorumq
quærere. Nam ſi Chriſti veſtig
velimus, maior debet eſſe noſt
micos caritas, quam ſit eorū in
aut maleuolentia; ita vt noſtræ c
pia maleuolētiæ eorum flammā

11. Vide quomodo Paulus di

luce perfundatur, quæ omnes ignorantiæ tenebras diſſipat, terramque ab eius animo vitiorum noctem profligat. Ora Deum vt ipſe quoq; animum tuum illuminet, atque à te omnes prauarum cupiditatum nubes arceat, rerum periturarum impedimenta tollat, omnemque ab intellectu rerum diuinarum ignorantiam excludat.

III. Vide eum mira Dei virtute ad terram proſtratum quam cito ſuperbia eius compreſſa eſt, quam repente furor omnis reſedit, odium elanguit, minarum procellæ euanuere. Idem accidere ſolet iis omnibus qui ſe inſolentius rerum ſuarum confidentia efferunt, cum Deo faſtum eorum comprimere placuerit. Sic quoq; nonnunquam videmus homines maxime efferatos, intractabiles, arrogantes, improbos, mundo addictiſſimos, momento temporis, in modeſtiſſimos, manſuetiſſimos, faciliſſimos, pietati diuinoque cultui addictiſſimos Dei virtute commutari. Roga Deum, vt eandem in te, quam in beato Paulo, animi commutationem efficiat.

IV. Expende illa Chriſti verba, *Saule Saule quid me perſequeris?* quibus docemur ab iis Chriſtum exagitari, qui eius diſcipulos & ſectatores comminationibus, moleſtiis, aliiſque iniuriarum offenſionibus laceſſunt. Act. 9.

ceſſunt: vti & ab iis qui aliorum
inſtitutionem tum verbis tum fa
dant, alios à diuinis conſiliis dete
à rerum diuinarum ſtudio, ad ter
gotiorum tractationem abducere

v. Vide quam efficax Chriſti v
cuius vi tam repente Pauli furor &
manſuetudinem & lenitatem co
animuſq; in tantis flagitiis obſtina
tinuo ad prioris vitæ deteſtatione
litur. Eadem verbi diuini efficac
thæum à vectigalium exactione
Ioannem, Iacobum à piſcatione a
latum traduxit; Magdalenam à
ſolutaque viuendi ratione ad pian
remque conuertit.

vi. Hiſce aliiſque ſimilibus C
bis ſeu voce exterius, ſeu arcanio
ctu menti obiectis tot viri, mulie
leſcentes magna alacritate mund
ditiis expediuere; opes, dignitates,
tes repudiauere, ac pedibus conc
quæ mundi huius ſectatores tam
petere, quibuſque partis tam ten
lent adhæreſcere, hæc verba tot vi
enſes, ad ignes, ad acerbiſſima torm
trepide excipienda adegere, ne p
virtuti ſuæ minimam labeculam p
aſpergi, hæc verba complures no

regum imperatorumue genere prognatos docuere ſceptra, diademata, purpuram, amplisſima imperia deſpicere, vt integrum illibatumque Deo virginitatis ſuæ florem conſeruare poſſent. hæc denique verba, tot anachoretarum millibus ſolitudines, tot religioſis monaſteria compleuere. Videamus quam alte nobis ad animum huiuſmodi Chriſti verba penetrent, quibus nos etiam non raro compellat, atque ad ſequendum ſe inuitat: inſpiciamuſque an non ſtudioſius mundi inuitamentis, quam Chriſti conſiliis obtemperemus? quod ſi facimus, non eſt quod ab alio, quam à mundo, quem præ Chriſto ſectamur, laborum mercedem exſpectemus.

VII. Tantam horum verborum efficacitatem non tantopere admirabimur, ſi attenderimus, ea à Deo proficiſci, qui mundum vniuerſum verbi ſui virtute è nihilo produxit. vnde intelligemus magis mirandum eſſe, ſi quando aliquem videamus, qui tam potentibus verbis non commoueatur, quique amplius mollibus languidiſque mundi illecebris, quam diuinis commonitionibus inflectatur. Cælum & terra vno Dei verbo contremiſcunt, & homo nec frequentiſſimis quidem Dei verbis pollicitationibuſque quidquam commouetur. Conſide-

rabis

ra hic quantum Deo singuli debeamus, qui tam multis variisque rationibus vtitur, vt nos ad se attrahat atque ad amandum pelliciat. cum nos interim toties ab eo profugiamus, & cohortationes eius surda aure transeamus. Ille tamen tanta hac nostra proteruia quasi nihil offensus, non desistit varia adhuc quotidie, quæ nos ad saniorem mentem adducere possent, officia magna beneuolentia adhibere.

VIII. Obserua quam perspicue Christus hisce verbis, *Quid me persequeris?* insinuet, sibi iniuriam omnem irrogari quæ amicis suis infertur. Quod si ita est, quam admirandæ hoc eius pro suis sectatoribus curæ & solicitudinis est argumentum, quorum se incommodis & calamitatibus, non minus quam sibi illatis commoueri testatur? quod
Mat.25. & alibi asseruit cum ait: *Quamdiu fecistis vni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* quod tam de insectationibus, calumniis, verberibus, quam de eleemosynæ, beneuolentiæ & caritatis officiis, iis impensis intelligitur. Quod aperte declaratum habemus in descriptione extremi Iudicii, vbi omnia sibi facta esse commemorat, quæcumque amicis eius facta iudicandi asserunt.

IX. Audi Paulum interrogantem *Domine quid me vis facere?* quam subito ex persecutore Christi est redditus discipulus, quã

cito ex lupo ouis, ex capitali hoſte, filius obſequentiſſimus, paratus omnia exequi, omnia pati, hoſtium inſectationes, vincula, carceres, flagra, vulnera, mortẽ denique, & ſi quid morte aſperius inueniri poſſet? Imitare Paulũ in omnibus actionibus, dic cum eo, *Domine quid me vis facere? paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Psal. 56 Impera quidquid placuerat, onere iniice, vinculis conſtringe, cæde, vre, ſeca, mundi ludibriis me obiice; irruãt in me omnes aduerſitatum procellæ, omnes mũdi immo & inferorum (ſi ita diuinę voluntati viſum fuerit) cruciatus me occupent, fiat voluntas tua. Tu etenim ſi mecum es, quid hæc omnia nocere poſſunt? Quæ me vis, quæ tela, qui hoſtes, qui dolores, quæ tormenta, exilia, egeſtates, morbi, miſeriæ obruere vnquam poterunt, quamdiu protector mihi, defenſorq; ades? hæc enim omnia animæ, quam tuo præſidio tueris, ludus tantum ſunt & iocus.

x. Auſculta Chriſtum reſpondentem, *Ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Chriſtus qui vnico verbo omnem ſuam voluntatem Paulo explicare poterat, mittit eum in ciuitatem, vt ibi eam intelligat. quo moneri nos voluit, in rebus dubiis, quæque ad animæ ſalutem pertineant, conſiliis nos ſuperiorum noſtrorum

ſtrorum debere acquieſcere, ſi cum ſecuritate: magnos in virtutum ſtudio progreſſus facere velimus.

XI. Paulus poſt hæc verba cum ſurrexiſſet, nihil oculis videbat, ſed à comitibus in ciuitatem deductus fuit. Diſce exemplo Pauli ſtatim Chriſti parere monitionibus, tam in deprauata vita corrigenda, quam in virtute proſequenda, vt te quam potes arctiſſima beneuolentiæ neceſſitudine cum eo deuincias. Obſerua etiam quoties te Deus ad deſerenda peccata inolitaſque peccandi conſuetudines abrumpendas, ad edomandas vitiatæ naturæ cupiditates adhortetur, quamque oſcitanter huiuſmodi eius adhortationes auſcultes? quam raro voluntatem tuam ita diuinæ ſubmittas, vt eadem omnino cum Deo velis & nolis. Ora Deum vt etiam reluctantem voluntatem tuam ſalubri violentia, vt cum Paulo hic egit, ad ſuam inflectat. Diſce à Paulo prompte ſine vlla tergiuerſatione obedire, Deumque vocantem continuo ſequi. Imitare eumdem toto animi impetu priores vitæ prauitates deteſtantem, corrigentemque, ac tanto maiori contentione laborantem diuinis imperiis obſequi, quanto antea ardentiore impetu contraria ſtudia fuerat perſequutus.

XII. Pau-

Digitized by Google

XII. Paulus toto triduo visu orbatus, precibusque intentus cibo abstinuit. Egregia hęc argumenta animi serio se ad Deum recipientis, 1. cæcum esse in iis quæ mundum resque perituras spectant, solosque animi oculos ad cælestia contemplanda apertos habere. 2. Precationi deditum esse. hęc enim compendiosissima ratio est ea impetrandi à Deo quibus indigemus, idque eo celerius & abundantius quo prolixius ferventiusque orationi vacamus. Orationis vis & efficacitas passim in Scriptura perspicuis rationibus atque exemplis patet: in Abrahamo, Moyse, Dauide, Salomone, Petro, Paulo aliisque prope innumeris. 3. Ieiunio corpus affligere. Deus enim ieiuniis suorum commotus mira quandoque & inusitata operari solet. Niniuitæ aliique complures exemplo esse possunt.

XIII. Christus Ananiam monet vt Paulum quærat. cui Ananias respondet, *Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem.* cui iterum Christus: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomẽ meum corã gentibus & regibus & filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eũ pro nomine meo pati.* E quibus verbis discimus 1. ingẽs esse inter Dei & hominum iudicia discrimen. 2. quam turpiter

sæpe in suis iudiciis homines hallucinentur. 3. magnopere cauendū esse ne temere quidquam in alteram partem de alio iudicemus, cum interiora nobis minime nota sint, quæ diuinis tantum oculis patent. 4. Deum plerumq; eos, quos peculiariter ad aliorum salutem destinauit, illustrioribus virtutū præsidiis instruere, & pro gratiæ magnitudine grauioribus eos etiam afflictionibus obiicere. Quam agendi rationē etiam æternum Patrem cum vnigenito Filio suo, ipsumque Filium cum amantissima matre, carissimis Apostolis, ceterisque suis sectatoribus seruasse constat. vnde patet clarissimam hanc esse notam peculiaris amoris Dei in eos, quos similibus difficultatibus affligi patitur.

DIES SEPTIMVS.

De vita, morte, præmio Sanctorum, & præsertim de obitu Deiparæ Virginis, eiusque in cælos assumptione.

1. CONsidera discrimen quod est inter vitam Sanctorum, & eorum qui mundi studia sectantur. Obserua in Sanctis vitæ tranquillitatem, animi pacem, virtutum frequentia exercitia, nihil eos optare, nihil ambire præter Deum solum, in quo thesau.

thesauros suos omnes, opes, dignitates, gaudium, omne denique bonum suum reconditum esse sciunt, hinc perpetua conscientiæ securitate confidentes se suaque omnia diuinæ prouidentiæ permittunt. E diuerso considera in hominibus huius sæculi continentem prope animi perturbationem, cogitationum tumultus, cupiditates insatiabiles, auaritiæ inexplebilem sitim, honorum ambitionem, voluptatum ardentes appetitus, & hæc omnia internis odiis, inuidentia, liuore permixta. Inquire in teipsum & vide è quorum sis numero.

11. Discrimen quod inter mortem proborum & mundanorum interiacet. quanta animi anxietate, quibus conscientiæ stimulis, quanta perturbatione opprimantur ii, qui spem suam omnem in diuitiis, honoribus, voluptatibus, huius vitæ repositam habuere, cum aduenisse vident supremum illud tempus, quo hæc omnia, quæ tanto labore & sollicitudine quæsiuere, sint deserenda! quam acerbe animos eorum huiusmodi cogitationes effodiunt! quid de thesauris eorum fiet? quis bonorum possessor futurus? quid secum è tantis facultatibus auferent? Contra vero quanta animi pace & tranquillitate, supremam horam ducentem ad immortalem vitam possessionemq;

Digitized by Google

æternorum bonorum exſpectant, qui cogitationes ſuas omnes, omnia ſua ſtudia dum viuerent ad Dei obſequium direxere, & frequenti præmeditatione ſe ad fatalem hanc neceſſitatem comparauere! nec enim tunc ea metuunt deſerere, à quorum amore diu ante affectum ſuum abduxerunt, ſed magis exultant quod tempus illud iam prox me adeſſe videant, quo ſunt poſſeſſionem eorũ bonorum adituri, quorum deſiderio toto vitæ tempore innumeros labores pertulere. Tum enim ſe ad laborum ſuorum terminum, & initium præmii ſempiterni attigiſſe conſpiciunt. Hi ſunt qui magna ſecuritate poſſunt dicere: Domine, tu noſti, nihil præter te, à nobis vnquam quæſitum aut optatum fuiſſe: tibi ſoli ſtudia noſtra laboreſque omnes fuiſſe conſecratos: tu modo fidem tuam, promiſſorum tuorum ſatisfactione exſolue.

III. Conſidera quanta ſit vtrimque mercedis & præmii differentia. attende primum quam inanem mundus ſuis ſequacibus mercedem perſoluat: ſepulchralem ſindonem, anguſtum loculum, exequiarum ad tumulum vſque aſſectationem, campanarum ſonitum, epulum funebre, cippum deniq; quo cadauer à viuorum conſpectu excluditur, & cũ his plerumq; in ſempiternis flam-

flammis cruciatum sempiternum. vide quid mundus, quid consanguinei, quid heredes defuncti meritis rependant: quid secum ex omni sua supellectile mortuus auferat, quid ii quorum causa tota vita laborauit, mercedis ei persoluant. At si beatorum prȩmia expendere volueris, nulla hæc facundia explicare, nullius ingeniũ concipere potest. Quis enim æternæ felicitatis magnitudinem, cælestium gaudiorum iucunditatem, sempiterni regni coronas, opes, dignitates animo capiat? quis assequatur voluptatem, quam ex perpetuo diuinȩ naturæ conspectu, æternaque eius familiaritate, amicitia, congressu, fructuque sempiterno percipient?

IV. Admirare vecordiam eorum, qui mundo tam pertinaciter adhærescunt, à quo tam malignam laborum compensationem accipiunt; atque è diuerso prudentiam Sanctorum, qui tam copiosam breuissimi laboris, in omnem æternitatem duraturam exspectant.

V. Quantum ad obitum beatissimæ Virginis attinet, considera incensum illius desiderium filii sui videndi, eiusque præsentia in æternum fruendi: ad quod omnis eius animus, omnis affectus continenter anhelabat. Item quantum desiderabat intueri regale illud tabernaculum, quod filius a-

mantiſſimæ ſuæ matri, cæli terræq; reginæ exerxerat; ſed præcipue ardebat ingenti cupiditate videndi ſanctiſſimam Trinitatem in æterno diuinitatis ſuæ ſolio conſidentem.

VI. Conſidera ad feliciſſimam hanc beatiſſimæ Matris in cælos profectionem Apoſtolos omnes, è remotiſſimis orbis plagis, diuina virtute adductos affuiſſe. Obſerua in iis permixtum cum inſigni lætitia mœrorem aliquem ex tantæ matris è mundo diſceſſu. Finge te Virgini Deiparæ morienti adſtare, atque in eius obitu, hæc tecum de morte philoſophare. 1. Si ne Chriſti quidem mater à morte immunis fuerit, eandem quoque tibi aliquando ſubeundam. 2. Quam ſit felix ac beata mors iuſtorum. 3. Quam ſecure moriantur expectantes promiſſæ ſibi mercedis ſolutionem: dum enim mors vitæ mortalis fructum præſcindit, aditum eis ad ſempiternam recludit. O felicem iis horam, qui ſe vita probe inſtituta ad eam præpararunt!

VII. Contemplare beatiſſimam animam, non doloribus aut infirmitate, aut ſenio fatiſcente natura, è corpore abire, ſed intolerabili deſiderio perfruendi aliquando conſpectu & præſentia dilecti ſui euolare: vt merito dicere poſſet, amore ſe ac deſiderio contabeſcere. corpus hoc nimis anguſtum

eſt

eſt animo tam ingenti amoris igne æſtuanti. Inueni quem diligit anima mea, cognoui eum & inueni, nec dimittam, prius quam me ſecum in regnum ſuum hinc abducat, atque in æternı Patris regia æternum victuram conſtituat.

VIII. Expende hic quanta cælum omne lætitia exultarit, cum reginam ſuam rege ſuo comitatam, exciperet. Inſpice innumeram prope Angelorum multitudinem, reginæ ſuæ obuiam prodeuntem, frequentiſſimam Sanctorum cateruam, beatiſſimæ Matri, quam ſalutis ſuæ parentem agnoſcebant, comitantem.

IX. Cogita quam inexplicabili lætitia Virginis animus fuerit perfuſus, cum ſe à dilectiſſimo filio ſuo ſalutari, atque vlnis excipi videret. Conſidera matrem eſſe, & talem matrem quæ à filio, & à tali filio excipiatur; inſpice mutuas inter vtrumq; amoris concertationes, talis matris affectũ cum talis filii pietate contendentem. Quod ferrum, quis chalybs in hac mutui amoris fornace non liqueſcat? cuius animus non deficiat, non modo tanti ardoris incendio correptus, ſed vel leui tãtum minimæ flammulæ ſtrictura ictus? Quomodo nõ vtrimque matris ac filii animi tãtæ caritatis ardore liquefacti in vnũ confluxere? Quis pro-

 digium

digium hoc intelligat? Deus solus: cum omnem hominum ac angelorum intelligentiam miraculi huius insolentia excedat.

x. Perpende tecum quam iucunda satietate felicissima hæc anima expleta fuerit in immensis illis sanctissimæ Trinitatis, gaudii & amoris cellariis, quam illã ebriam fuisse oportuerit tam excellentibus, tamque variis vinis satiatam: quibus illa sine comparatione abundantius, quam in primo Spiritus sancti descensu Apostoli omnes, impleta fuit. Idque vel maxime, cum filium suum è complexa, diuino eius pectore liberalissime omnis voluptatis vinũ suxit. Quis hanc Virginis ebrietatem, præter Deum ipsum explicabit? quis nobis, vt paululum de hoc vino gustemus, propinabit? Et vt defluentes ex eo guttas gustare tantum detur, quod gaudium, quæ iucunditas, cum hac suauitate conferri poterit? Etsi vero omnino nos indignos sciamus, qui tam prope ad hæc gaudia accedamus, supplicibus tamen precibus rogemus, vt liceat saltem tamquam catellis micas è diuina hac mensa colligere, stillasque è plenissimis calicibus defluentes lambere. quod vt facilius impetremus, benignissimam hanc matrem patronam pro nobis aduocatamque adhibeamus; quæ cælestibus hisce epulis tam abun-

abundanter paſta, indigentiſſimos filios ſuos fame ſitique exhauſtos, ieiunos à ſe arenteſque recedere non patietur.

XI. Nec ſolum beatiſſimæ animæ felicitatem, verũ etiam corporis expende, quod nulla poſt mortem tabe corruptum, glorioſæ rurſus animæ vnitum ſuper omnes angelorum choros euectum fuit. Nam cum eius anima numquam vllius peccati labecula aſperſa fuiſſet, neque ex primo parentum delicto culpam vllam contraxiſſet, æquum omnino erat vt ipſum etiam corpus pœnæ neceſſitate, Adami flagitio impoſita, ſolueretur, atque integrum ſeruaretur; ſicuti Adami corpus niſi peccato ſe contaminaſſet, diuina virtute ſeruandum fuiſſet. idque eo amplius decebat, quod Deus ipſe ex hoc corpore carnem & ſanguinem ſibi deſumpſiſſet. Conſidera ingens gaudium animę & corporis, quod ex amiciſſima illa renouata inter ſe ſocietate numquam iterum ſoluenda ſenſere: atque huius te gaudii magnitudine excita, vt alacriter deinceps animam & corpus diuinis obſequiis impendas, quibus tam ingentium bonorum cumulum in cælo præparatum eſſe intelligis.

XII. Inquire, quid tantæ gloriæ cauſam beatiſſimæ matri attulerit; & inuenies inter cetera potiſſimam fuiſſe miram eius animi

ſubmiſſionem. Percurre vitam omnem glorioſiſſimæ Virginis, & attende quam illuſtria huius aliarumque virtutum decora, clariſſime in ea eniteant. 1. ſtudioſiſſima cæleſtium gratiarum, quas tam abundanter à Dei manu acceperat, occultatio, vt ne quidem fideliſſimo ſuo ſponſo Ioſepho vllam harum ipſa per ſe indicaret. 2. Virginea eius, ad omnem ſuæ laudis ſuſpicionem, verecundia erubeſcentiaque. nam cum eam Angelus plenam gratia, benedictam inter omnes mulieres, ſalutaſſet, indicaſſetq; concipiendum ab ea Dei filium, tantæ laudis admiratione turbatur ac erubeſcit; quippe quæ ſe tantis præconiis Deiq; fauore indigniſſimam æſtimaret. 3. ſui vera deſpicientia. Intellecto enim ab Angelo, delectam ſe à Deo, vt filii eius mater eſſet, reſpondet:
Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* 4. Laudem omnem & gloriam à ſe in Deum diligentiſſime reiicit. patet hoc liquido, cum honorifice ab Eliſabetha ſalutata, continuo in hæc verba
Ibid. prorupit: *Magnificat anima mea Dominũ, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* 5. Humillima ſemper officia cupidiſſime amplectitur, vix ab Angelo ſalutata diuinæ voluntatis nuncium intellexerat, illico ad cognatæ ſuæ Eliſabethæ inſeruiendum properat, atque apud eam tribus menſibus famil-

liaribus

Digitized by Google

liaribus obſequiis occupata commoratur. 6. Loca obſcura abiectiſſimaque ſibi ad habitationem delegit. In Nazareth enim vrbe ignobili, domo anguſta ab Angelo inuenta fuit. In Bethleemico ſtabulo mundi Saluatorem peperit. 7. Magna diligentia Iudaicæ legis præcepta ritusque ſeruauit, quibus tamen nec ipſa, nec filius tenebatur; vt patet cum filium ſuum paſſa eſt circumcidi, cumque ipſa aliarum mulierum more, purgationis ritus, aliaque ſimilia ſpontanea ſubmiſſione obiuit. 8. infracta rerum aduerſarum patientia. Patuit hæc cum tam pacato animo inſtante partu, Bethlemi ab omnibus domo ſe excludi paſſa eſt: cum tanta conſtantia ſub filii cruce, eoſdem animo dolores, quos ille corpore, pertulit. Hæc aliaque complura vere ſubmiſſionis exercitia Chriſti matrē ſuper omnes Angelorum Sanctorumq; omnium choros extulerunt.

XIII. Applica ad hæc viuacius concipienda internos animi ſenſus.

1. Intuere Apoſtolos magno miraculo ad funus hoc celebrandum ex omnibus mundi plagis euocatos, infinitam prope Angelorum Sanctorumque frequentiam tum Virginem comitantium, tum viam omnem qua illi in cælum eundum erat obſidentium: Chriſtum matri in occurſum pro-

mum beatiſſimæ huius animæ, feliciſſimæque matris filium ſuum amplexantis, & nobiliſſima vulnerum eius veſtigia ſuauiantis.

Hebdomas tertia.

DIES PRIMVS.

De Deo vno in eſſentia, trino in perſonis.

vniuersa quæ habemus ab æterno illo numine pendeant, à quo si vel tantillum destitui nos contingeret, repente iterum omnes in primæuum nostrum nihil collaberemur. Quæ res vehementer nos excitare debet vt huic numini debitum semper cultum, obseruantiam, amorem, beneuolentiamque deferre satagamus. Et quoties in mentem venit, nos ex nobis ipsis nihil esse, nihil habere, nec posse ad vnum quidem momentum existere: ac sine ipso ne digitum quidem mouere, aut sensibus vti aut mente quidquam agitare, quam iusta nobis necessitas imponitur, vt eum semper in oculis habeamus, semperque ei cum omni sollicitudine placere laboremus: à quo nos & naturæ principium, & continuam vitæ rerumque omnium conseruationem quotidie habere intelligimus. Quid huic ergo Domino non debemus? aut quid in nobis habemus, quod ab ipso non acceperimus? quodque ex ipso non continenter pendeat. Cogita tecum si quempiam nosses, in cuius arbitrio fortunas tuas omnes, opes, honores, famam, vitam denique ipsam positam scires, tãtane tua esse posset temeritas & audacia, vt illo vidente atq; inspectãte imperijs illius opponere te nõ horreres? an nõ cũ

potius omni tibi obsequio demerendum conciliandumque putaras, quamdiu præsertim eius in te oculos defixos esse intelligeres? Iam vero an non certo certius nobis constat, quidquid aut cælo aut terra continetur in Dei manu, quæ cælum & terram implet, locisque omnibus intime præsens adest, positum esse. Qui fit ergo, quod ei non omni loco ac tempore debitum honorem, cultum reuerentiam, amorem, & obsequium exhibere studeas?

III. Diuinæ naturæ infinitas, causa est cur eam nulla creata mens comprehendere aut intelligere valeat: vnde fit vt Deus longe excellentior perfectiorque semper existat, quam cum humana vlla aut angelica intelligentia concipere possit: propone tibi millies centena sæculorum millia; infinities plura Dei complectitur æternitas. congere animo in vnum omnem bonitatem, sapientiam, potentiam quam vniuersorum hominum, ac Angelorum mens posset effingere; omnis hic omnium mentium cogitatione congestus virtutis aceruus, vix punctum ad immensam diuinæ naturæ perfectionem constituet. Cum enim finitus limitatusque sit omnium creatarum mentiũ intellectus, nunquã infinitã & illimitatam diuinæ naturæ perfectionẽ, circumscripta ingenij capacitate complecti possunt.

possunt. Percurre animo vastam mundi fabricam, centum millia cum libuerit, hac ampliores, ornatiores, momento exædificare potest: & quantumcumque ingentem mundorum creandorum numerum, apud te definieris, erunt adhuc semper infinities plures, quos æternus ille architectus nullo negotio architectari possit. Idem de sapientia, bonitate, ceterisque diuinæ naturæ proprietatibus dici potest, ita vt nulla creatura sit, quæ Dei sapientiam aut bonitatem cogitando ita comprehendere possit, vt non semper, quantumcumque cogitarit, infinities plura cogitanda relinquat. Vti enim nulla perfectio est, quæ vllo intellectu concipi possit, quæ non omnibus suis numeris absolutissima in Deo existat; ita nulla earum est, quæ non sit infinities, perfectior, quam vllius creatæ naturæ mente comprehendi possit. Ex quo sequitur, vt quidquid ab vlla re creata apte concinneque effici possit, idipsum possit à Deo infinite aptius venustiusque confici. quippe qui immensitatis suæ ambitu, omnem limitatam perfectionem, citra omnem defectum aut confusionem complectatur: ita vt nulla cogitatione virtus aut perfectio concipi possit, quæ non sit infinita distantia in Deo quā in re creata absolutior à quo

omnium creatarum rerum vires, proprietates, ornamentaque tanquam ex prima sua origine promanant. Propone nunc animo tuo quamcumque concipere & optare possis perfectionem. Si optas sapientiam, ingenij acumen, iudicij acrimoniam; hæc omnia in Deo perfectissima, nulloque errore vitiata sunt. Bonitatem desideras? in Deo hanc puram nullaque mali vmbra permistam inuenies. Pulchritudine delectaris? in Deo hãc nulla macula aut turpitudine deformatã habes: cum quasi omnium conditarum rerum pulchritudinem, venustatemque in vnum conflatam, composueris, fœda hæc omnia tetraque præ Dei specie iudicabis. Puritatem castitatemque amas? Deus ipsa puritas est & castitas, omnisque aliarum rerum mundities cum Deo collata, sordes sunt & lutum. Voluptatem appetis? nulla nec cælo nec terra inueniri potest, quæ cum ea quæ in Deo inuenitur, æquiparari possit. Immo quæcumque in rebus creatis voluptas & delectatio existit, ne vmbra quidem eius est, cum diuina voluptate composita. Quapropter cogita quidquid potes, opta quidquid desiderabile occurrit, multo id omne in Deo excellentius perfectiusque inuenies, quam vlla aut hominum aut Angelorum intelligentia, effingi

effingi posset: vt merito dicere queas: Anima mea, quid desideras? excogita quid concupiscas: omnia in Deo longe excellentiora melioraque inuenies, quam vlla creata mens queat excogitare. honoremne an diuitias, an voluptates expetis? in Deo omne bonum existit, à quo omne bonum promanat: & cui cetera omnia bona comparata quisquiliæ sunt. In solo Deo verus honor est & dignitas. nam ille quem mundus offert, honor inanissima est infamia, præ honore, quo in æterna felicitate amicos suos Deus exornat. In solo Deo liquidæ sinceræque sunt voluptates, quibus si mundi omnes amœnitates apposueris, tanquam stellæ in solis radio, ne cerni quidem poterunt. Omnes quoque creaturarum vires & potentiæ infinities in Deo perfectiores, quam in ipsis existunt. Quiquid cælum, sol, luna, stellæ, terra, aquæ ceteraque elementa producunt, longe per se excellentius Deus producere potest, quam omnes omnium creaturarum vires simul conflatæ. Percurre animo omnia Dei opera, nulloque negotio in admirationem diuinæ potentiæ rapiere. Intuere cælum, terrã, & quidquid ijs cõtinetur, hæc omnia te in profũdissimam diuinarũ perfectionũ cõtẽplationẽ abducent, atque ad eum per-

petuo laudandum prædicandumque excitabunt. Quibus ex rebus liquido colligere possumus, quæ sit inter eos, qui Deo & qui mundo seruiunt differentia, præsertim si mercedem quam mundus suis ministris proponit, cum ea quam suis Deus fidelissime persoluit, velimus conferre, vnde perspicue etiam vecordem eorum insaniam deprehendere possumus, qui contemptis infinitis diuinæ bonitatis dotibus, inanes futilesque mundi pollicitationes persequuntur, vanissima mundi bona, dignitates, voluptates, solidis perpetuisque Dei opibus, honoribus, gaudijs præponentes: cum tamen illa his comparata, vix vmbræ verorum bonorum existant. quæ omnia si accuratius inspexerimus, permirum videbitur, tam raros esse, qui perspecta tam immensa omnium bonorum, quæ vel optari vel cogitatione effingi possent, copia, eius se obsequijs addicant, à quo tantum operæ suæ & obsequij pretium exspectare possent. immo hominem vllum inueniri, qui cum præ oculis tam infinitum bonum habeat, animum suum ad vllam rem creatam desiderandam possit abijcere. Quæ si ita sint, videamus quantam hinc lætitiæ & hilaritatis occasionem habeant, qui se suaque omnia ad tanti numinis obsequium confe-

consecrarunt, cum se tam locupleti ac præpotenti Domino seruire videant, qui infinita mercede breues vitæ huius labores compensare possit & velit.

IV. Quanta eos voluptate affici necesse est, qui intelligant ei se Domino operam suam elocasse, qui sempiternis possit, & velit præmijs eam remunerari: expende quãta sit æternitatis duratio: nempe quæ immutabilis atque interminati Dei durationi coextendatur. Si tanta sit mercedis futura constantia & perpetuitas, quæ ista est insania, maiori contentione ad fugacem incertamque mercedem, quam ad certam æternamque consequendam laborare: quæ tanto fugacis mercedis magnitudinem, pulchritudinem, amœnitatem excedit, quanto æternum ea omnia quæ tempore finiuntur, exsuperat.

V. Dei quoque infinitas aperte cælestis gloriæ magnitudinem conuincit. Si enim Deus infinitus sit (vt reuera est) isque ipse sit Sanctorum merces & præmium, necesse est præmium ipsum infinitum quoque existere. Quæ hominis intelligentia infiniti immensitatem cogitando assequi potest? Quis ergo labor, quæ molestia, quis cruciatus non maxima promptitudine nobis adeundus est, vt aliquando tanto præmio

potiri possimus? qui fit quod plures inueniantur, qui maiore conatu, præmia exiguo tempore circumscripta prosequantur, quam qui vel mediocri nisu ad infinitum nullisque terminis definitum contendant.

VI. Animaduerte in frequenti attentaque diuinæ præsentiæ & infinitatis recordatione magnum ad probe sanctéque vitam instituendam momentum consistere, indeque etiam efficacissimum ad bene meditandum subsidium peti posse. nam si Deus sua immensitate cælum terramque impleat, necesse est te in Deo (vt sic loquamur) pene ita esse, vt in aquis pisces, aut aues in aere: ita vt nusquam Dei præsentiam possis subterfugere, cuius comparatione tota hæc vniuersi machina vix exigui puluisculi aut vnius guttulæ molem obtinet. Recipe te ergo quocumque volueris, abdere quocumque libuerit loco, in omni orbis plaga Deum semper inuenies.

VII. Cum solus vspiam fueris cogita Deum tibi adesse, nempe supremam bonitatem, quam summopere semper amare tenearis, summam maiestatem cui omnem venerationem debeas, infinitam potentiam, quam si tibi propitiam habeas, magnopere gaudere possis. Memineris ergo Deum

vbique & in omnibus rebus sua natura, virtute, & potentia intime præsentem esse.

VIII. Ex quo sequitur posse à te Deum omni loco coli, inuocari, semperque tecum eo colloqui posse, etiam dum necessarijs tuis negotijs implicaris, atque quotidianis hominum interes congressibus: animo nimirum breui expeditoque conatu ad Deum exiliente, eumque celeri mentis affatu compellante.

IX. Considera Deum quoque intime in te esse, ita vt Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, cum excellentissimis illis diuinæ naturæ proprietatibus, in penitissimis animæ tuæ visceribus insint. quid igitur extra te quæris, cum excellentissimam pulchritudinem, sapientiam, potentiam, bonitatem, & omnem cœlorum iucunditatem intra te ipsum habeas. Roga eum vt se tibi indissolubili caritatis vinculo obstringat, vt sic, bonum tibi adeo coniunctum cognoscere, colere, amare, & ab omni, quod ei displicere scias, declinare possis.

X. Cogita Deum hunc qui circum te vndiq; diffusus est, quiq; in te tãquã in tabernaculo suo inhabitat, ignem esse. roga eũ, vt omnẽ in te prauatũ cupiditatũ fomitem, & quidquid demũ vitiosũ ibi est, exurat. cogita

quoque Deum hunc lumen esse splendidissimum; vnde valde mirum est, in te tam densas vitiorum tenebras, cum tanto splendore posse consistere. item eum esse excellentissimam pulchritudinem; vnde & hoc mirandum, te neglecta diuina hac pulchritudine, oculos in res inanes fœdasque posse defigere.

XI. Intima hæc diuinæ naturæ præsentia, si eam vt par est, homines æstimarent, satis esse posset ad omnes homines magna Dei reuerentia & formidine, à vitijs & sceleribus coercēdos vnde magna admiratione dignum est, tam multos existere, qui cum Deum vbique præsentem adesse non ignorent, non horreant ipso adstante atque inspiciente mandata eius violare.

XII. Satis etiam magnam vim habet continua diuinæ præsentiæ memoria, vt eius veneratione humanus animus perpetuo ad virtutis studium impellatur, cum cogitat quæcumque demum agat, omnia in Dei præsentia atque conspectu fieri. quæ cogitatio cum hominem ad virtutem adigat, tum magnam quoque ei fiduciam parit, cum sciat semper sibi in laboribus Deum auxiliatorem suum, defensorem, remuneratoremque adsistere.

XIII. Denique hæc diuinarum perfectionum

num conſideratio magnopere facit ad diuinæ in nobis caritatis ignem inflammandum: cum hinc perſpicue videamus nullo modo laborem eum fruſtra ſuſcipi, qui infinitum ſempiternumque ſibi præmium præfixum habeat, in quod ſingulis prope momentis oculos conijcere, quod animo perpetuo contueri poſſimus, tamquam præmium quod nullo caſu, nullo infortunio, modo culpa noſtra abſit, nobis eripi poſſit.

DIES TERTIVS.

De miſericordia, liberalitate ac iuſtitia Dei.

I. ETſi diuinæ virtutes maxime inter ſe ſint æquales, vna tamen præ alijs nonnumquam ſe amplius prodit. Quod in miſericordia manifeſtum eſt, quæ plerumque iuſtitiæ imminentem ſeueritatem prævertere, præſentem temperare, pœnamque iuſte illatam lenire ſolet. Prius enim quam Deus peccatorem ſupplicijs addicat, frequentibus eum adhortationibus, commina-

mininationibusque præmonet: & cum respuentem ad monitiones, minasque negligentem, in hac vita castigat, multis tamen misericordiæ lenimentis supplicij acerbitate mitigat. Immo cum post mortem solius iustitiæ arbitrio in nefarios sæuire videtur, multum tamen etiam tum de iustitiæ rigore, misericordia suadente, discedit. longe enim mitioribus supplicijs dãnatos plectit, quam flagitiorum eorum immanitas mereatur. Quoties vero in hac vita in peccantes animaduertit, id non aliæ de causa ab eo fieri solet, quam vt aut ipsos qui plectuntur emẽdet; aut alios ne horum audaciam imitentur deterreat. Ita vt vere dicere possimus, in hac vita omnia diuinæ iustitiæ consilia misericordiæ declarationem spectare. Ideo enim à Deo in homines, dum hic viuunt, animaduerti solet, vt eos misericordiæ suæ capaces dignosq́; efficiat.

II. Hæc Dei misericordia omnino infinita est, ideoque sine comparatione omnibus hominum calamitatibus tam corporis quam animi; immo etiam quibusuis flagitijs maior ampliorque, seu numerum eorum seu grauitatem spectes. Hinc enim fit, vt quantumcumque atrocibus se homo sceleribus obstringat, Deus tamen plerumq́; vindictam contineat, minisque intenta-

tis, ſpatium corrigendi quod delictum eſt indulgeat. Quæ res magnopere nos, ad Deo fidendum, excitare debet. Etſi enim merito diuinā ſemper iuſtitiā reformidare debeamus; licet tamen paulo fidentius eius miſericordia niti. Ita tamen, vt ſicuti conſideratione diuinæ ſeueritatis ad deſperationem impelli non debemus, ita nec nimia benignitatis eius confiſione ad torpentem ſecuritatem peccandique licentiam adducamur; ſed eatenus tantum, vt in cunctis noſtris calamitatibus & miſerijs, ad eam tamquam ad tutiſſimum aſylum confugiamus, eumque rogemus vt non iuſtitiæ rigore, ſed miſericordiæ lenitate delicta noſtra caſtiget. Etſi enim magna ſit diuinæ iuſtitiæ in peccatis puniendis ſeueritas: videmus tamen eum quotidie vltricem dexteram à delinquentibus abſtinere & incredibili patientia correctionem eorum exſpectare: ad quam non modo oſtentata veniæ ſpe, verum etiam ſempiterna omnium delictorum obliuione promiſſa omnes inuitat. Quin etiam frequentiſſimis admonitionibus, comminationibus aliorumque ſupplicijs propoſitis peccantes, vt ſe ad miſericordiæ præſidiā recipiant, hortatur. quæ non poſt primum tantū ſecundumve

delictum

delictum eis aperta esse voluit, sed quoties in scelus prolapsi pœnitenti animo diuinæ clementiæ opem implorarint. Ad hanc rem confirmandam expendere hic potes parabolam de filio prodigo, Magdalenæ & latronis in cruce pendentis conuersionem.

III. Hæc misericordia, sicuti ceteræ Dei perfectiones, in omnem æternitatem perseueratura est, vt eos qui fideliter Deo seruierint, in omnem æternitatem amplissimis honoribus exornet, sicuti eos in hac vita frequentissimis gratiæ subsidijs instruit, atque aduersus difficiliores tentationum impetus defendit. Magnopere quoque nostram diuina misericordia nixam fiduciam solari potest, quod ea cum Dei omnipotentia maxime sit coniuncta, à qua quidquid misericordia nobis subsidij dandum suaserit, potentissime continuo dari possit. Nitere fidenter in omnibus tuis necessitatibus Dei misericordia tam arcte cum eius omnipotentia connexa: magnamque ex eo lætitiam concipe, quod tanta sit misericordiæ Dei quanta eius potentiæ, amplitudo. Quod nisi esset, parum nostris miserijs in Dei misericordia præsidij esse posset. Sicut indigentem pia eius voluntas parum iuuare potest, qui ad opem ferendam nullas aut exiguas facultates habet. verum cum

propem

Digitized by Google

propentiſſima benigniſſimaque Dei in homines voluntas, infinitam ſibi potentiam adiunctam poſſideat, quæ nobis diffidentiæ occaſio ſupereſſe poteſt? immo quid ad maiorem fiduciam concipiendam vltra deſiderare poſſumus?

IV. Magnitudinem huius miſericordiæ colligere poſſumus ex Chriſti commiſeratione, lachrymis, adhortationibus, vigilantiſſima eius pro ſalute hominum, ſolicitudine. atque vt hanc magis in ſe excitaret, omnes noſtras miſerias, peccato excepto, experiri voluit, quin & mortem ipſam, eamque accerbiſſimam ignominioſiſſimamque ſuſtinere, vt à nobis omnem calamitatem & diaboli ſeruitutem propulſaret. Ex quo immenſam Dei in nos caritatem intelligimus, quæ in eo tam incredibilem erga nos commiſerationem excitauit, ad quam ex omnibus miſerijs nobi eſt confugiendum.

V. Magnopere quoque hæc Dei miſericordia ſe indicauit, in ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutione: in qua Deus ipſe, animæ eſurienti, ſe in cibum potumque proponit, ægrotanti ad medicinam offert, pro delictis eius & ſceleribus victimam ſe conſtituit, denique tutiſſimum ſe aduerſus omnia mala refugium ſiſtit.

VI. Eadem quoque misericordia in eo perspicue relucet, quod Deus omni temporis momento paratum se offerat, vt peccatorem, quamdiu in viuis agit, in gratiam recipiat. Obserua quantum sit in hac re inter nos & Deum discrimen. Nos quotidie delinquimus, & ipse quotidie delictis nostris benignissime veniam indulget: estque ad ignoscendum ipse multo pronior quam nos ad facinus detestandum: cum nos è diuerso, tardissimi simus ad culpam agnoscendam, & ad deliquendum maxime procliues: difficillimi in ignoscendo etiā leuissimis aliorum erratis, facillimi in alijs quauis iniuria lacessendis.

VII. Misericordiæ huius amplitudo finem apud eos habet, qui lethali culpa obstricti, sine seria criminis detestatione ex hac vita discedunt: cum iustis vero in omnem æternitatem sine termino permanet, quos ad sempiternam æternorum bonorum possessionem promouebit, in eaque conseruabit. Lauda Deum eique gratias age, qui te summa sua misericordia procreauit, procreatum magna solicitudine conseruauit, ab innumeris miserijs eripuit, pretioque quo nullum maius terra aut cælum habet, sacratissimo nēpe sanguine suo redemit. Disce quoque hanc Dei misericordiam

ſericordiam in aliorum miſerijs ſubleuandis propulſandiſque quantum potueris imitari, ſi eam velis in tuis neceſſitatibus propitiam habere. Solet enim Deus eadem menſura ſuam hominibus miſericordiam dimenſam impertiri, qua ipſi ſuam in alios beneuolentiam dimenſi ſunt.

VIII. Dei liberalitas apertiſſime ſe prodit

1. Varijs eius donis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus in homines collatis, frequentibus eius commonitionibus, impulſibus, conſilijs ad ſalutem humanam promouendam ſeruientibus.

2. Operibus quibuſdam valoris infiniti, vt ſunt Chriſti incarnatio, paſſio, Sacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutio. Miſſio ſancti Spiritus.

3. Quod etiam hoſtes ſuos capitales beneficiorum ſuorum participes eſſe patiatur.

4. Quod cum tanta nobis quotidie largiatur, horum tamen nihil nobis debeat.

5. Quod innumera nobis, nec promerita, nec exſpectata dona impertiat; inter quæ quotidiana eius pro nobis cura, qua nos à plurimis quotidie periculis præſeruat.

6. Quod nullam mercedē aut compenſationē omnium ſuorum donorū expectare à nobis poſſit.

7. Quod

7. Quod plurima nobis polliceatur, vt promissis excitati, nos ad ampliora ab eo accipienda comparemus.

8. Quod paratissimus sit ad orationes nostras audiendas, eaque quæ ijs poscimus concedenda, modo saluti nostræ expediant.

9. Quod ipse nos frequenter ad poscenda sua munera excitet, ita vt ipse paratior sit ad largiendum, quam nos aut ad petendum, aut accipiendum.

IX. Ex quibus euidentissime colligimus amplissimam nobis gaudij materiam offerri, cum perpendimus habere nos Deum infinite opulentum ac liberalem. Si enim liberalis tantum, nec ita diues esset; aut sine liberalitate, opulentus; parum nobis prodesse posset: sed cum vtraque hæc infinita sine termino habeat, quanta hæc nobis gaudij & fiduciæ materia? quapropter si parum nos à Deo impetrare videamus, culpam omnem in nobis esse sciamus. nam si nos in Deum liberales citra coactionem aut diffidentiam simus, ipse etiam cumulatissime supra omnem mensuram, suam in nos liberalitatem ostendet.

X. Expende Dei liberalitatem, quæ nullum dandi finem facit: quippe qui omni die, omni hora plenis manibus paratissimus

Digitized by Google

mus ad opes suas largiendas consistat, quique plurimum gaudeat cum aliquam largiendi bona sua occasionem manisci potest. Attende quotid ana eius in omnes homines beneficia, non ideo tamen leuiora, quia omnibus communia: tum insp:ce ea, quæ singulis seorsum quotidie donat,& procul-dubio erubesces tuam tam in Deum, quam in proximum tenaciatem.

XI. Quid nos Deo pro eius in nos misericordia, liberalitate, profusaque munificentia rependamus: cum tamen tot rationes inueniri possint, quæ nos impellere debeant ad promptissime cor nostrum, animam, corpus, vitam & quidquid prætereà habemus, diuinis eius manibus offerenda, & in perpetuum eius cultum consecranda: non necessitate aliqua aut vi tamquam reluctantes ad hoc adigente; sed maxima nostra voluntate, hilari sereno que animo & vultu. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, & magno eos amore ac liberalitate prosequitur, quos in se liberales ac munificos esse viderit: ita vt ijs pro singulis officijs, in hac vita centuplum fœnus, & in altera vitam sempiternam polliceatur. Expende attente hæc promissa; qui ea promittit, nec mentiri potest, nec fallere. Minima eius dona centies exsuperãt, omnia ea quæ nos eius 2. Cor. 9.

causa

causa profundere possemus. Norunt hæc satis ij qui toto affectu se ipsius obsequio manciparunt, quos tam frequentibus tamque inusitatis interius solatijs recreat, tanta animi pace, serenitate, gaudio perfundit, vt subinde ijs perferendis naturæ vires non sufficiant: atque ita experiendo discant, omnia, mundi huius solatia corporumque voluptates & gaudia, ne quidem vmbram esse ad corpus, aut minimam stellam ad solem comparatam. Percurre omnem tuam vitam, & aduerte quid vmquam Deo dederis, quam sit omne exiguum ac tenue, quam multis permistum vitijs, quam frequentibus proprij commodi propriæque cupiditatis studijs vitiatum, quanta subinde voluntatis repugnantia, anxietate, sollicitudine, diffidentia præstitum, atque ex aduerso vide, quanta Deus liberalitate, munificentia, hilaritate, quanta copia, dona sua tanta varietate distincta, tam magnifice adornata in te effuderit. Considera nihil esse quod non sit largitus, nihil ab eo asseruatum quod non dederit, non sanguinem, non animam, non vitam, non denique proprium regnum & gloriam; quæ qua liberalitate tibi pollicitus est, eadem, nisi te indignum reddideris, largietur. Verum quidem est nos subinde hanc Dei

Digitized by Google

munificentiam non experiri, aut percipere: atque interim dum alij plenis amphoris, quantum libuerit, ex hoc beneficentiæ oceano hauriunt, tamque copiose sitim salubribus hisce vndis explent, vt etiam exterius ijs madeant; iacere nos aridos ac sitibundos, nec guttulam quidem restinguendæ nostræ siti inuenire posse. Sed hoc auaritiæ nostræ imputandum. nam vt parci segnesque sumus in mandatis eius obseruandis, sordidi nimium & auar in monitis eius consilijsque explendis: ita se parcum quoque nobis Deus auarumque exhibet. Pande Deo totum animum tuum, impende in eius obsequium omnia tua, abiectaque à te omni mundi solicitudine, totum te magna fidentia benignitati eius permitte, ipse te beneficientiæ suæ muneribus cumulabit, quoque te in ipsum liberaliorem exhibueris, hoc te ab ipso abũdantius ditari senties.

XII. Considera quæ caritatis indicia, tam liberali ac munifico Domino à nobis sint demonstranda, qui tanta sui in nos amoris argumenta quotidie demonstrat. singula enim eius beneficia stimuli sunt qui nos ad eum redamandum vehementer exstimulare debent. vbi ergo innumera sunt beneficia, quod ibi amoris stimulos esse necesse

est?

deceat: aut quid ab eo exspectare possis si ingratum te adhuc post to officia depræhenderit.

XIV. Diuinæ iustitiæ rigor quæ nullum crimen impunitum esse patitur, cohortari nos debet, vt ab omni nos flagitio quam longissime abstineamus, nisi aliquando seuerissimi iudicis in puniendo acerbitatem experiri velimus. Quod si vero in scelera nos prolapsos esse deprehendimus, omnem adhibeamus operam vt offensam nobis iudicis voluntatem reconciliemus, studeamusque piis deinceps actionibus priora vitia compensare. Cum nihil vnquã ad ipsius honorem, ne leuissimam quidem mentis agitationem suscepturi simus, cui non præmium sit persoluturus idque tanta liberalitate, vt etiam calicem aquæ frigidæ sui amore datum, æternæ gloriæ mercede compensaturum se spondeat. Nam quemadmodum nullum est tam abditum, etiam intimis animi latebris inclusum scelus, quod sine supplicio esse sinet: ita etiam nihil est tã occulte à nobis recte factũ aut cogitatum, quod non lõge prolixius remuneretur, quam flagitia vlla castigentita vt ipsius misericordia multo se clarius in bonorum remuneratione, quam iustitia in malorum supplicio ostendat. Nam omnes malorum

E e puni-

punitiones multum misericordiæ admistione mitigantur, cum semper infra meritum delinquentes puniat: contra vero benefactis nostris infinities prope maiorem mercedem quam mereantur rependit; ita vt ne minima quidem ad Dei gloriam suscepta cogitatio abeat, cui non certa peculiarisque in cælo merces, & gloriæ augmentum respondeat. Inter quæ nullum est tam minutum, quod non millies omnia mundi præmia, dignitates, opes, gaudia exsuperet. Cum ergo sciamus, habere nos tam liberalem ac munificum remuneratorem, qui fieri potest, vt vel vnico momento, ab opere & studio amplificandi merita nostra cessemus? maxime si præmiorum incomprehensibilem infinitatem in æterna vita, in sempiterna Dei præsentia, conspectu, familiaritate præparatam, præmeditemur.

DIES QVARTVS.

De sapientia, prouidentia, & omnipotentia Dei.

1. COgita Dei sapientiam, quam à seipso habet, infinitam, atque eius omnipotentiæ commensuratã esse omnemque aliam sapientiam cum hac comparatam, amentiam magis, quam sapientiam videri, Hanc perspicue intueri potes in vniuersa

uersi huius procreatione, in tam admirando sex dierum opificio, in Christi incarnatione, in sacrosanctæ Eucharistiæ institutione, in hominis productione, cum corpori tam admirabili artificio ex humo formato, immortalem animum, tam apta coagmentatione coniunxit, atque è rebus tam diuersis vnum hominem effecit. Considera in tam innumerabili hominum multitudine mixtam inter singulos, tum corporum, tum ingeniorũ varietatem: quam aptę res omnes intra naturæ suę limites cum summa æquabilitate cõtineat. Intuere maris vastitatem, profunditatem, terræ stabilitatem, amplissimos cęlorum orbes; quid hæc aliud, quam incredibilem Dei sapientiam loquuntur? Roga eum vt te suæ sapientiæ participem efficiat: omnes enim mundi huius sapientiæ humanæque scientiæ vniuersæ, meræ sunt præ hac, amentiæ & insaniæ: vt merito omnem nostram cognitionem, intelligentiam, eruditionem despicere ac pro nihilo habere debeamus, cum infinitatem illam diuinæ sapientiæ perpendimus. Discamus ergo hinc omnem animi elationem deprimere, proprium omne iudicium abiicere, omnemq; gloriationẽ, quam ex nostra sapientia studiosissime captare solemus, incomprehensibili huic sapientiæ submittere. Ma-

Google

gnam quoque gaudii occasionem in huius sapientiæ contemplatione inuenire possumus, in cuius amplitudinē ac profunditatem magna cum admiratione & voluptate, tamquam in omnium bonorum oceanum, animus se noster potest immergere, atque ex eo innumera semper ad Deum laudandum ac diligendum argumenta haurire: & hæc gaudii materia ex diuinę sapientiæ consideratione hausta, eo nobis iucundior efficietur, quo in ea quotidie maiora ampliora que præsidia inesse deprehendimus, quibus nos & ab omni calamitate liberare, & omni possit bonorum copia locupletare. Quod etiam vehementer nos commouere debet, vt magna fiducia & securitate Deo niti incipiamus, cum in eo omnia subsidia auxiliaque ad quamcumque calamitatem propulsandam necessaria, tam affluenter inueniri videamus, nihilque esse aut in cælo aut in terra, quod diuinam hanc sapientiam latere aut fallere possit, nec quidquam excepto peccato, quod ab hac originem suam non ducat.

11. Ab hoc diuinæ sapientiæ oceano omnes creatæ sapientiæ, scientiæ, artium riuuli promanāt. Lauda, atq; extolle hunc omnium bonorū fontem, & admirare quomodo ab eo, quidquid in rebus humanis sapientiæ,

pientiæ, ingenii, industriæ inuenitur, tanta abundantia profluat. Ex quo patet, tanto certiorem esse, longiusque ab omni errore discedere scientiam nostram, quanto propius ad diuinam accesserit, eoque incertiorem, & ignorantiæ viciniorem, quo longius ab eadem deflexerit. Expende hic sapientiæ tuæ iudicium: vide quæ inter maxima bona numeres, temporariasne delicias, opes, dignitates, an cœlestes ac sempiternas? nam diuinæ sapientiæ iudicio, vtraque hæc bona, ab eodem pari in pretio haberi non possunt. Atque vt hoc planius tibi fiat, vide quid Christus summa sua sapientia tamquam præstantissimum securissimumq; ad salutem adipiscendam elegerit, paupertatem videlicet; contemptum, afflictiones, molestias. Et hic ipse Deus est, qui in suo delectu errare aut falli nequit. Inquire num similia exoptes, quanto enim longius ab huiusmodi desideriis abes, tanto quoq; diuinæ sapientiæ es dissimilior, & ab ea remotior.

III. Confer mundi sapientiam, cum Dei sapientia; mundi electa, cum iis quæ Deus ceteris præferre solet; & vide cuius malis iudicio acquiescere.

IV Dei prouidentia manifestissime elucet in tam constanti æquabilique mundi gubernatione, in qua obseruare potes.

1. Suauem ac paternam rerum omnium administrationem, quam per se ipse, cum insigni beneuolentia indicat, dum tam curiose etiam antequam in lucem hanc suscepti essemus, omnia ad habitationem victum vestitumq; necessaria prouidit. pro qua sola cura, licet alia omnia ab eo percepta beneficia deessent, omnem ei laudem & obsequium deberemus.

2. Iustam potentissimamque gubernationem, quæ in sua dispensatione nec falli, nec impediri à quoquam possit, quæque rebus singulis maxime cuiusque naturæ congruentia procuret; præmia etiam & supplicia pro meritorum cuiusque discrepantia, tamquam benignissimus parens, iudexque integerrimus distribuens. Dispice tecum vtram eius manum exspectare malis; parentisne, an iudicis, & pro hac tua deliberatione, vitæ tuæ rationem compone. Mauis paternam eius beneuolentiam experiri? effice vt in vita tua & moribus boni filii in parentem animus eluceat: teque non verbis solum, sed opere & agendi ratione talis parentis filium esse demonstra.

3. Vtilissimum omninoque necessarium gubernandi modum, quippe sine quo mundus nullo pacto possit consistere. Quam nos felices, quos tanti numinis prouidentia guber-

gubernat! Quid nocere nobis queat? quid deesse? estne quidpiam ad salutem necessarium, quod ab ipso nobis dari non possit? estne aliquid in hac rerum vniuersitate, seu temporarium, seu æternum, in cælo siue in terra, naturale seu supernaturale bonum, quod ipse largiri nequeat? Cogita quidquid libuerit. Si diuitias tibi necessarias arbitraris, ipse est vnicus diuitiarum omnium conditor atque procreator? præter has alia deesse tibi sentis? sine eius nutu nihil vspiam produci, moueri, acquiriue potest. Immo sine ipsius permissu ac prouidentia, ne capillus quidem è capite defluit. vnde profecto liquido apparet, nullam nos diffidentiæ aut timoris occasionem habere, quamdiu nobis cum Deo bene cõuenit. tamdiu enim securi esse possumus, eius nos præsidio ac gubernatione contineri, quo inuito nulla nos humana aut diabolica machinatio lædere possit aut affligere.

v. Harum rerum consideratio doceat te constantissime Deo fidere, atque ab eo in omnibus necessitatibus auxilium sperare: & eiiciat ex animo tuo nimiam omnem rerum temporalium sollicitudinem. qui enim diuina sua prouidentia, pecudibus, volucribus ac piscibus pastum ceteraque ad vitam necessaria procurat. cum tamen nec arent,

nec ſerant, nec quidquam in horrea aut apothecas in futurum conuehant; quomodo hic tui ita obliuiſci poterit, vt de neceſſariis tibi non proſpiciat? qui hominum cauſa mundum produxit, & eorum caritate impulſus humanam ſibi naturā induit, grauiſſima ſupplicia mortemq; crudeliſſimā pertulit: qui, inquam, hæc omnia tam ingentia, aliaq; plura tam prolixe lārgitus eſt, putaſne leuia hæc viliaq; negare poterit. Ipſe te proprio ſuo corpore & ſanguine paſcit, & interim corporis tibi paſtum deeſſe patietur? qui flores exiguo ſane tempore conſiſtentes tam ſplēdide veſtit, is filios ſuos chariſſimos, quos cæli heredes ſcripſit, egeſtate premi, victu veſtituque indigere ſinet? Ipſe te, cum non eſſes, in hanc lucem produxit, puerilibuſq; in annis ſine tua ſollicitudine, neceſſaria omnia procurauit; & modo adultum rationiſq; compotem omnino à prouidentiæ ſuæ cura excludet?

VI. Inſpice tuas viuendi rationes, an non nimium rerum periturarum ſuperfluarumque ſollicitudine diſtringare. & caue ne terribilibus hiſce verbis, Deum aliquando

Luc. 12. comminantem audias: *Stulte hac nocte animā tuam repetent à te: quæ autem paraſti cuius erunt?* Eſto ſollicitus vt cum Deo perpetuo verſeris, teque ei vehementi amoris

nexu,

nexu obstringe, ipse te numquam prior deseret: ipse tui curam habebit, omniaque tibi necessaria, tamquam pater benignissimus animæque tuæ amator ac liberator, procurabit. Sis maxime pro anima tua sollicitus; corporis indigentiæ non magno negotio satisfiet. Considera hic stolidam eorum insaniam, qui plus temporis, operæ & sollicitudinis ponunt in conquirendis rebus ad corpus pertinentibus, vt sunt cibus, potus, opes, voluptates, quam in iis quæ animæ salutem sempiternamq; eius felicitatem spectant. Confer animam cum corpore, & erubesces cum videris sine comparatione, maiori te cura & sollicitudine corpori, quam animæ necessaria conquirere. Perpende qua materia corpus coaluerit, & in quam breui soluendum sit, mortale & corruptibile illud natura sua esse rationis expers, atque è vilissimo terræ luto efformatum: animam vero ad similitudinem Dei immortalem creatam, plenam rationis ac intelligentiæ, naturæ inclinatione ad sempiternam Dei contemplationem propendentem, atque hinc nulla rerum creatarum copia explebilem. Largire ei totum hunc orbem, alium continuo circumspiciet, quem optet: Deus solus est qui immensa sua infinitate inexplebilem animæ capacitatem complere

 possit.

Digitized by Google

possit. Ex quo planissime amentia eorum intelligi potest, qui omnem suam vitam in corpore nutriendo, iisque solis quæ ad corpus pertinent, conquirendis, cuiusmodi sunt honores, opes, voluptates, impendunt; quam vero sapientes, qui omnem operam, industriamque adhibent, vt Deum sibi concilient, magnoque apud eum in pretio sint; atque huc omnes suas cogitationes, dicta, factaque dirigunt, vt ei placeant, eum toto conatu quærant, omnemque suam beatitudinem in ipsius amore & familiaritate repositam esse arbitrantur.

VII. Expende quoque hæc Christi verba: Matt. 6. *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, quibus nos ad constanter sibi seruiendum adhortatur. Quis precor æquus & bonus herus seruum suum, quem frugi atque integrum esse sciat, rerum necessariarum penuria laborare patietur. Quis pater modestum atque obsequentem filium hereditate excludet, aut inopia premi finet, quem locupletem possit efficere? multo profecto minus Deus seruos suos, carissimosque filios vnquam poterit negligere: est enim eius in seruos suos & filios infinito excessu vehementior propensio & caritas, quam sit vllius mortalis domini aut parentis in suos. Quisquis

quis ergo placidissima animi tranquillitate perpetuo frui desiderat, is se fidenter diuinæ prouidentiæ nutu duci gubernariq; permittat: certi enim esse possumus, id omne quod ipso permittente nobis superuenerit, longe optimum esse & saluberrimum: imo nulla nos vnquam rerum necessariarum penuria affligi posse, quamdiu fideliter nostra omnia ad ipsius gloriam dirigemus. Quod perspicue videre possumus in longa illa Israelitici populi peregrinatione, cui de cælo panem pluit, aquam ex torrida rupe eduxit, quorumque vestimenta, & calceos, ne quadraginta annorum vsura detererentur, inaudito prodigio conseruauit. Item in Elia, Eliseo, Samuele, aliisque innumeris Sanctorum, qui post Christum vixerunt exemplis, quibus frequenter præter naturæ ordinem de rebus ad vitam sustentandam requisitis prouidit: cuiusmodi etiam exempla nec hoc sæculo desiderantur.

VIII. Disce quoque ex hac Dei prouidentia, quoties te rebus aduersis affligi senseris, non tam oculos coniicere in molestias quibus premi te contigerit, quam in fructum & emolumentum, quod ex eius molestiæ tolerantia in rem tuam Deus educet. Hic enim est diuinę prouidẽtiæ agendi modus, vt nisi vitio nostro impediatur, semper e

noſtris calamitatibus maximum nobis bonum prouenire faciat. quod etiam in diabolicis impugnationibus efficere ſolet, quibus, dum nos conflictari patitur, & vires noſtras ad reſiſtendum corroborat, & vt magno ex iis meritorum cumulo auctiabeamus, procurat: id ſemper magna circumſpectione cauens, ne vnquam ſupra vires noſtras, & robur gratiæ nobis datum, oppugnemur. Qua ex re diſcamus, vt cum nos hoſtium inſultibus pulſari, aut morbis, aut doloribus, aut infortuniis affligi ſenſerimus, non continuo internos animi oculos in naturæ imbecillitatem, viriumque infirmitatem defigamus, nec etiam deiiciamus in hoſtium multitudinem, & robur toto in nos impetu irruentium, vt nec in homines, quorum nos vitio in eas difficultates coniectos eſſe arbitramur: ſed eos tantum ad Deum eleuemus, quo permittente omnis in nos tempeſtas coorta eſt. & quo inuito ne pilus quidem vnicus omnium hoſtium machinis nobis euelli poterit: ſuſpiciamuſq; præmium illud ampliſſimum, quod nobis, ſi viriliter certauerimus, in cælo propoſitum eſt, & meminerimus nunquam nobis diuinæ gratiæ præſidium defore, quod validius fortiuſque eſt, quam vt vllis mundi aut inferorum molitionibus expugnari poſſit.

II. Con-

IX. Contra ingruentes omnes aduersitatum procellas præsentissimum nobis munimentum diuina prouidentia comparauit, orationem nimirum, quam tamquam validissimum clypeum contra omnes hostium incursus obiicere possumus, cõfidentes certissimis eius promissis, quibus addixit præstiturum se nobis ea omnia quæcumque ad salutem nostram vtilia suppliciter posceremus. Et sane verissima esse hæc Dei promissa testati possunt innumeri Sancti, qui quouis fere tempore ab orbe condito orationis virtute inusitata prorsus omnemq; naturæ vim excedentia miracula patrarunt. Plurimi enim eorum mortuos ad vitam reuocauere, cæcis, claudis, leprosis, paralyticis sanitatem reddidere, dæmones ex hominum corporibus profligauere, importunissimas hostium impugnationes superauere, deprauatas naturæ inclinationes, inolitasque peccandi consuetudines correxere, denique vitiis omnibus ex animi solo exstirpatis, optimos virtutum satus diuinitus impetrauere. Sed quid exemplis opus est, cum nemo sit, qui frustra vnquam diuinam se opem implorasse dicere possit? etsi enim multi sint, qui non continuo ea ipsa quæ petunt consequantur, semper tamẽ quod saluti eorum maxime conducit à Deo auferunt, præter

certum

certum definitumque precationi eorum in cælis præmium præparatum. Quod si vero subinde lentius votis nostris satisfacere videatur, nihil tamen hac mora commodis nostris detrahitur, cum soleat deinde eam suo tempore multiplici fœnore compensare: modo non patiamur, nos tædio aut impatientia ab oratione abduci. Est enim ipse longe ad largiendum, quam nos ad ei supplicandum paratior.

x. Cogita Deo, ob sapientiæ eius & scientiæ infinitatem, omnem tuam indigentiam & penuriam esse penitissime perspectam, ob immensam suam bonitatem paratissimum esse, vt ea quæ ad salutem necessaria sunt largiatur, denique interminata sua potentia posse cum omnia copiosissime largiri: quæ ergo tibi sat iusta causa anxiæ sollicitudinis esse potest?

xi. Patere vt te Deus suo arbitrio regat, non vero mundus aut propria libido. facile enim animaduertere potes quam vilis abiectusque sit & mundi & propriæ libidinis sensus ac prudentia, si cum infinita Dei sapientia ac prouidentia componatur.

xii. Cum quidpiam à Deo petiturus es, sic tecum ratiocinare: res illa quam desidero aut saluti meæ expediens est, aut noxia: si noxia, melius mihi est, eam numquam adipisci-

piſci: ſin vtilis, Deus eam mihi proculdubio paterna ſua benignitate largietur. quippe qui tanquam optimus pater, liberorum ſuorum cōmodis maxime ſtudeat; infinita ſua ſcientia, quæcunq; prodeſſe poſſunt, norit; immenſa ſua virtute quidquid vtile norit, dare poſſit; ac denique ob incredibilem eius bonitatem idem etiam dare deſideret. Huiuſmodi ratiocinationi non difficulter animus acquieſcet, totumque ſe magna ſecuritate paternæ Dei prouidentiæ committet: atque hoc vnum in votis habebit, vt regnum cæleſte, ad quod poſſidendum ſe à Deo procreatum videt, aliquando aſſequatur: reliqua omnia, magna fidentia diuinæ prouidentiæ permittet, certius nihil vſpiam exiſtere, quod ſibi præter huius permiſſionem nocere poſſit.

XIII. Denique conſidera Dei prouidentiam, nec in rerum præcognitione falli poſſe, nec in conſiliis ſuis impediri, & nihil vſpiam eſſe poſſe, quod ei non ſit penitiſſime perſpectum. Ex quo hoc conclude, ſicuti cum nulla noſtra dicta factaue aut etiam cogitata latere poſſunt, ita quoque horum nulla ſuo præmio aut ſupplicio caritura.

XIV. Conſidera Dei omnipotentiam tam immenſam eſſe, vt nullo creato intellectu concipi queat, & ab hac omnia gratiæ præſi-

dia.

dia nobis exspectāda esse: huius virtute frequenter in nobis res supra omnē naturæ efficacitatē fieri ac produci; hanc esse quæ nos in omnibus periculis defendat, & suo subinde robore ita confirmet ac instruat, vt hominem quodammodo omnipotentem efficiat. hinc enim de se D. Paulus dicere non
Phil. 4. veretur, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et sane cum Dei omnipotentia se cum homine coniungit, quid est quod homo præstare non possit? homo Dei præsidio destitutus parum potest: at cum Deo coniunctus, nihil est quod non possit: nihil est in rerum natura tam arduum, nihil tam molestum, quod confici non possit ab eo qui intrepide diuinæ potentiæ ope nititur, quam Dei bonitas & misericordia nobis in necessitatibus nostris nunquam deesse pa-
Mat. 9. titur. Vnde Christus ipse dicit *omnia possibilia esse redenti.*

xv. Infinita Dei potentia maximum nobis esse debet ad virtutem incitamentum, hortarique nos vt omnem laborem & difficultatem magna hilaritate adeamus, cum ex ea perspectum nobis esse possit, labores nostros omnipotentiæ diuinæ præsidio adiuuandos, & iam amplis præmiis aliquando remunerandos.

xvi. Magnum quoq; robur ac constan-

tiam

tiam animis nostris addere debet diuinæ omnipotentiæ recordatio; cum ex ea certi esse possimus, nullas mūdi insidias aut machinationes, nullos item dæmonū conatus nocere nobis vnquā posse, quādiu nos intra diuinæ amicitiæ præsidiū continuerimus.

XVII. Considera ex hac Dei omnipotentia semper omnes rerum creatarum actiones pendere: ita vt huius subsidio negato, nec sol luceret, nec fruges tellus procrearet, nec homo opus quodcumque exercere possit. Quam ergo illi excordes, qui virtuti suæ atque industriæ ea accepta referre non verentur, quæ à Deo tamen accepere, sine cuius ope, ne digitum quidem mouere possunt? Atque hinc fit vt huiusmodi, sibi tantum prouidentes, exiguam sane eamq; tantum in mortali hac vita benefactorum suorum mercedem recipiant: & non raro diuino auxilio ita destituantur, vt in grauissimas calamitates impingant. numquam enim Deus arrogans hoc & ingratum hominum genus impunitum præterire solet. Huiusmodi enim hominibus idem vsu venit quod speculis, quæ dum solis radiis tanguntur solis instar relucent, aut iis, qui se quod altioribus cothurnis calceati sint, proceros credunt. speculis enim sole interiecta nube auerso, omnis splendor deperit: hominesque

pusilli

pusilli detractis cothurnis, ad natiuam breuitatem iterum deprimuntur. Denique arrogantes hi cum tandem à Deo destituuntur, naufragis similes efficiuntur, qui cum integra naui super fluctus sicci fluitarent, naui deficiente in mediis vndis merguntur.

DIES QVINTVS.

De bonitate, amabilitate & sanctitate Dei.

I. IN Deo existit omnis bonitas, eaque infinito excessu, omni creatarum rerum bonitate perfectior. Immo omnis aliarum rerum bonitas, cum Dei bonitate composita, vmbræ tantum speciem obtinet. Et vt bonitati hoc proprium est, vt numquam quieta otiosaue esse possit, sed se ipsa quantum potest semper diffundat, idque eo copiosius, quo ipsa maior ampliorque fuerit; fit hinc, vt infinita Dei bonitas per omnia se diffundat atque euulget, maximeque gaudeat cum latiorem ad se diffundendam locum aliisque se impertiendi occasionem nancisci potuerit. Roga Deum vt ipse te infinitæ suæ bonitatis consortem efficiat, animumque tuum iis virtutibus adornet, quibus ei maxime placere, & ipsi quam simillimus effici queas.

II. Hanc bonitatem diffundit Deus in

res

res omnes creatas, non sui commodi vtilitatisue causa, aut necessitate vlla coactus, sed sua sponte propensissimaque in homines voluntate. Quod nos hortari debet, vt ei non tamquam serui aut mercenarii pretio conducti, metuve adacti seruiamus, sed tamquam amantissimi filii cupide & hilariter obsequamur. Vt quemadmodum ille liberalissime immensa sua bonitate, dona sua hominibus diuidit, ita etiam nos ad ipsius honorem & cultum facultates omnes cupidissime expendamus; nullaque in re nobis parcẽtes, aut propriæ vtilitati studentes magna promptitudine & alacritate, omnem animum nostrum obsequiis eius dedicemus. Erga proximos vero simili promptitudine etiam beneuolentiam nostram explicemus, vt omni aduersus eos officiorum genere diuinam benignitatem imitemur. Quam tanto in nos liberaliorem experiemur, quanto nos in alios voluntatem nostram propensiorẽ declarauerimus.

III. Deus bonitatem suam aduersus homines tam profuse demonstrat, nostra solum causa, cum ex hac demonstratione nullum ipse emolumentum capiat: quippe qui nõ minus beatus ac gloriosus esset, ante quam mundum condidisset, atque per tot res creatas bonitatem suam diffudisset. quo doce-

docemur opera nostra omnia non priuati commodi spe, aut laudis, aut gloriolæ ab hominibus impetrandæ desiderio exercenda esse; sed eo solum fine, vt Deo placeamus, debitumque ei obsequium ac reuerentiam persoluamus. Quem etiam ad scopum dirigenda sunt omnia nostra erga proximum officia.

IV. Considera quam ampla multiplicia que sint ea munera quæ passim hominibus summa benignitate Deus impertit.

1. Contemplare cælorum pulchritudinem, ornatum, splendorem, stellarum multitudinem, vastitatem, diuersitatem, & singulas tamquam admiranda quædam naturæ prodigia obstupesce.

2. Miram terræ fertilitatem tam multiplici rerum prouentu spectandã, hic herbis, floribus, stirpibus, arboribus vestitam, alibi marmoribus, gemmis, metallis grauidam.

3. Maris fœcunditatẽ tam vario animantium genere locupletem, spirabilem aeris subtilitatem, motum eius, atque ex eo saluberrimam tempestatum variationem.

4. Angelorum procreationem, qui nobilissimi spiritus sunt, ab omni corporũ concretione immunes.

5. Denique hominem contemplare, in quem tanquã in omnium operum suorum com-

compendium, rerum singularum perfectiones congessit; huic enim ingenium simile angelorum menti indidit, praeterea vitam, sensum, corpus, eiusq; incrementa, motum progrediendi vim, aliaque innumera naturæ ornamenta supra alias omnes res quæ aspectu sentiuntur, concessit.

V. Ex his facile conijcere potes quā Deo gratiā debeas; qui infinita sua bonitate tam innumeris te ornamentis ac dotibus adornauit, à quo corpus, animam, vitam, memoriam, intellectum, voluntatē & quæcumq; demum naturæ dona habes, accepisti: supra quæ ingentē quoq; numerum donorum supernaturaliū tibi largitus est, quibus ab eo in amicum & filium es adoptatus, iusq; ad æternæ gloriæ hereditatem acquisiuisti, & quod his maius est, homo beneficio incarnationis Christi, vnus etiam cum Deo effectus est. Sed cum parum decens videretur, vt se Deus cum singulis naturis tam arcto vinculo vniret, alium diuina bonitas adinuenit modum, quo se cum singulis hominibus intime vniret posset, instituto nimirum sacrosanctæ Eucharistiæ epulo, in quo se ipse singulis in cibum & potum offert, vt hoc pacto instar alimenti se cum homine penitissime permisceat. quo sane inuento perspicue indicauit summum suum deside-

rium

tium esse, vt hominibus arctissima necessitudine coniunctus sit.

VI. Considera omnem bonitatem ex se amabilem esse, quoque ipsa bonitas amplior perfectiorque sit, hoc esse etiam maiori amore digniorem: quod si infinita fuerit, eam quoque infinitum amorem promereri. Cum ergo Dei omnino infinita sit bonitas, viresque nostræ ad infinitum amorem concipiendum non sufficiant, consequens videtur, vt teneamur eam bonitatem amore saltem quam possimus vehementissimo, omni ad hoc studio conatuque adhibito, diligere. Et cum Deus solus sit, qui bonitatem suam, pari quo meretur affectu, infinito nempe, amare possit, implorabimus huius diuinæ caritatis subsidium, vt eius ope adiuti, omnes vires nostras omnemque affectum ad infinitam bonitatem amandam impendere possimus: eamq; tanto vehemētiore affectu supra res omnes creatas, atq; etiam supra nos ipsos diligendam, quanto ipsius bonitas omnē creatæ naturæ bonitatē excedit. Nā licet in nobis esset omniū creaturarū caritas, immo vehementissimū illud amoris incendiū, quo in cælis Seraphini, Cherubini ceteriq; Angelorū & Sanctorū chori ardent, omnis tamen horū in vnum conflatus amor, nullo modo adhuc

diuinæ

diuinæ bonitati coæquari posset. Ex quo coniice quã portentosa atq; execranda eorũ sit insania, qui Deum, infinitam bonitatem odio prosequuntur: quod tamen faciunt, quotquot capitali flagitio Deũ offendunt.

VII. Enitere vt diuinam hanc bonitatem propter se ipsam amare possis, cum sit in se & propter se infinite amabilis: & cui non leuis iniuria irrogetur, si alterius cuiuspiam rei gratia, præterquam ob suam ipsius excellentiam diligatur.

VIII. Considera quidquid demum homo amet, semper ad hoc eum specie aliqua bonitatis inuitari. sic homines diligunt diuitias, honores, voluptates, quia has vt bonas sibi proponunt, aut boni quippiam in iis contineri existimant. immo ideo vitia ipsa consectantur, quia ex horum complexu se bonum aliquod elicere putant. Quanto ergo amore Deum homo prosequi deberet; in quo omne bonum est, & à quo omne bonum exspectare potest?

IX. Homo res eas ardentius amat, in quibus plus bonitatis inesse arbitratur. & quo copiosior in rebus ipsis hæc bonitas est, aut eam ampliorem in iis reperiri credit, hoc semper vehementiore earum desiderio inflammatur. Quid ergo ab homine fieri conuenit, qui infinitæ bonitatis amplitudi-

Digitized by Google

nem dignitatemque perfectam habet?

x. Expende quid à te fiat, cupidiusne æstimes temporaria incerta, fugacia mundi bona, an infinita, constantia, sempiterna, quæ in Deo solo repeciuntur. Inspice actiones tuas, anne plus tempori & operæ colloces in conquirendis mundi opibus, an vero in diuinis: & hinc perspicue intelliges, quorum bonorum ardentiore desiderio tenearе.

xi. Confer temporaria mundi bona cum diuinis & sempiternis, & perpende quænam digniora, stabiliora, ampliora æstimes, & in quibus possidendis plus gaudii sit & voluptatis, denique ad quæ amanda grauioribus te rationibus obligatum putes. Nulla lingua explicabit, nulla intelligentia assequetur magnitudinem iucunditatis, quę in diuina bonitate, inuenitur. Deus enim est ipsa bonitas, iucunditas, amabilitas: qui cum animum sua voluptate complerit, cæteræ omnes mundi deliciæ somnium ei & vmbræ apparent. Mundi sapientia & industria minor quauis lucernæ flammula ad solem comparata: omnes mundi thesauri, opes, & copiæ, guttula vna præ hoc omniū bonorum oceano. Immo omnis lætitia, & iucunditas, quæ ex opibus, gloria, deliciis huius mundi elici potest, animo diuinæ boni-

bonitatis fonte inebriato, aut qui paululum ſaltem ex eo libauit, nautea putidior, & quouis felle videtur amarior? Tantum diſtant cæleſtes diuinæ bonitatis fructus & deliciæ, ab omni eo quod in mundo iucundum inueniri poteſt aut delectabile ita vt inter hæc comparatio nulla inſtitui poſſit. compone ſtillam vnā cum omnium aquarum colluuie, puluiſculum cum omnibus montium iugis, cum ſole lucernam, ſcintillam vnam cum omni qui vſquam eſt igne; his omnibus longe minus eſt omne quod è mundo ſperari poteſt, ſi vel cum minima diuinæ bonitatis ſuauitate conferatur, quam tamen tam profuſe iis omnibus impertit qui ſe toto animo ad ipſius obſequiū applicuerunt: qua ex re coniecturam aliquam de amplitudine & fidelitate diuinorum promiſſorum facere poſſumus, per quę tam prolixe eis, qui relicto mundo ſua conſilia ſecuti fuerint centuplum in hac vita, & vitam deinceps ſempiternam pollicetur. Ex hac diuinæ bonitatis conſideratione nos ad continuam lætitiam excitare debemus: nam cum ipſe Deus ſit infinita lætitia & gaudium, qui fieri poteſt vt is mœrore conficiatur, qui Deum omnis lætitiæ fontem animo geſtet? nam ſicuti fieri omnino nequit, vt qui ſolis radiis vndi-

Digitized by Google

quę colluſtratur, in tenebris ſit, & qui in mediis ignibus conſiſtit, algeat; quique in mediis aquis natat, ſitiat: ita etiam omnino repugnat, vt is qui Deum ſereniſſimum ſolem, iucundiſſimum ignem, ſuauiſſimum omnium voluptatum fontem, amicitiæ ſibi vinculis connexum habeat, mœroris caligine ſqualleat, triſtitię frigore torpeat, mẽtis ariditate contabeſcat. Quamobrẽ Scriptura eos qui tam felici familiaritate infinitæ bonitati coniuncti ſunt, ad hilaritatem & gaudium hortatur his verbis: *Seruite Domino in lætitia. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Qua lætitia plenus Propheta prorumpit in hæc verba: *In ſimplicitate cordis mei, lætus obtuli vniuerſa hæc,* & D. Paulus, Largiatur, inquit, Domino *vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate: hilarem enim datorẽ diligit Deus.* Quid ergo ſolatia & voluptates in fugacibus mũdi rebus venamur, cum diuina gaudia infinities reliquis omnibus præſtent? quid magna anxietate, & labore mortales delicias perſequimur, cum diuinæ, quæ immenſæ ſunt & æternæ, tam liberaliter nobis vltro offerantur?

Pſa. 99. Pſal. 31. 1. Paral. 29. 2. Cor. 9.

XII. Percurre hic animo naturalem omnem beneuolentiam, & amorem, eumq; potiſ-

potissimum, qui vehementissimus esse solet, parentum in liberos, in quibus tamen ne minimam quidem partem inuenies eius beneuolentiæ, quam aduersus homines Deus gerit: nulli tam amici inter se consanguinei, nulla tam propensa in prolem suam mater, nulla tam arctè sociata corpori suo anima, quam Deus est cum eo homine à quo se sincero amore diligi intelligit. Ita vt amicitia & coniunctio quæ est inter Deum & hominem amatum, sine comparatione arctior sit & carior, quam naturalis vlla necessitudo aut societas esse possit.

XIII. Infinita Dei sanctitas commouere nos debet vt eum summa reuerentia & religione colamus: simulque vt eum vehementer amemus, cum perpendimus summam illam infinitamque sanctitatem, inaudita benignitate ad vilissimorum hominum societatem se demittere, ac magnopere hominum conuictu delectari: ita vt cupidissime, è summo cælorum in imum pectus animę, à qua se amari videt, descendat, seque cum ea iucundissima societate coniungat.

XIV. Infinita hæc Dei sanctitas clarissime relucet in omnib. virtutibus, quas in se immensa perfectione complectitur: ita vt omnino fieri nequeat, vt in eo vitium aliquod, aut leuissimus næuus existat. nam

cum ipse sit summa bonitas, infinita sapientia, omnipotentia immensa, scientia interminata, nulla ei res incognita, aut factu difficilis esse potest; ita vt numquam, aut ignorantia, aut obliuione, aut inconsiderantia, aut perturbatione, aut formidine, aut imbecillitate aut denique malitia in errorem vllum aut vitium possit incidere. Atque hinc fit, vt tanto peccatum omne odio prosequatur, virtutem vero sanctitatemque è virtute profectam, tenerrimo affectu amet. Si ergo immenso huic Deo placere cupimus, fugiendum nobis summa contentione peccatum, tamquam exitiabilis animæ nostræ pestis, iuratusque Dei hostis: è diuerso vero virtus amanda, atque omni conatu ad eam consequendam laborandum, quam Deo gratissimam esse, & qua nos in æternum cum Deo coniungendos intelligimus.

DIES SEXTVS.

De amore Dei in homines.

1. DEi amor est sine mensura, fundo, limite, tam late vbique quam Deus ipse diffusus: quo supra omnem creaturam quæ sub aspectum cadat, hominem ad similitudinem suam procreatum diligit. Cum ergo amoris maxima sit conciliatrix similitudo, facile intelligere possumus quantope-

re à

Digitized by Google

re à nobis Deus amandus sit, qui nos ad similitudinem suam efformauit. Reliquæ omnes rationis expertes creaturæ, vmbræ tantum Dei sunt; at homo viua eius est similitudo & imago, quam Deus ipse dignam sua beneuolentia & familiaritate æstimat. Ex quo perspicue videmus quantus sit Dei in nos amor, quantumque nos eidem amorem debeamus. Nam si naturæ aut lineamentorum similitudo, vehementissimos amoris ignes excitare soleat in animis eorum, qui similitudine aliqua inter se sunt coniuncti: quantum Dei in homines amorem esse oportet quos ipse ad similitudinem suam elegantissime effinxit? quantumque Deo amorem homo debet, à quo se nullo suo merito, sed pura eius bonitate, viuum Dei simulachrum effectum esse cognoscit? Et cum videamus vnumquodque simile coniunctione sui consimilis maxime gaudere, ob natum ex similitudine mutuum desiderium; cuius homo coniunctione & familiaritate magis gaudebit, quam eius cuius se imaginem esse, & ad cuius similitudinem se conformatum meminit?

11. Dei quoque in homines amorem colliges ex mundi creatione, quem Deus cum omni eo quod vsquam in mundo cerni potest, hominis solius gratia produxit, cum ta-

men homini ipse nihil omnino, Deo autem homo vt potę creatori suo, omnia debeter.

III. Prodit se etiam quotidie Dei in nos amor, quotidianis eius in nos beneficiis, quæ tum naturæ adminiculo, tum supra naturæ vires innumera prope congerit, & præcipue diuinis illis sancti Spiritus donis, quibus homines Dei filii cælorumque heredes constituuntur. Et quamuis homo naturæ in malum procliuitate toties à Deo ad peccatum deficiat; non ideo tamen Deus opus suum omnino negligit, aut illi implacabiliter irascitur: nam licet Deus super omnia peccatum oderit, atque ipsum etiam hominem quamdiu peccati sordibus infectus est, manet tamen interim in Deo semper inuiolatus amor ille creatoris in creaturam. vnde fit vt non obstantibus flagitiis, quibus Dei iram in se concitauit, plurimis tamen eum naturæ donis cumulet, atque etiam frequenter ad peccatum detestandum incitet, vt is sibi hoc pacto deperditam conditoris sui gratiam reconciliare studeat. Ex quo discamus, licet inimicorum nostrorum vitiis irasci possimus, eaq; odisse; numquam tamen odium nostrum in personam ipsam se exerere debere; sed contra ei omne bonum precandum esse, allaborandumque vt eum ad peccati agnitionem corre-

rectionemque adducere possimus. Præterea cum amor in Deo causa existat omniū beneficiorum, quæ tanta liberalitate in homines profundit, nobis etiam ad hoc enitendum est vt omnia nostra erga inimicos officia amoris affectu aggrediamur,& conficiamus. Ita vt omnes nostræ cogitationes, dicta factaque ab amore proficiscantur, amorem & caritatem spirent & sapiant, atque ita nihil cupiamus, nihil optemus, præter id quod Deus optet aut cupiat; vt sic voluntate nostra ac iudicio diuinæ voluntati iudicioque conformatis, ea possit esse inter Deum & hominem animorū conspiratio, qualem inter amicos esse decet, qui vere ex animo inter se amant, sitq; tandē in duobus corporibus vnus animus, & cor vnū.

IV. Verum multo adhuc dilucidius hic Dei in homines amor emicat in Christi incarnatione, in qua summa infinitaque Dei maiestas, vt nos ab æternis suppliciis liberaret, quibus scelere nostro iam tenebamur, humanam naturam assumpsit. Nam cum perfectus amor videretur exigere similitudinem aliquam & æqualitatem inter amantes, sciens Deus eam esse diuinitatis suæ excellentiam, ad quam nunquam vlla ratione homo posset attingere; ipse se dimisit, humanaque natura induit, vt sic homini

men homini ipse nihil omnino, Deo autem homo vt pote creatori suo, omnia deberet.

III. Prodit se etiam quotidie Dei in nos amor, quotidianis eius in nos beneficiis, quæ tum naturæ adminiculo, tum supra naturæ vires innumera prope congerit, & præcipue diuinis illis sancti Spiritus donis, quibus homines Dei filii cælorumque heredes constituuntur. Et quamuis homo naturæ in malum procliuitate toties à Deo ad peccatum deficiat; non ideo tamen Deus opus suum omnino negligit, aut illi implacabiliter irascitur: nam licet Deus super omnia peccatum oderit, atque ipsum etiam hominem quamdiu peccati sordibus infectus est, manet tamen interim in Deo semper inuiolatus amor ille creatoris in creaturam. vnde fit vt non obstantibus flagitiis, quibus Dei iram in se concitauit, plurimis tamen eum naturæ donis cumulet, atque etiam frequenter ad peccatum detestandum incitet, vt is sibi hoc pacto deperditam conditoris sui gratiam reconciliare studeat. Ex quo discamus, licet inimicorum nostrorum vitiis irasci possimus, eaq; odisse; numquam tamen odium nostrum in personam ipsam se exercere debere; sed contra ei omne bonum precandum esse, allaborandumque vt eum ad peccati agnitionem corrẽcti-

rectionemque adducere possimus. Præterea cum amor in Deo causa existat omniũ beneficiorum, quæ tanta liberalitate in homines profundit, nobis etiam ad hoc enitendum est vt omnia nostra erga inimicos officia amoris affectu aggrediamur,& conficiamus. Ita vt omnes nostræ cogitationes, dicta factaque ab amore proficiscantur, amorem & caritatem spirent & sapiant, atque ita nihil cupiamus, nihil optemus, præter id quod Deus optet aut cupiat; vt sic voluntate nostra ac iudicio diuinæ voluntati iudicioque conformatis, ea possit esse inter Deum & hominem animorũ conspiratio, qualem inter amicos esse decet, qui vere ex animo inter se amant, sitq; tandẽ in duobus corporibus vnus animus, & cor vnũ.

IV. Verum multo adhuc dilucidius hic Dei in homines amor emicat in Christi incarnatione, in qua summa infinitaque Dei maiestas, vt nos ab æternis suppliciis liberaret, quibus scelere nostro iam tenebamur, humanam naturam assumpsit. Nam cum perfectus amor videretur exigere similitudinem aliquam & æqualitatem inter amantes, sciens Deus eam esse diuinitatis suæ excellentiam, ad quam nunquam vlla ratione homo posset attingere; ipse se dimisit, humanaque natura induit, vt sic homini

similis efficeretur: verum nec hoc satis adhuc diuinæ caritati visum. nam cum solus verus amor non tam amantiũ similitudine aut donorũ largitione contineatur, quã in perferẽdo amici causa res laboriosas ac difficiles; voluit etiam sanguinẽ suum & vitam pro nobis profundere, vt hoc argumento summũ suum perfectissimũq; in nos amorem declararet. nec enim vllum maius aut certius amoris indiciũ à quoquã exspectari potest, quam vt sanguinem suum & vitam summa voluntate amici causa prostituat.

V. Apertius se adhuc Dei in nos amor ostendit, in grauissimis acerbissimisque cruciatibus, quos Christus nostri causa adiit, dum flagellis concisus, spinis coronatus, & cruci diris clauis affixus fuit. Compone inter se Dei omnipotentiam, & sæuissima illa quibus mulctatus fuit, verbera, augustissimam cælestis regis maiestatem, & spineam coronam; Dei excellsissimam dignitatem, crucisque ignominiam. Tum cogita quam vehementem amorem illum fuisse oportuerit, qui tantæ maiestatis, potentiæ, ac sapientiæ Deum, ad tam immania tormenta, tam indigna supplicia, tam ignominiosam mortem attraxerit, vt nos præter omne meritum nostrum ab æterna damnatione vindicaret.

VI. Si

VI. Si amoris mensura sint ipsa opera, nec hac vlla certior eius mensura inueniri possit, facile assequeris quanto amore Dei pectus repletum fuerit, qui nostri causa, ab infinita sua dignitate, ac beatitudine, ad vilissimam nostram conditionem, infimasque miserias descenderit. Quare si inter sublimissimam dignitatem Dei & abiectissimam nostram cōditionem inexplicabile ac prorsus infinitum interuallum interiaceat, consequens omnino est vt Dei amor, qui eum tantam intercapedinem transilire adegit, inexplicabilis quoque sit ac infinitus. Inspice hic teipsum & metire tuam in Deum caritatem, & opera tua tamquam certissimam eius mensuram considera. vide quid illius causa præstes, anne in gratiam ipsius, quandoque aliquid tibi de bonis tuis, de dignitate, de voluptatibus detrahas, studio eum imitandi & vt tanto ei te similiorem reddas. nam opera huiusmodi caritatem tuam demonstrabunt, quandoquidem ipsa eius sint mensura. Si opera tua magis mundum sapiant, cogitationes tuæ & studia magis ad fluxas opes, inanes honorum fumos, voluptatum blanditias spectent, quam Deum resque ad Deum pertinentes; amor tuus magis est mundanus & terrestris, quam cælestis aut diuinus. vide quid te deceat,

quid Deo debeas, & quid ab eo exspectare possis.

VII. Dei se amor ad omnes homines extendit: etiam ad omnes peccatores, quorum vitæ correctionem cupidissime exspectat, dilatis interim suppliciis quibus merito multandi essent. & quamuis hic amor ad omnes se homines porrigat, est tamen in vnumquemque non minus intentus quam si vnum solum hominem spectaret. quod facile credemus, cum diuinæ caritatis infinitatem attendemus. qua fit, vt multitudine eorum quos amat, affectus eius non exhauriatur. Fuit hic amor in Deo ab omni æternitate, vti & in omnem æternitatem perdurabit, quo hominem etiam ante quam in hanc rerum naturam prodiisset, amauit, variasque rationes inuenit quibus natum ad suum amorem allic eret. Hinc ei tam innumera beneficia, tamquam efficacissima amoris incitamenta proposuit, illum in filium sibi adoptauit, heredemque æternæ gloriæ scripsit, eaque omnia non alio fine, quam vt in homine mutuum amoris ardorem excitaret. Ipse hominem ad cælorum excelsissima extulit, Deum ad ima terrarum depressit, vt hominē Deo Deumque homini similem efficeret: vt hac vtriusque similitudine & conformatiōe in homi-

ne vis

ne vis amoris augesceret, altius eniteretur, profundius radices ageret, firmior stabiliorque & quæ in omnem æternitatem perdurare posset, existeret.

DIES SEPTIMVS.

De amore quem nos Deo debemus.

I. COgita Deum esse tuum conditorem, saluatorem, parentem, & liberatorem, & horum nominum quodlibet sufficere, vt te totis animi & corporis viribus ad eum perpe uo amandum merito conferre teneaaris.

II. Deum esse interminatam bonitatem, æternam animæ iucunditatem, quam nulla creata intelligentia complecti possit, atque ideo omnium amore dignissimam.

III. In Deo omne bonum esse reconditum. Cogita quidquid volueris, opta quidquid animo libuerit, numquam tam multa cogitatione complectere, quin infinite plura in Deo adhuc inueniantur. Omnes diuitiarum thesauri, omnes cælestium donorum gazæ, omnes æternæ gloriæ honores & dignitates in eo constitutæ sunt, abeoque tamquam omnium bonorum fonte abundantissime profluunt. Maiusne amoris inuitamentum excogitari posset?

IV. Considera facilitatem illius mandati

quod Deus summum & maximum vocat: quod duabus hisce vocibus continetur, *dilige Deum.* Quid facilius quam Deum amare, in quo omnia amoris incitamenta plenissime inueniuntur? Quid est omnis pulchritudo & venustas creatarum rerum cum Dei pulchritudine composita, quæ omnem amabilitatē, quæ esse vsquam possit aut excogitari, perfectissime in se complectitur? Amasne diuitias? in Deo cælestes simul omnes ac huius mundi diuitiæ continentur. Honores exoptas? quis te ad ampliores, seu in cælo seu in terra honores euehere potest, quam Deus? In Deo existūt cælestes omnes deliciæ, quę infinito excessu terrenas omnes exsuperant. Beneuolentiane & verborum suauitate ad amandum inuitari desideras? quis Deo beneuolentior? amabilior? & è cuius ore suauior vnquam oratio prodiit? Diligis sapientiam & virtutem? quæ sapientia aut virtus cum Dei sapientia & virtute potest contendere? Quapropter summopere hoc mirādū, qui fieri possit vt homo præter Deum aliud quidquam amet, in quo omnis virtus, sapientia, bonitas, diuitiæ, honores, voluptates, immenso interuallo excellentiores, quam in vlla re creata existunt. Et sane quid procliuius quam amare summam pulchritudinem, bonitatem, opulentiam,

tiam, dignitatem, voluptatem? quarum rerum amore & fructu beatitudo nostra continetur? Qui fieri potest vt in alias res oculos nostros coniiciamus, aut alia animo agitemus? & nõ potius toti diuini amoris igne inflammemur, penitusque ad radios tanti tamque vehementis solis, caritatis ardore tabescamus?

V. Et vero vt grauia nobis asperaque à Deo proponerentur, an non tamen merito omnia promptissimo animo suscipienda essent? Quinimmo vllane tam difficilis molestia aut dolor tam grauis inueniri posset, quem non cupidissime nobis Deo placendi, & obsequendi studio speq; æternæ beatitudinis mercede promerendi, adeundum putaremus? at modo cum nihil aliud præcipiat, quã vt eum toto animo diligamus, quid, si hoc neglexerimus purgandi nostri causa adferemus? ecquod tandẽ leuius, magisque naturæ propensioni consentaneũ præceptũ optari à nobis posset? Præterea perpende quod quamuis, etiam sine omni edicto ad Deum amandũ naturali conditione obstricti simus, tanta tamen fuerit Dei bonitas & benignitas, vt affectũ hunc, sibi tot nominibus debitum, tam vberibus tum in hac vita tum in altera præmiis remunerari voluerit. Immo æternæ gloriæ mensuram non aliam

quam

quam vniuſcuiuſque amoris contentionem perfectionemq; eſſe voluerit, ita vt excellentiorē ei in cælo gloriæ dignitatē ſit collaturus, in quo perfectiorem caritatē inueniet, licet idē forte ſeu in propria, ſeu in aliena ſalute procuranda minus laboris impendiſſet.

VI. Inſpice teipſum, & vide quam accurate huic præcepto obtemperes. Deumne qui eſt ſumma dignitas, pulchritudo, opulentia, iucunditas, ardentius, an mundi dignitatem, pulchritudinem, opes, voluptates ames. Attende quo magis cogitationes & ſtudia tua tendant, ad quæ comparanda plus temporis & operæ colloces, demum conſidera ad quod amplius tum naturæ imperio, tum Dei edicto obligere.

VII. Mandatum hoc caritatis ſummum & maximum eſt Dei mandatum, in quo omnis ſalutis noſtræ cardo vertitur,

1. Quia hoc fundamentum eſt & radix omnis perfectionis.

2. Sublimiſſimum eſt & digniſſimum; quia caritas eſt virtutum omnium excellentiſſima, ſine qua reliquæ omnes virtutes mortuæ ſunt.

3. Summum eſt, ob ampliſſimam quam parit, meritorum copiam. Caritas enim eſt omnis meriti fons & origo: ſine qua nullum opus mercede aut præmio dignum.

4. In

4. In hoc summum perfectionis culmen consistit, caritas enim suprema est omnium virtutum perfectio.

5. Hoc præcepto aliorum omnium mandatorum finis continetur: ad caritatem enim tanquam ad finem suum, reliqua omnia Dei mandata collimant. Cui mandato vt quam studiosissime possumus obtemperemus, tum ipsa nos hortatur natura, tum amplissime nobis à Deo gratiæ præsidia offeruntur: ad hoc enim caritatem nobis infundit, constantissimeque nobiscum in caritate exercenda occupatis laborat. Imo in hunc finem Spiritum sanctum nobis adesse vult, qui est ipsa caritas, ita vt omnes illi qui caritatem in se supernaturalem habent, etiam ipsum sanctum Spiritum habeant, qui est caritas infinita; qua interueniente Deus & homo mira beatissimaque inter se coagmentatione vniuntur.

VIII. Similem quoque in naturali caritate proprietatē videmus: vna enim ex præcipuis eius proprietatibus hæc est, quod amantium animos inter se deuinciat & quodammodo vniat, idque eo arctius quo est amor inter eos potentior, vt non incongrue dictum sit, amantium in duobus corporibus vnum esse animum: atq; ideo vbiq; mutuam societatem coniunctionemque cupidissime

diſſime affectant, nec quieſcere poſſunt quamdiu alter ab altero ſunt diſiuncti: neuter alterum celare quidquam poteſt, nec vlla maioris vnquam momenti negotia, niſi ex mutua ſententia aggrediuntur. Conſidera num tu cum Deo vnus ſis, eiuſdem cum eo iudicii, animi, voluntatis: anne omnia tua negotia, Deo ſuper his conſulto, aggrediare, an magis in his mundi conſilia ſecte-ris. atque hinc perſpicue cognoſces quem diligas. Expende hic etiam tecum eorum qui mundum ſequuntur amentiam, qui maiori induſtria & labore incumbunt, vt ſibi quam arctiſſime terrenas facultates, honores, voluptates deuinciant, quam vt diuinas & cæleſtes: immo, quam vt Deum ipſum infinitum ac ſempiternum omnium diuitiarum, honorum, voluptatum, oceanum ſibi concilient.

IX. Ad hunc amorem in nobis ſuſcitandum, plurimum iuuabit.

1. Conſiderare à Deo hominem prius amatum fuiſſe, quam ipſe Deum amarit; idque vt hominem hac amoris præoccupatione ad ſe quoque amandum prouocaret: quod vt cupidius faceret, varia ei ad hoc præſidia contulit. Et quoniam humanarum virium tanta eſt imbecillitas, vt Deum homo nunquam digno ſatis amore poſſit dili-

gere,

gere; Deus animo eius incredibilem donorum supernaturalium copiam infundit, atque in eum Spiritum sanctum immittit, qui est ipsa interminata Dei caritas, vt hisce præsidiis instructus homo, quantum potest, diuinæ caritatis perfectionem assequatur, nam humana mens cęlesti hoc igne succensa, eoque tamquam anima sua animata & corroborata, tum pari cum eo conatu ad caritatis exercitationem connitens, (vti duplicatæ aquarum scatutigines ampliorem riuum) tantam huius virtutis dignitatem excellentiamque producit, quantam nulla lingua explicare, nec mens vlla possit concipere.

2. Attendere Dei in homines caritatem nullis se terminis aut limitibus continere, vt hominem ad similem caritatis amplitudinem nullis terminis circumscriptam excitet: vt is Deum semper diligat ex toto corde, omni inde alio amore excluso, ex tota anima, nullis aliarum rerum amoribus distracta: ex tota mente, ita vt ea numquam à diuinæ mentis regula deflectat: ex tota voluntate, ita vt nihil optet, nisi quod Deo placere sciat, nihil amet quod ipse non amet, atque ita in omnibus voluntati eius pareat: ex omnibus viribus, ita vt operæ suæ aut labori nunquam parcat, sed contra potius.

tius omnes tum animæ tum corporis neruos ad Deum quam perfectissime amandum contendat.

3. Quod Deus hunc à nobis amorem postulet, nostra tantum causa, vt nos ad æternam beatitudinem, regnique cælestis gloriam possit euehere: ad quam consequendam vt ardentius contendamus, incitamentis quibuscumque potest homines incitat, atque etiam ęternorum suppliciorum comminatione exstimulat, vt ii qui cælestium bonorum promissione ad Deum amandum non inflammantur, tam immanium suppliciorum terrore impellerentur: vnde patet à Deo nihil non tentatum esse, quo hominem tandem ad se amandum inuitare posset, vt hoc impetrato rationem aliquam haberet, eum secum ad æternæ gloriæ possessionem extollendi.

Hebdo-

Hebdomas quarta.

DIES PRIMVS.

De beneficiis Dei.

I. Consideremus quid fuerimus, ante quam nascceremur, vt ab hoc principio cõmodius in nostræ conditionis notitiam venire possimus: atq; inde quantum Deo obstricti simus coniicere. Cum enim viderimus solo nos eius nutu ac potentia è nihilo in hanc lucem productos esse, cui dubiũ esse poterit, quin ei honorem, obsequium, amorem, omnia denique venerationis officia debeamus? perpendamus etiam quod cum res creatæ omnes vt vim suam exerant, materiam existentem prærequirant, Dei eam esse potentiæ magnitudinem, quæ etiam ex nihilo quæcumque libuerit efformare possit, quod citra infinitam agendi vim nullo pacto fieri potest. quę potentiæ infinitas merito commouere nos debet, vt cum omni veneratione nos tam admirandæ potentiæ Domino subiiciamus.

II. A quo

II. A quo corpus hoc, à quo animam acceperimus à Deo nimirum qui corpus hoc cum omnibus suis membris atque animũ cum suis facultatibus ex nihilo produxit, atque tam amica inter se societate copulauit, vt duo hæc paribus studiis Deo conditori suo perpetuo seruirent, eumque honore atque amore debito prosequerentur. Quam innumeros Deus, si ita visum fuisset, præter eos quos condidit, procreare potuisset! quam multos perpetuis nihili sui tenebris inuolutos reliquit? cum nos interim, (aliis innumeris neglectis) in suauissimam hanc lucem produxerit. Ex quo facile intelligere possumus quem ei honorem, quam gratiam, quem amorem pro tanto beneficio debeamus.

III. Quis nos in hac vita seruat ac tuetur, nisi solus Deus: & sane hæc cõseruatio, & perpetua quasi tutela, si rem bene expendamus, non minus est ipsa procreatione beneficium. Cuius rei attentior consideratio 1. Magnopere nostram in Deo fiduciam confirmare potest, cum videamus ab illius nutu omnium rerum conditarum naturas pendere. 2. Salubri animos nostros formidine coercere, cum aduertimus infinitam Dei potẽtiam diuinæ iustitiæ administram esse, eique ad nutum in omnibus obedire.

3. Ve-

3. Veram nos animi submissionem docere, si continenter meminerimus, ita nos perpetuo à conseruatrice Dei manu pendere, vt momento temporis in nihilum rursus [illegible]beremur, si manu sua paululum subducta nostræ nos imbecillitati tantillum permitteret.

IV. A quo diebus singulis vita nostra sustentatur? Quis terræ fruges, pecorum iumentorumque subsidia nobis præter Deum procurat? à quo tanta tamque varia ciborum potionumque copia, tam grata saporum diuersitate imbuta, vt non solum ad necessitatem, verum etiam ad voluptatem oblectationemque omnia abunde suppetant, procreatur?

V. A quo omnes huius mundi opes, cunctaque ad mortalium sustentationem necessaria adiumenta profluxere? an non Deo? quam raro tamen animum ad hoc aduertimus? quam tenuia gratitudinis ei signa exhibemus, quam raro pro tanta eius in nos beneuolentia, laudem ei aut gratiam rependimus! quam parce ea quæ tam liberaliter ab eo accepimus, ad illius obsequium erogamus! quoties stolida arrogantia excæcati nostro ea labori industriæque accepta ferimus, quæ à sola Dei beneficentia data possidemus! quam tenaciter quoque ea solici-

ſoliciteque aſſeruamus, ac ſi ea æternum in noſtra poteſtate futura cenſeremus! deniq; quam auide rebus hiſce fugacibus animus noſter adhæreſcit, qui tamen omnis potiori iure in Deum omnium largitorem transferendus eſſet.

VI. A quo id nobis beneficii collatum eſt, vt parentibus Chriſtianis in Eccleſiæ Catholicæ clientela naſceremur, cum interim innumera prope hominum millia parentibus verum Dei numen ignorantibus nata, æternis modo inferorum flammis crucientur, qui non tantis, quam nos ipſi, flagitiis hæc ſupplicia meruere. quam ergo conditori noſtro beneuolentiam, quam gratitudinem debemus, qui nos in ſacroſanctæ matris Eccleſiæ ſinu genitos, diuinamque eius legem edoctos, toties ſcelerum grauiſſimorum reos abſoluit, tamque frequenter diuinæ ſuæ gratiæ dotibus exornauit.

VII. Quis nos, poſtquam æternæ ſalutis hereditate, vitio noſtro excideramus, diaboloque ad perpetuam ſeruitutem noſtris ſceleribus adiudicādi eramus, in libertatem primumq; ius noſtrū poſtliminio reſtituit, atque è diaboli filiis mancipiiſq; Dei iterum filios ac æternæ gloriæ heredes effecit, niſi idem Deus? Quid ergo huic vnquā dignum tantis beneficiis rependere poterimus? quid nobis

Digitized by Google

nobis superest, quod ei gratitudinis ergo offeramus? quidquid nostrum esse credimus, illius est. Mancipia illius sumus, ab ipso maximo pretio empti, serui eius sumus, ipse noster Dominus, nos subditi eius, ipse Rex noster. Quamobrem cum nihil nobis reliquũ sit, quod tam benigno Domino rependere possimus, adhibeamus omnẽ operam, vt (quantum cum illius fauore assequi poterimus) ei omni cura, studio, diligentia seruiamus, laudemusque, & si ne hoc quidem satis digne possimus, toto saltem animi conatu eum diligamus & amemus: quid enim minus possumus, quam eum ardentissime amare, à quo quidquid in bonis habemus, accepimus; quique longe ampliora diuinioraq; dare possit, & cum placuerit nos in altissimam cæli regiam, sempiternis ibi beatorum gaudiis perfruituros euehere?

VIII. Considera quantum sit beneficium Christum nostri causa incarnatum fuisse, diuinamque naturam ad humanæ conditionis vilitatem, quæ infinito interuallo distant, demisisse: eundem ex paupere virgine, in iumentorum stabulo natum fuisse, tam indigna & atrocia tormenta pro nobis suscepisse ac pertulisse. An non hęc maiora beneficia reputanda, quam aut humano aut angelico intellectu æstimari possint?

IX. Re-

IX. Relicta nobis ab eo in Ecclesia Sacramenta, tamquam perpetua amoris eius pignora, promissorum nobis ab ipso factorum sponsores, & tamquam sacra quædam vasa, quibus infinitum sanguinis eius pretium assèruatur, & è quibus liberalissime cælestium donorum fluenta in nos deriuantur; quid aliud quam immensam Dei in homines beneficentiam, incredibilemque nostram in eum ingratitudinem testantur? quid hæc aliud sunt quam euidentissima amoris eius in nos indicia, quibus tamquam suauissimis illecebris, nostrum ad se amorem pellicere contendit? Hæc quoque sunt inuictæ arces & propugnacula aduersus omnes hostium insultus impugnationesque obiecta: hæc arma nostra, clypei, tela, hastæ, sagittæ contra omnes hostium machinationes: hæc nobis sunt præsentissima contra morbos omnes medicamenta: in his robur nostrum, omnem naturæ imbecillitatem corroborans, solatium mœrorem omnem abstergens, virtus omnem debilitatem atque inconstantiam confirmans. Horum denique efficacitate anima peccatis extincta, ad vitam reuocatur, pristinæque valetudini & incolumitati restituitur.

X. An non etiam euidentissimum diuinæ be-

næ beneficentiæ argumentum habemus Spiritum ſanctum tanta liberalitate in homines effuſum? Quid ſuper hæc optare aut vouere poſſemus? quid deeſſe poſſet habentibus animum diuino hoc ſpiritu repletum? Opeſne? terrenæ omnes atque cæleſtes opes in hoc ſunt reconditæ. Honores? huius præſentia, homo diuina quodammodo dignitate illuſtratur. Voluptates? quæ deeſſe poſſunt voluptates, vbi ipſa voluptas ſedem fixit? vbi omnis cælorum eſt lætitia? vbi eſt Dei Patris ac filij infinita caritas? hoc eſt cæleſte lumen, quod ſuis radijs caliginoſas rerum terrenarum appetitiones diſſipat, metum ex animis exigit, ſuperuacuam anxietatem relaxat, peccatorum maculas eluit, debita omnia condonat, preſſum omnem ponderum depellit, atque ex miſerrimis inferorum mancipijs, Dei filios regnique cæleſtis hæredes efficit. Quid his amplius deſideremus aut ſperemus? Nos ergo curioſiſſime Spiritus ſancti ad nos aduentum obſeruemus, inſtinctus eius attendamus, commonitionibus obtemperemus, conſilijs acquieſcamus, curemuſque vt cupidius diuinis ſancti Spiritus incitamentis, quam doloſis mundi lenocinijs adhæreſcamus? Perpendamus etiam quid Deo pro tam excellentibus donis de-

beamus. Quibus si ad eum amandum colendumque non commoueamur, sumus sane brutis amantibus deteriores, quæ & altores suos agnoscunt, & quam possunt maximis indicijs suam in eos gratitudinem demonstrant.

DIES SECVNDVS.

De creatione mundi.

I. Contemplare admirandam hanc Dei fabricam, terram media mundi sede nullis columnis fultam, nullis vinculis religatam, solo Dei verbo libratam pendere: montium in ea rupiumque iuga mire assurgentia, vallium decliues cauitates: aquas intra suos alueos à terra riparum & littorum obicibus discretas, atque ad soli fœcunditatem aliosque hominum vsus hic riuulis coercitas, alibi vastis spatijs diffusas. Si tanta sit verbi Dei vis & potentia, væ proiectæ nostræ peccandi licentiæ! Cur non expauescimus? immo cur non tantæ potentiæ Deum toto affectu diligimus? vbi nostra de tanto numine fiducia, cuius solo verbo vastissima hæc cæli terræq; machina nititur.

II. Con-

II. Conſidera fontium ſcaturigenes, fluuiorum lapſus, maris vaſtitatem, multiplicia in ijs piſcium genera, eorum magnitudinem & frequentiam. atque obſerua in ſtupendis hiſce operibus ludentem Dei potentiam: vt hinc in admirationem tanti numinis rapiare, atque ad eum diligendum qui omnia iſta tui cauſa produxit, excitere. Roga omnipotentem hunc Deum, vt in te gratiæ ſuæ aquas influere ſinat, quæ animæ tuæ ſitim expleant, omnéque ex ea vitioſarum cupiditatum ariditatem expellant.

III. Contemplare beſtias terram, aerem, maria incolentes; innumeras agrorum fruges: hic terram auri, argenti, æris, ferri, plumbi aliorumque metallorum venis grauidam; alibi gemmarum, margaritarumque fulgore nitentem, hic ſuauiſſimis aromatum odoribus conditam, alibi diuerſiſſimis guſtu viſuque iucundiſſimis herbis & floribus veſtitam. Inexplicabilis hæc tam multiplicium rerum varietas ac perfectio, vno Dei verbo olim producta eſt, atque in hanc vſque diem continua propagatione conſeruata. Expende ergo quantis rationibus, vt Deum hunc ames, laudes ac venereare, obſtrictus ſis, qui tantam rerum rerum copiam, & varietatem, non ad neceſſitatem ſolum, verum etiam ad oblecta-

Digitized by Google

tionem tuam procreauit. Singulis sensibus peculiares suas delicias prouidit: oculis pulcherrimam vniuersi varietatem, montium altitudines, vallium decliuitates, fontium, amniumque pellucidos liquores riparum viridissimos vestitus, florum herbarumque colores amœnissimos: odoratui suauissimos aromatum, florum, plantarum odores: gustui multiplicium frugum iucundissimos sapores. Et ne auribus suæ deessent deliciæ, innumeras aues, quæ modulatis cantibus aerem mulcerent, condidit: quarum etiam carnes homini ad pastum, plumas ad ornatum aliosque vsus dedit. Rogo liberalissimum hunc mundi instructorem, vt qui terram hanc tanta pulchritudine & venustate adornauit, tamque abundanter omni rerum opulentia locupletauit, animum quoque tuum cælestibus ornamentis instruat, diuinos in eo satus inferat, tantoque caritatis decore illustret, quo diuinis eius oculis maxime placere possis. Non enim res istas, quæ sub sensum cadunt eo solum fine Deus condidit, vt ijs tamquam summo bono nostro adhæreamus, sed vt à sensibilibus & fugacibus harum illecebris ad diuinarum æternarumque voluptatum desiderium accendamur; vt dum terrenis hisce suauitatibus fruimur,

ita

ita nobiscum ratiocinemur: Si Deus tam amœnam rerum omnium varietatem procrearit quibus perituræ huius vitæ molestias subleuare possimus; quas credendus est internis externisque sensibus delicias in regno cælorum præparasse, vbi excluso omni dolore, anxietate, tristitia, liquidam omnium gaudiorum ac voluptatum abundantiam præparauit?

IV. Propone tibi terrestris paradisi amœnitatem, cum quo nulli regum aut imperatorum, quantocumque apparatu ac sumptu adornati horti aut palatia possint conferri: vti nec vlli carnium pisciumve exquisiti sapores innumeris condimentorum lenocinijs recocti cum sapiditate fructuum quos paradisus hic proferebat, comparari. Quippe cuius tanta fuerit amœnitas, vt omnis illa, quam modo videmus arborum, herbarum, florum, fontium, fluuiorum, camporum, montium toto orbe varietas & pulchritudo, vix tenuis illius vmbra videri possit. præterea in paradiso ea futura erat cæli & aeris temperies nulla vmquam immoderatiore vi caloris aut frigoris similiumve incommodorum vicissitudine interrupta, quæ corporibus summam constantemque salubritatem attulisset. potissimum tamen saluberrimi arboris vitæ fructus, o-

mnes morborum tentationes omnemque moriendi necessitatem ab hominum corporibus depulissent. Ex hac paradisi amœnitate etiam conijcere possumus, quæ nos amœnitas in cælestis paradisi campis exspectet, vbi ipsa vitæ arbor, nempe Deus ipse suo conspectu beatos pascet, ac sustentabit; cum tantæ fuerint terrestris illius paradisi in inferiore hac mundi regione plantati, deliciæ & voluptates.

v. Intuere aerem modo mira subtilitate extenuatum, modo concretum & in nubes coactum, humoresque colligentem, quibus terram imbribus augeat, modo ventis concitum, grandine & niuibus turbulentum. Item annuas frigorum & calorum varietates, dierum & noctium statas vicissitudines, atque excita temetipsum ad sedulam diuinæ magnitudinis considerationem, quæ verbo vno necessarias has ad animantium salubritatem rerum & tempestatum alternationes instituit: aer enim spiritu ductus alit atque sustentat animantes, nubes immoderatos solis ardores ab iisdem arcent, pluuiæ terræ fœcunditatem adferunt niues, grandines, ceteraque brumæ frigora ad eandem conferunt vel plurimum: & hæc omnia nostri causa Deus molitus est. quantum ergo nos huius domicilij inquilini

inquilini tam potenti architecto debemus?

VI. Considera vastissimos cælorum orbes, soliditatem eorum numquam fatiscentem, pellucidam serenitatem, incredibilemque tantæ machinæ cum admirabili celeritate impetum, & conuersionem. Expende qualem illum opificem esse oporteat, qui solo verbo tantam fabricam costruxit. Considera quoque amplissima illa cælorum spatia innumeris Angelorum turmis ab eodem instructa esse, quæ ingentem splendidissimo cælorum domicilio ornatum & dignitatem afferunt. Percurre nouem Angelorum choros, eosque continentibus laudibus diuinam magnificentiam extollentes ausculta: quibus tu animum tuum & affectum coniunge, & cum ijs, quantum vitæ huius perturbatio patitur, assiduis Deum conditorem tuum præconijs celebrare contende.

VII. Suspice Solem incredibilem eius pulchritudinem, magnitudinem admirabilem, vim, efficacitatemque ad omnium quæ in orbe hoc inferiore gignuntur, productionem necessariam, lumen eius amplissimum, nullis decrementis deficiens, mira iucũditate creata omnia perfũdẽs, momẽto tẽporis orbẽ vniuersũ, quã late patet,

illuſtrans. Contemplare lunam innummeris ſtellarum facibus comitatam, caliginoſæ noctis tenebras ad mortalium ſolatium diſſipantem. Attende quam eadem ſtupenda prodigioſaque in terra & mari luminis ſui incrementis decrementiſque, ad animalium conſeruationem operetur. Excitet te harum rerum conſideratio ad vehementem Dei creatoris amorem, cum aduertis ab eo ad hominum obſequium nobiliſſimas creaturas, ſolem, lunam, ſtellas productas; meditare quid ei pro his beneficijs poſſis rependere. Et ſupplica huic omnium conditori, vt eam tibi hic gratiam faciat, vt aliquando in cæli penetralibus tamquam fulgidiſſimum aſtrum lucere, atque inter beatorum cœtus, qui tamquam luci diſſimi ſoles in Dei cõſpectu longe ſupra materialem ſolem rutilant, fulgere poſſis. Compara etiam ſolem, qui inferiorem hunc mundum illuſtrat, cum ſuo conditore, lucemque huius infinitam, quæ cælum omne ſplendiſſima luce complet, cum creati ſolis radijs, qui infinito interuallo à Dei claritate ſuperantur. Defige hic cogitationem tuam in admirabile Dei lumen, quo vitiorum noctem, animæ tuæ ſerenitatem opacantem colluſtrat: & animaduerte quomodo cum hoc lumine excellentiſſima in

te

te gratiæ & virtutum decora, atque adeo ipsum, Spiritum sanctum, qui luminis omnis est lumen fulgidissimum, cælum omne terramque illustrans, effundat. Confer quoque animam cum luna: nam vt à sole luna lumen suum mutuatur, idque copiosissime semper ex ea parte qua solem spectat; ita cum anima sit, quæ lumen quoque suum à supremo iustitiæ sole haurit, tanto copiosius, quanto eum vicinius respicit. Considera hic quantum à Deo distes, quamque sis mundo propinquus. vide quo maxime cogitationes & studia tua collimcnt, & quem frequentius mentis tuæ & voluntatis oculi suspiciant. Elige cuius lumen malis, mundine, an Dei. Expende etiam quid Deo debeas pro excellenti hac luce, omnes ignorantiæ & peccatorum tenebras dissipante, quæ cum perspicua rerum cælestium cognitione, vanarum cupiditatum nebulas discusserit, animum ad dilucidam rerum cælestium contemplationem adducit, atque à terrenis ac fugacibus studijs abstractum ad interminatam, æternam, diuinamque sapientiam attollit. Quid est quod Deo pro tanta beneficentia non debeas? Quapropter ora eum ne hoc tibi lumen vmquam patiatur occumbere: sed continenter lucere tibi faciat donec ad æ-

ternæ lucis conspectum euoles, cuius deinceps radios, nulla nubium opacitas possit obscurare.

DIES TERTIVS.

De creatione hominis, eiusque conseruatione.

I. CONsidera hominem à Deo nulla necessitate, sed sola eius voluntate procreatum esse. ad quod faciendum infinita eum naturæ suæ bonitas & misericordia adduxit. quo in opere hunc sibi tantùm finem propositum habuit, vt hominem à se conditum suis perpetuo obsequijs mancipatum haberet. & cum naturas alias homine longe excellentiores ad hūc finem posset producere; hominem tamen ad hanc dignitatem voluit attollere. Ex quo perspicere possumus quantum Deo mortales cultum & obsequium debeant, à quo & ipsi in hunc finem conditi sunt, atque ad hūc commodius prosequendum ceterarum omnium rerum possessionem accepere.

II. Co-

II. Cogita à Deo mundum, & quidquid mundo continetur, hominis causa productum esse, quem statim ab ortu in rerum omnium creatarum possessionem misit, è quibus non paucæ homini ad alimentum datæ, quædam ad vestitum, aliæ ad onera vehenda, similiaque vitæ præsidia sunt comparatæ, nõnullæ etiã vt ingenita sibi à natura industria hominem erudiant, & vsum vtilitatemque variarum rerum, exemplo suo doceant. quin etiam plurimæ non alio fine productæ videntur, quam vt hominem tum varietate sua, tum pulchritudine & suauitate oblectent. Si Deus hæc omnia procrearit vt hominem in difficili hac mortalis vitæ profectione alant, foueant, tueantur, oblectent; quid credimus ab eo in æternæ vitæ regia præparatum, qui hæc omnia quæ videmus & quotidie vsurpamus, tantum ad necessaria prolixæ viæ subsidia instrumẽtaque subministrauit?

III. Nec solum Deus in ceteras res creatas homini dominatum dedit, verum etiam in effrenatas omnes animi commotiones, brutasque cupiditates: cuiusmodi sunt pleræque omnes appetitiones homini cum brutis animantibus communes: vt eas non cæco impetu quo libuerit ferri patiatur, sed rationis imperio vehementius incitatas

coerceat, placideque & conſtanter, ad id quod rectum bonumque videbitur agat. Ora Deum vt in te irrationales omnes propenſiones infreneſque impetus comprimat, vt his expeditus toto conatu ad Deum conditorem tuum laudandum venerandumque, vti par eſt, poſſis incumbere.

IV. Deus hominem poſtremo loco poſt ceteras omnes res efformauit, vt nos doceret, 1. Nos cum à tenuioribus initijs cœperimus, continenter ad ampliora perfectioraque eniti debere: ita vt in virtutum ſtudio numquam conquieſcamus, aut recedamus; ſed vlterius ſemper maiore indies animo conatuque pergamus: certemuſque ſancta quadam ſuperbia, Deo quotidie viciniores effici, longiuſque à terrenarum rerum humilitate, quas longe infra dignitatem noſtram eſſe cernimus, refugere: ac demum inſatiabili profectus noſtri auiditate excitati numquam laborare intermittamus, priusquam ingentem nobis æternorum theſaurorum cumulum congeſſerimus, quo ſumma ſecuritate in perpetuum anima locuples ac beata perfrui poſſit.

2. Hominem omnium creatarum rerum finem eſſe. nam ſicuti omnium aliarum rerum finis, etſi primus ſit qui operantis animum

mum ad operandum excitet; poſt cetera tamen omnia, quæ eius gratia fiunt exiſtit: ita quoque in rerum omnium productione, poſtremo à Deo hominis creatio facta tamquam operum omnium nobiliſſimum, cuius cauſa reliqua omnia eſſent condita. Quæ res nos ad perpetuam gratitudinem, ardentiſſimumque in Deum amorem, cõtinuum virtutum ſtudium, deſpectum cõtemptumque omnium terrenarum rerum excitare debet: ita vt præter cæleſtia & diuina, ad quæ perfruenda à Deo procreati ſumus, nihil quæramus, nihil optemus, nihil exſpectemus.

v. Contemplare corpus tuum è luto cõfiguratum: inſpice artus ſingulos, quanta ſingulorum varietas, aptitudo, elegantia: conſidera mirabiles oſſium commiſſuras, neruorum implicationem, venas arteriaſque toto corpore ex intimis viſceribus deriuatas: his ſuperinductam carnẽ cute vndique veſtitam: perluſtra ſingula tam quæ interius abdita, quam quæ oculis patent, in omnibus exquiſita naturæ miracula inuenies. Gratias repende tam admirabilis fabricæ architecto Deo, quam è terra effinxit, vt eius te aſpectus ad animi ſubmiſſionem commoueat. Perpende vnde corpus habeas, & in quid poſt paululum

tem-

temporis ſit diſſoluendum, eoque amplio-rem excellentiſſimo eius opifici honorem ac venerationem exhibe, quo è viliore abiectioreque materia tam nobile atque excellens opus ab eo conſtructum eſſe intelligis.

VI. Conſidera animam tuam ad Dei imaginem efformatam, atque cum terreno corpore tam admirabili coagmentatione copulatam. Quæ cum ſit inter nobiliſſima Dei opera, in ea obſerua

1. Eſſe eam ad Dei imaginem figuratam. perpende quid pro hac re debeas tuo conditori.

2. Eam eſſe purum indiuiduumque ſpiritum, qui nullo modo ſub oculorum aſpectum cadat: atque hinc diſce ardentius ea appetere & conquirere, quæ maiorem cum animæ dignitate ſimilitudinem habent, quam quæ terrena ſunt, & ob materiæ concretionem ſenſibus magis obiecta.

3. Eam eſſe immortalem, cuius nempe vita non à corporis incolumitate, ſed à ſola Dei nutu pendeat, qui eam numquam interire velit. Quam ob rem conatus eius omnes & ſtudia, immortalem felicitatem ſpectare ſemper debent, cuius eam perpetuitas numquam poſſit deficere.

4. Eam omnino ſimplicem eſſe, quæ tamen tres

tres in ſe nobiliſſimas facultates operandi varietate multum inter ſe diſcrepantes contineat. Intelligentiam qua rerum tam corporearum quã corporis expertium cognitionem comprehendit: memoriam quæ rerum mente perceptarum imagines conſeruat: voluntatem qua ea quæ animo allubeſcunt proſequitur, aliaque auerſatur; quæ animæ conſtitutio non obſcuram ſanctiſſimæ Trinitatis ſimilitudinem repræſentat.

5. Perfectiſima voluntatis libertate donanatam eſſe, ita vt res nulla creata exiſtat, quæ eam cogere nolentem queat: nullus ignis tam acer, nulla ſupplicia tam horrẽda, nulli tam immanes cruciatus qui hoc poſſint. vtere hac tua libertate ad animæ felicitatem procurandam, atque ad Dei gloriam proferẽndam, quem ad finem eam à Deo accepiſti. Sit hæc tibi ad Deo ſeruiendum, eumque laudandum, neque præterea ad rem aliam vllam, perpetuum inſtrumentum.

6. Aptiſſimam eſſe animam ad omnes ſcientias, artes, facultates comprehendendas, ad virtutem complectendam, atque ad cæleſtes gratiæ opes, æternæque gloriæ beatitatem poſſidendam. Dirige ad hunc ſcopum induſtriam omnem, vt eam felicitatẽ ad quã poſſidẽdã creata eſt tandẽ aſſequare.

7. Quod

7. Quod res omnes creatas dignitate antecellat, ipſius enim gratia reliqua omnia ſunt procreata. Si tanta eſt animæ noſtræ nobilitas atque excellentia, quæ inſania, quæ vecordia eſt, eam in res huius vitæ tam abiectas, tam viles, tamque longe infra eius dignitatem conſtitutas abijcere. Conſidera quid Deus ſit, & ſic paulatim animæ tuæ dignitatem, quæ pulcherrima Dei imago eſt concipere poteris Oſtende reipſa te Dei imaginem exiſtere: reluceat in omnibus tuis ſtudijs & actionibus diuinæ voluntatis ſpecies, vt omnes ij qui te viderint, audierintve, ex te Deum tamquam ex viua eius imagine poſſint agnoſcere.

VII. Inſpice penitius adhuc num in tuis actionibus ad Dei te magis, quam ad mundi ſimilitudinem conformes: & attende quam dedeceat eum qui ad Dei ſimilitudinem in omnibus ſuis actionibus exprimendam conditus ſit, ſi operoſius ſe ad mundi mores & ſtudia, quam ad Dei voluntatem componere laboret. Quotieſque te ad peccatum ſollicitari ſenſeris, veniat tibi in mentem, cuius ſis imago. Quid te ad carnis aut mundi ſtudia applicas? anima tua non ad carnis aut mundi effigiem figurata eſt. Illi te conforma, cuius ad imaginem creatus es, cuique

cuique ex naturæ tuæ conditione ſeruire atque obſequi teneris: teſtare factis tuis Deo te ſimulachrum eſſe, & ſancta quadam animi elatione te ipſe ſupra res omnes creatas effer, ac reputa eas indignas eſſe, quibus tam præſtans natura ad Dei ſimilitudinem compoſita, affectu adhæreſcat. Expende etiam quomodo te cum Deo coniunctum eſſe conueniat, qui eius es imago. Hoc frequens animo volue, & cum te vitiorum illecebræ à Dei obſequio abducere contendunt, ſic tecum ipſe ratiocinare, Anima mea, cuius es imago? cuius effiges? ad cuius te ſimilitudinem conformare debes? Si te voluptates, honores, diuitiæ ad ſuam effigem produxerint, animo tuo voluptatum [illegible]orum diuitiarum imagines perpetuo [illegible]me: quod ſi vero nihil à rebus iſtis, ſed omne quidquid es à Deo, ad eius imitationē efformatū acceperis; Deum imitare, illiuſque virtutem & perfectionem, ſtude quantum potes in te exprimere, atque adumbrare: omnes animi cogitationes, memoriæ imagines, voluntatis appetitiones, externæ denique omnes actiones Dei veſtigium aliquod & ſimilitudinem exprimant.

VIII. Conſidera non minus quā primam creationem Dei beneficium eſſe continen-

tem

tem noſtram conſeruationem. nam niſi aſſiduo nos diuinæ dextræ potentia in vita conſeruaret, continuo in primæuum ſuum nihil natura noſtra collaberetur. Expende igitur quid Deo in ſingula vitæ momenta debeas? qui illi affectus, quæ amoris indicia exhibere? quamque male ſapiant, qui cum nō ignorent vitam ſuam ſingulis temporis punctis ex Dei nutu pendere, non tamen eum ſceleribus offendere verentur: aut ſaltem diuinorum beneficiorum immemores, magis mundo quam Deo placere contendunt. Inſpice præterea quanta te prouidētia Deus innumeris periculis etiam nihil cogitantem eripiat. Cum enim ijſdem inopinatis caſibus, quibus alios quotidie opprimi cernis, te quoque expoſitum eſſe ſcias, quoties alios l[illegible]geri, teque intactum præteriri ſentis, toties hæc à te diuina manu propulſari, teque pro hoc Dei in te officio tot gratias debere agnoſce, quot alios calamitatibus affligi animaduertis. Hæc enim à te, non tua induſtria propulſantur, cum alij qui ijs inuoluuntur, ſæpe non minori, quin etiam nōnumquam maiori quam tu induſtria eas à ſe propulſare contendant; ſed ſola Dei pro te cura & vigilantia. pro qua quid ei in ſingulas horas immo in ſingula momēta debeas tecū exāina.

DIES

DIES QVARTVS.

De Angelo quem Deus cuilibet homini ad perpetuam cuſtodiam appoſuit.

1. ACcipe illuſtre diuinæ in nos charitatis argumentum: cui non ſufficiebat cælum, & terram, omniaque ijs contenta ad hominis obſequium commoditatemque produxiſſe, niſi ei etiam cæleſtium ſpirituum tutelam præſidiumque apponeret. Quibus officijs hanc Dei in nos beneuolentiam compenſabimus? qui ſingulis, è familia ſua nobiliſſimum ſpiritum diuinæ naturæ conſpectu in æterna beatitudine perfruentem, tamquam tutorem, defenſorem ac inſtructorem perpetuo vbique in omnibus negotijs adeſſe voluit. Ora Deum, vt tantam tibi ſollicitudinem donet obtemperandi angeli tui conſilijs, quantum ei bene tibi conſulendi atque in omnibus periculis defendendi ſtudium commendauit. Supplica etiam Angelo tuo cuſtodi ne te vmquam præſidio ſuo deſtituat, ſed

ſed in omnib. aduerſitatib. tueatur, omneſq; à te hoſt. ummolitiões auertat ac propulſet.

11. Cum ſciret Deus odium inuidiamque dæmonum aduerſus humanum genus, tantam eſſe, vt nec nocte nec die ab hominibus laceſſendis oppugnandiſque interquieſcerent, infinita ſua b nitate & m ſeratione tru ulentis h ſce leonibus, ne humanam imbecillitatem ſua ferocia diſcerperent, cæleſtes propugnatores oppoſuit, qui ſua virtute rabiem eorum furoremque coercerent. Qua ex re diſcimus 1. inſignem Dei in homines beneuolentiam, curam, amorem, prouidentiam. 2. Magnam nos in omnibus hoſtium impugnationibus fiduciæ occaſionem habere, cum intelligamus longe fortiores à nobis ſtare præſidiarios, quam ſint omnes quæ nos impugnare poſſunt copiæ 3. Non eſſe nobis vllo modo metuendas inferorum vires aut impetus, ſi angeli tutoris noſtri conſilijs obtẽperemus, quæ ſine magna inſipiẽtiæ culpa negligere non poſſumus. Quæ enim ea eſſet amentia, neglectis eorum adhortationibus, quos rebus noſtris ſtudere, nec aliud quidquam præter commodum ſalutemque noſtram quærere ſcimus, eorum velle conſilijs acquieſcere, quos ſciamus capitali à nobis odio diſſidere, nobiſque perpetuo perni-

perniciem moliri? iam vero quis ignorat dæmones iuratos nobis hoſtes eſſe, atque in æternum futuros? quorum omnis conatus eo tendat, vt nos in peccatorum præcipitia, ac tandem in æternarum flammarum tormentum ſecum pertrahant, omniaque eorum eo ſpectare conſilia, vt nos à virtutibus abſtractos, ad omnia ſcelera pertrahant, quæ certiſſimam ad æternam calamitatem viam ſternunt? Scimus quoque beatos Angelos beneuolētiſſimos amicos noſtros eſſe, & omnia eorum conſilia ſuaſioneſque, abſque omni erroris aut doli ſuſpicione ſaluti noſtræ conſulere. Quæ ergo hæc fatuitas, hoſtium eorum quos in perniciem noſtram iuraſſe ſcimus conſilia amplecti, & notiſſimorum noſtrique ſtudioſiſſimorum amicorum monita repudiare?

4. Angelorum exemplo vitam nobis inſtituendam eſſe, qui perpetuo angelum vitæ ducem, admonitorem inſtructoremque habemus. Intelligere hinc quoque poſſumus, quanti à Deo hominum animæ æſtimentur, cum earum ſingulis angelum tutorem perpetuum adiungat; quantique nos eundem facere debeamus, qui nobis à Deo vitæ cuſtos datus eſt, & à quo poſt Deum proxime ſalus noſtra pendeat. Et quamquam vel vnius angeli cuſtodia multis hominum

minum millibus monendis defendiſque ſufficere poſſit, voluit tamen infinita Dei caritas, vnicuique peculiarem cōſiliarium, patronum, defenſorem, idque à primo ortus cuiuſque die, apponere, vt & apertius ſui in nos amoris indicium & ampliorem ſe amandi venerandique occaſionem præberet.

III. Vti parentes liberis ſuis pædagogos ſolent apponere, à quibus & morum ciuilitatem, & literarum cognitionem hauriant: atque ad hoc munus maxime aptos & eruditos ſeligunt, vt ab his liberi à primis annis mores incorruptiores, inſtitutionemq; perfectiorem imbibant; ita etiam nobiſcum pater noſter cæleſtis agere videtur, qui à primo vitæ die angelum nobis tamquam pædagogum adiunxit, qui nos tota vita ducat, inſtituat, ac tueatur: cui quamdiu obtemperauerimus, errare numquam poſſimus.

IV. Munus angeli huius eſt, omnes hoſtium machinationes propulſare, ſollicitationibus eorum obſiſtere, horrorem nobis & tædium vitiorum inijcere, hortari ad voluptates, opes, honores, huius mundi deſpiciendos, animo noſtro frequenter mortis, iudicij, Inferni memoriam objcere,

re, ſalubribus inſtructionibus ignorantiæ caliginem diſcutere, in mente noſtra diuinæ lucis facem accendere, animo virtutum ſatus inſerere, atque ad hos propenſius excipiendos ſtudioſiuſque fouendos voluntatem exſtimulare, omnia à nobis impedimenta ſalutis amoliri, ad optima quæque ſectanda capeſſendaque oportunis monitionibus impellere: Deo pro nobis ſupplicare, diuini amoris faces homini ſubijcere, animæ palato res cæleſtes non vt inſipidas ſed tamquam ſuauiſſimi ſaporis illecebris conditas ingerere, ita vt hiſce ineſcata præter has nihil cogitet, nihil loquatur, nihil concupiſcat, nec qu dquam illi in mundo ſapiat, aut voluptatem vllam præter cæleſtia & diuina adferre poſſit. Cum ergo omnia hæc tutorum cuſtodumque noſtrorum munia ſolam noſtram ſalutem ac beatitudinem ſpectent, noſtrum eſt à talium pædagogorum conſpectu numquam deflectere, conſilijs eorum ſemper obedire, taliumque patronorum ſubſidium aduerſus omnes calamitates obnixe implorare. nam quales in hac vita nos erga ipſos exhibuerimus, tales eos in vltimo vitæ huius momento, in quo omnis noſtra ſalus vertitur, erga nos experiemur.

V. Co-

Digitized by Google

v. Cogita quid Deo pro paterna hac erga nos ſolicitudine debeamus: quanto nos conatu eniti deceat, vt tamquam probi filij, cæleſtem hunc pædagogum à Deo nobis datum ſequamur, monitaque eius omnia cupidiſſime amplectamur: cum perſpicuum ſit ea omnia bonum noſtrum ſpectare: nec eum vmquam in ſuis conſilijs falli poſſe. Quo te ergo animo, qua beneuolentia & gratitudine erga Deum eſſe conuenit, cui tuā ſalutē ita cordi eſſe animaduertis! Præmeditare etiam quid Deo ſis reſponſurus, ſi, quod abſit, repudiato tam amici monitoris conſilio, doloſas hoſtium tuorum hortationes ſequi malueris.

vi. Ex his etiam facile perſpicies, quanto amore, beneuolentia & honore proximum tuum proſequi, quantoque in pretio etiam vltimum hominum habere debeas: cum videas neminem vſquam tam vilem, aut abiectum exiſtere, cui non ſit angelus vnus à Deo ad cuſtodiam appoſitus.

vii. Conſidera etiam quā propenſa voluntate, quam alacriter conſtanterq; angeli hanc hominum tutelam obeant, quam hilariter nobis aſſiduo aſſiſtant, quanta ſollicitudine tueantur, quanta circumſpectione opera noſtra obſeruent, vt ſit ubi

ubi inſtructione, conſilio, adhortatione ſua nos indigere aduertant, continuo id præſtent, ea ſolum de cauſa, quia Deum ita velle intelligant. Quo angelorum exemplo monemur, vt in diuinis imperiis, non rei imperatæ dignitatem aut humilitatem, ſed Dei imperantis maieſtatem attendamus quod cum faciemus, quæcumque demum imperata fuerint, nunquam indigna nimium abiectaue videri nobis poterunt? Caritas quoque eorum in homines efficit, vt promptè magnaque voluntate hominibus inſeruiant: præſertim cum infinitum Dei in homines amorem conſiderant, cuius eum vi, vt hominem ab æternæ miſeriæ neceſſitate eriperet, ad humanæ naturæ humilitatem ſuſcipiendam adductum vident. Deſiderium etiam quo angeli tenentur, vt aliquãdo loca illa in cęlis referta videant, quæ rebellium ſpirituũ ſempiterno exilio deſolata ſunt, magnopere eos ad homines in virtutum ſtudio animandos, iuuandoſque excitat. Quarum rerum conſideratio nos etiam amplius excitare debet, vt omnem eis honorem ac reuerentiam exhibeamus, ſtudioſiſſime conſilia eorum amplectamur, eoſque quam affectuoſiſſime rogemus, vt animos noſtros omnibus peccatorum nexibus expediant, deprauatæ na-

turæ in malum propenſiones coërceant, nobiſque in omnibus neceſſitatibus noſtris, ægritudinibus, hoſtium impugnationibus, doloribus adſint, conſolentur, tueantur, mentem illuminent, voluntatem ad virtutum ſtudia, purumque & ardentem Dei amorem inflamment.

VIII. Conſidera quam potenter nos ab omni vitiorum conſuetudine auocare atque ad virtutem impellere poſſit, ſi perpetuo mente perpenderemus, verſari nos continenter in angeli noſtri cuſtodis conſpectu & præſentia, qui aſſiduo omnium actionum noſtrarum inſpector ac teſtis aſſiſtat, cuiuſque oculos nullo vmquam tempore declinare poſſimus. Cum ergo nos prauis ſollicitationibus ad flagitium inuitari ſenſerimus, cogitemus hunc nobis teſtem, inſpectoremque ſemper adſiſtere. Si te libidinum impetu ad turpitudinem inſtigari ſentias, erubeſce in huius teſtis cõſpectu quidquam quod vel vmbram turpitudinis habeat, animo agitare: ſi te ſuperbiæ, auaritiæ, inuidentiæ, aliarumue perturbationum aculeis exſtimulari animaduertis, cogita quantopere huiuſmodi vitia oculis tui tutoris diſpliceant. Memineris etiam, amiciſſimum hunc tuum cuſtodem, ſi monitis eius obedire neglexeris, futurum aliquando accuſa-

torem

torem tuum & aduersarium, qui vehementissime coram Deo iudice ignauiam tuam & improbitatem sit accusaturus: è diuerso vero si monita eius audieris, cōsiliis obtemperaris, habiturum te in suprema iudicii concertatione eum acerrimum patronum, defensorem, propugnatoremque aduersus omnes hostium intentiones & criminationes, & tandem fidelissimum ducem, qui te in internam cæli patriam securum introducet.

DIES QVINTVS.

De vocatione Dei.

I. CONsidera numquam nos parem diuinis beneficiis gratiam referre posse, quæ tam profuse à mundi exordio in hanc vsque diem in nos congessit. Percurre animo communia omnibus hominibus à Deo præstita beneficia, quorum innumerabilis multitudo, infinitam Dei erga nos beneuolentiam testatur.

II. Considera præter amorem Deo pro communibus beneficiis debitum, adhuc ampliorem nos ei amorem ac reuerentiam debere, cum super communia illa omnibus, peculiaria quotidie singulis beneficia impendere non cesset. quoties enim cælestibus animos nostros commonitionibus ad

virtutem allicit? quoties etiam reluctantes, manu quodammodo violenter iniecta, fortiſſime ad ſe rapit? Sæpe enim aut efficacibus virtutum exemplis, aut terribilibus prodigiis, aut ſubitis horrendiſque facinoroſorum hominum punitionibus; aut etiam viua imminentis mortis, aut extremi iudicii, aut æternorum ignium recordatione, nonnumquam etiam ampliſſimo æternæ gloriæ præmio oſtentato, inſolitas in hominibus animorum commutationes ſubitaſque ad virtutem conuerſiones concitat. Si quando huiuſcemodi in te commonitiones ſenſeris, caue eas ſurda aure prætereas, ne te imparatum ſubito mortis neceſſitas opprimat, cum fruſtra diuinis hiſce admonitionibus obſecutum te fuiſſe optabis. modo eas auſculta, modo exſequere, dum licet; quod ſi feceris, ſecurius extremæ horæ neceſſitatem exſpectabis, reliquoque toto vitæ tempore lætius ac hilarius perfruere.

III. Conſidera primo, Dei te beneficio parentibus Chriſtianis prognatum, citra omne tuum meritum ſalutaribus baptiſmi vndis expiatum fuiſſe: cum toto orbe tot millia parentibus, gentilibus, idololatris, Turcis in denſiſſima infidelitatis nocte naſcantur, quibus numquam vlla fidei aut veræ religionis inſtitutio offertur.

IV. Se-

iv. Secundo quot millia modo æternis inferorum pœnis excrucientur, qui longe minoribus flagitiis, quam tua ſint, ad ea tormenta æternum damnati ſunt. Cuius rei recordatio animum tuum ad ſummam in Deum gratitudinem pro tam excellenti beneficio declarandam commouere debet: ſimulque ſalubri Dei timore percellere, cum videas tanto te grauioribus aliquando ſuppliciis, ſi modo Dei benignitatem neglexeris, torquendum, quanto plura præ aliis beneficia ab eodem acceperis.

v. Tertio perpende quoties tibi Deus ſingulari benignitate pepercerit, cùm te in grauia ſcelera prolapſum, quibus repentinam mortem æternoſque ignes merebaris, magnâ patientiâ in viuis ſeruauit, cum interim alios complures ob ſcelera longè tuis minora temporariis in hac vita ſuppliciis, & in altera ſempiternis addixerit.

vi. Quarto reminiſcere quoties te infinita Dei clementia ad peccatorum deteſtationem & vitæ correctionem inuitarit. quoties te flagitiis enectum & in fœtidiſſimo peccatorum cœno ſepultum ſuſcitare & ad nouam viuendi rationem perducere ſit conata. cuius rei memoria efficiet ne vmquam aut tuorum aut alienorum ſcelerum grauitate exterritus de tua alteriuſve emen-

datione desperes; sed contra magna de Dei bonitate fiducia concepta, speres futurum aliquando, vt diuinæ lucis allapsu deprauatæ vitæ nubila dissipentur: cum certum sit neminem tam profunde vitiorum cœno immersum esse, quem non subito Deus inde ereptum ad vitę puritatem innocentiamque momento temporis possit traducere. Exempla huius rei habemus Magdalenam, Paulum, Matthæum, Zacchæum, Latronem ex cruce pendentem, qui exiguo tempore diuina virtute è facinorosis hominibus in Dei filios & amicos, in Apostolos & Discipulos Christi mutati fuere. Quod etiam indies fieri cernimus, sacrarum concionum auditione, piorum librorum lectione, sanctis adhortationibus, *illustribus* virtutum exemplis, internis etiam Dei instinctibus, cōmonitionibusq; & aliis innumeris modis quos ad hanc rem diuina bonitas solet vsurpare. Obsecra ipsum vt te diuina sua vocatione à peccatis abducat, ad virtutem excitet, atque ad se toto affectu amandum cum B. Magdalena, Petro, Paulo, aliisque Sanctis pertrahat: vt deserta semel vitiosa peccandi consuetudine, præter ipsum deinceps nihil quæras, nihil desideres, nihil concupiscas; sed in ipso omnem tuam spem, fiduciam, tranquillitatem, pacem & læti-

tiam

tiam constitutam existimes: credasque extra ipsum nihil inueniri posse, quod tibi animi quietem, & hilaritatem adferre queat. Extra ipsum enim nihil vnquam inuenies, præter continuam animi perturbationem, vitam perpetua inquietudine exercitam, mentem anxiam curis & solicitudinibus inplexam, innumerisque molestiis & periculis circumseptam.

VII. Perpende an non magis mundi inuitamentis, quam Dei vocatu soleas commoueri, ita vt studiosius cogitationes tuæ ad opes, honores, voluptates, quam ad virtutum in hac vita, præsidia conquirenda inuigilent. Quinimo dispice, an non frequens diuina consilia, non modo surda aure negligas, verum etiam audita contemnas, & violenter subinde à te profliges, sequens interim subdola insidiosaque mundi incitamenta. Si te huius culpæ reum deprehenderis, excita teipsum ad supplices Deo gratias pro hac sua in te clementia referendas, qui tam ingratum caput tam patienter hactenus tolerarit, debitasque de te pœnas reposcere distulerit, & sedulo & serio apud te statue, constanter deinceps & sedulo Deo vocanti obtemperare.

VIII. Examina grauissimas rationes quæ te ad obtemperandum vocanti Deo conci-

tare deberent. 1. Deum eſſe qui te vocet, cui tamen nullus operæ tuæ vſus eſſe poſſit. 2. Magnitudinem infinitatemque Domini à quo vocatis.

3. Conuenire magis vt creatorem ſuum res creatæ, regem ſuum ſubditi, ſerui dominum, filii parentem, diſcipuli magiſtrum, captiui liberatorem, ægri medicum ſequantur, quam vt contra vice verſa fiat.

4. Quam magnifica ſint ea bona ad quæ à Deo vocamur, quanta virtutis dignitas & pulchritudo, quanta diuinæ gratiæ excellentia & pretium, denique quam ampla ſint Deo obtemperantium in cælis præmia.

5. Impendentes calamitates ſi Deo vocanti parere contempſeris. Hæc aliaque ſimilia argumenta ſufficere poſſunt, vt nos ad Dei vocationem ſequendam, eique pro eo quod vocare nos dignatus ſit, gratias agendas, & in perpetuum diligendum, impellant.

DIES SEXTVS.

De cæleſti gloria nobis à Deo præparata.

1. INtuere cælorum ſerenitatem nullis vitæ huius miſeriis obſitam, ſed vndique diuinæ lucis radiis collucentem: vbi Deus ipſe Sol eſt, numquã occumbens aut deficiens: aura nullis tempeſtatum varietatibus

tibus inhorreſcens; ſed conſtanti perpetuaque ridens temperie: vnde exulat omnis anxietas & ſollicitudo, abeſt omnis dolor, cruciatus, moleſtia, mœror, omniſque harum rerum metus & ſuſpicio. Conſidera loci amplitudinem & amœnitatem, quæ infinitis partibus omnem terreſtris paradiſi iucunditatem excellit. O fortunatam illam animam quæ aliquando in amœniſſima hac regione locum inueniet! Quando dabitur inexplicabili eius iucunditate frui? & quando omni nos conatu ad poſſeſſionem loci huius capiendam comparabimus?

II. Perpende dignitatem pulchritudinemque incolarum huius loci. in quibus obſeruare poteris. 1. In tam innumerabili cœtu neminem fore qui non ſingulos agnoſcat & ab omnibus cognoſcatur: tamque arctam fore in tanta beatorum frequentia omnium inter ſe familiaritatem & neceſſitudinem, quam ſi exiguo omnino ibi numero viuerent. 2. Incolarum ſtatum & conditionem, quippe qui omni ſapientia, ſcientia, induſtria, fortitudine, omnibuſque facultatibus ad humanæ naturæ perfectionem pertinentibus ornatiſſimi ſint. 3. Mirã inter eos gloriæ & dignitatis varietatem, nam vt *ſtella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Quæ tamen conditionis diuer- 1. Co. 15.

Digitized by Google

ſitas nullam inter eis inuidentiam, nullam æmulationem parit, ſed cum ſumma eorum beneuolentia & caritate conſiſtit, vt non minus ſinguli de alterius beatitudine quantumuis excellentiore, quam de propria ſua gaudeant. Percurre nouem angelorum choros, cuneos Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Doctorum, Virginum, aliorumque omnis generis Sanctorum qui arctiſſimo inter ſe caritatis vinculo coniuncti ſumma ibi pace & concordia conuiuunt. vis horum cœtui annumerari? require eum quem tenuerunt in terris viuendi modum: paribus enim conatibus & ſtudiis, par merces & gloria eſt propoſita.

III. Expende excellentiam dignitatemque huius gloriæ: nulla ea amplior, nulla excellentior excogitari poteſt. Item gloriæ huius immutabilitatē & conſtantiam, quæ numquam deficere, aut mutari poſſit; cuius tamen inuariata conſtantia, nec faſtidium paritura ſit nec tædium, longe aliter quam terrenis voluptatibus accidit, quarum guſtum niſi varietas & viciſſitudo ſubleuet, ſatietatem cito & faſtidium adfert.

IV. Expende gloriæ huius ſpatia perpetua, quæ in omnem æternitatem quamdiu Deus exiſtet, perduratura ſunt. Compara fluxæ

fluxæ gloriæ breuitatem, cum hac sempiternæ diuturnitate; lætitiæ temporariæ angustias cum interminati gaudii prolixitate.

v. Quam certi de hac gloria esse possimus, si diuinis mandatis constanter obtemperemus, Christi virtutes sectemur, eius consiliis pareamus, eumque ardenti, vt par est, amore diligamus.

vi. Gloriæ huius iucunditatem, quæ tanto humanæ intelligētiæ capacitatem, quanto infinita finitis præstant, excedit: quippe quæ omnium bonorum & voluptatum, tam quæ secundum naturam sunt, quam quæ naturæ facultatem superant, coaceruationem complectatur. Cogita quidquid lubet, opta quidquid placet, effinge quidquid placere potest, aut adlubescere. Quidquid vmquam ab hominibus excogitatum, & quidquid demum in æternum excogitare humanus animus poterit, vix vmbra eius est, quod in cælesti gloria inuenietur. Omnes omnium Principum, Regum, Imperatorum qui ab orbe condito fuere, in vnum conflatæ deliciæ, voluptates, gaudia, cum cælesti lætitia collata sordes sunt & lutum.

vii. Iucundissimam angelorum cæterorumque Sanctorum præsentiam, oris hilaritatem, amabilem eorum societatē, amoris

neceſſitudinem,&ex mutua felicitate in immenſum multiplicatam lætitiæ materiam.

VIII. Diuinæ naturæ conſpectum, qui ſolus ſufficit, vt homines omnes ſuauitatis magnitudine, quam aſpicientibus adferre ſolet, etiam breuiſſimo temporis puncto eo perfruendo, liquefacti in nihilum diffluant. quid ergo erit cum diuina vi corroborati, continenter in omnem æternitatem eius viſione perfruentur, linguæ omnes in hac re explicanda obmuteſcunt, omnis oculorum & mentis acies in huius cõtemplatione hebeſcit, omne ſolis lumen cum hoc fulgore collatum, nox eſt, & ipſis tenebris obſcurius. In hoc Dei aſpectu omnium bonorum theſauri ſunt abſconditi, omnes cęli deliciæ, opes, honores, dignitates, in hoc inueniuntur. Quod ſi quis animo vſque adeo obtorpuerit, vt huiuſmodi cogitationibus, diuini amoris flammam in ſe ſuſcitare nequeat, quæ vis eum tandem poterit accendere?

IX. Conſidera hic quoque arctiſſimam animæ cum Deo coniunctionem, qua fiet vt anima inexplicabili quodam modo, diuinam naturam induiſſe videri poſſit. nam vt ſolis radii aerem totum peruadere penituſque ita colluſtrare ſolent, vt non aliena ſed propria luce nitere videatur; ita Deus animam totam diuinitatis radiis vndique com-

completam tam luculenter illuſtrabit, vt diuinæ quodammodo naturæ conſors effecta credi poſſit. Et vt ignis ferri materiam ita peruritac penetrat, vt ferrũ ipſum in ignem tranſiiſſe videatur: ita animæ accidit, quam Deus amoris ſui igne, imo ſeipſo penitus peruaſit atque ſuccendit. Quod dum fit, omnes ſtatim animæ vires diuinæ magnitudinis contemplatione, non ſecus quam profundiſſimo maris gurgite, ita abſorbentur, vt præter ſuauiſſimas infiniti huius maris vndas nihil videat, nihil guſtet, nihil vllo ſenſu perſentiſcat. O quando tandem fiet, vt nos beatiſſimus hic diuinitatis oceanus abſorbeat? quando nos diuinæ clementiæ gurges obruet? quando tandem anima noſtra ita inſolubili amicitiæ fœdere æterno huic numini obſtringetur, eique tam perfectæ permiſcebitur, vt præter ipſum nihil mente concipere, nihil ſentire, nihil optare poſſit? O ter felicem illam animam quæ tam beata neceſſitudine tamque arcta coniunctione cum Deo coaluit, vt iam non alia ab illo, ſed vna atque eadem cum ipſo, tota Deo plena & in Deum quodammodo transformata videatur! Cuius tam beatæ coniunctionis aliqua etiam initia quotidie in iis mentibus comperimus, quæ hic quotidianis meditationibus æternæ gloriæ

guſtum

guſtum prælibare & ſe ad perfectiſſimum Dei amorem accendere contendunt. quibus aſſequuntur vt animo cum Deo arctiſſime coniunctæ, voluntate ardentiſſimum amoris æſtum concipiant: continuaq; diuinæ gloriæ admiratione defixæ cogitatione magis in cælo, quam corpore in terris viuant: & in his mortalis vitæ laboribus, cæleſtibus deliciis perfrui incipiant. Hinc in ipſis tam continua & conſtans cernitur rerum terrenarum deſpicientia, implacabile peccati odium, perpetuumque omnis mundanæ gloriæ, voluptatis, diuitiarum ceterarumque rerum ad mundum pertinentium faſtidium: & è diuerſo ardens atque inſatiabile rerum diuinarum deſiderium.

x. Percurre hic quoque ſingulas glorioſi corporis dotes.

1. Fulgorem eius & claritatem, ſuper omnem ſolis ſplendorem renidentem.

2. Impaſſibilitatem eius & immortalitatem, quibus aduerſus omnem ægritudinem, vulnera, dolorem, & mortem ipſam in æternum inuiolatum perdurabit.

3. Miram eius agilitatem qua incredibili celeritate, breuiſſimo temporis interuallo ad loca maxime diſſita, animam imperantem comitabitur.

4. Subtilitatem eius nouamque naturæ con-

conditionem, qua ſpiritibus erit quam rebus corporeis ſimilior, ſoluta omni cibi, potionis, ſomni, rerumque ſimilium neceſſitate: vaſtiſſimos cæli orbes, ceteraque omnia quantumuis ſolidiſſima corpora nullo niſu, aut molimine penetrans. Quam prudenter illi ſunt ac beati, qui in hac vitæ breuitate magno animo effrenes corporis appetitiones coercent, ac elidunt, vt in æterna diuturnitate corpus hoc tam nobili tranſmutatione reſtauratum exornatumque recipiant.

XI. Meditare etiam quem beatitudinis fructum corporeis ſenſibus beati in cælo ſint percepturi.

1. Oculis ſummam delectationem ex pulcherrimo magnificentiſſimoq; cęlorum apparatu, ſtructura, varietate. Ex Angelorum innumerabiliumque Sanctorum aſpectu, & potiſſimum ex contemplatione Chriſti Domini ac beatiſſimæ Virginis eius genitricis.

2. Auditu, audiendo iucundiſſimos laudum concentus, quibus cæleſtes illi ſpirituum ac hominum chori numen illud æternum celebrabunt: tum etiam auſcultando iucundiſſimas Sanctorum inter ſe collocutiones.

3. Odoratu ſuauiſſimos odores ex tam innume-

numeris beatorum corporibus exhalantes percipiendo.

4. Guſtatu, gratiſſimum illum cæleſtium deliciarum ſaporem hauriendo, quo Deus abſque vllo faſtidio totum hominem exſatiabit.

5. Tactu denique, cum Deus omnes corporis artus incredibili quadam tactionis iucunditate permulcebit; cum qua omnes vitæ huius voluptatum titillationes ne conferri quidem poſſint. O nimium felices illas animas, quæ hic ſenſuum ſuorum cupiditatibus viriliter obnituntur, eaſque quantum poſſunt, rerum moleſtarum patientia edomant, vt decurſo mortalitatis curriculo, in æternæ vitæ ſecuritate omnium delectationum copia & congerie perfrui mereantur! quam ibi cumulate Deus omnem ſenſuum refrenationem compenſat! quam vaſto ibi omnium voluptatum oceano innatant ſenſus illi, quos hic ſeuerior temperantiæ regula ab immoderatis libidinum cupiditatibus continuit: quoſque aſſidua pietatis virtutiſque meditatio à depravatis corruptæ naturæ propenſionibus repreſſit!

XII. Poſſunt hic etiam cogitatione expendi præmia illa à Chriſto propoſita, octo illis virtutibus, quæ quod poſſeſſores ſuos vere beatos efficiant, beatitudines dicuntur,

cuntur, quorum primum eſt regnum cælorũ, cuius regni poſſeſſio beatos omnes magnificentiſſimos reges efficiet.

2. Regnum mundi inferioris, quo eis dominatus in res omnes creatas rationis expertes addicitur.

3. Sempiternum ſolatium, quia nempe ab inexhauſto diuinitatis fonte perennes conſolationum riui in animas beatorum iugiter emanabunt. quorum impetu omnis lachrymarum acerbitas, omnes ſuſpiriorum anguſtiæ, omnes ſollicitudinum ſalebræ in ſempiternum diluentur.

4. Æterna earum rerum ſatietas, quæ ad conſummatam rationalis naturæ beatitudinem deſiderari poſſent.

5. Completa diuinæ miſericordiæ participatio, quæ hominem ab æternæ miſeriæ neceſſitate liberatum, atque ad cæleſtis gloriæ ſedem euectum in anima & corpore omnium bonorum congerie locupletabit.

6. Clara Dei viſio, in cuius contemplatione perſpicue arcana omnia penetrabit, omniaque fidei noſtræ myſteria, nuda iam & aperta intuebitur, & cumulate promiſſorum præmiorum fructum, qui in ſanctiſſimæ auguſtiſſimæque Trinitatis aſpectu conſiſtit, perfruetur.

7. Eſt ſauiſſimum nomen, quo à Deo, filiiap-

lii appellabuntur, & vt vere filii eius, heredes omnium eius bonorum efficientur. Si hoc nomine in cælo à Deo appellari deſideremus, adhibenda nobis in hac vita eſt opera, vt vitam noſtram moreſque omnes ita componamus, ſicuti talis parentis filios decet, nempe vt mandatis eius obtemperemus, ſtudia eius moreſq; ſectemur, illique in omnibus placere, tenerrimoque eum affectu diligere laboremus.

DIES SEPTIMVS

De ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

I. EXpende immenſam interminatamque Dei caritatem, cui cum non ſatis eſſet humanæ naturæ miſerias ſemel ſubiiſſe & in ea pro homine acerbiſſimos cruciatus & mortem pertuliſſe, miram inuſitatamque rationem excogitauit qua etiam poſt ſuum in cœlos abitum perpetuo nobiſcum maneret. Quid Deus non agit, quid non molitur, infiniti amoris æſtu incenſus, vt nobiſcum perpetuo in terris eſſe poſſit? proh dolor! quot nos vias rationeſque inimus vt nos à Deo ſubducamus?

II. Deo pro amoris in nos magnitudine parum omnino viſum fuit aliquandiu humana carne aſſumpta nobiſcum in terris homi-

hominum more conuixisse, sed vlterius amoris impetu actus, arctiore cum homine necessitudine coniungi voluit, data ei in pastũ carne sua & sanguine, vt intima æq; permixtione se humanę naturę infunderet, quã animantiũ corporibus alimenta miscentur.

III. Hæc Dei cum homine communio, coniunctioq; aliam omnem communionẽ quæ inter homines esse possit excedit, videtur enim non laxior, imo etiã strictior longe quam ea quæ est corporum, inter matrem & prolem: quæ etsi maxima sit & arctissima, cum proles à matre corporis sui nutrimentum sugat, hac tamen arctior videtur ea, quæ inter Deum & hominem sacratissimæ Eucharistæ participatione constituitur. In hac enim anima spiritalem suũ pastum ab ipso Deo sugit: immo etiam corpus ipsum quodammodo cælesti hoc cibo pascitur, cum sacratissimam Christi carnem & sanguinem corpus nostrum ore excipiat, & intimis suis visceribus contineat.

IV. Considera Deũ admirabilem hanc sui communicandi rationem angelis minime concessisse. & hinc collige summam Dei in homines caritatem, & erubesce cum videris quam dubiis languidisque indiciis tuum in Deum amorem demonstres.

V. Perpende quanto Deus honore mise-

rum

rum hominem afficiat, cum ipſe ſe ei in cibum & potum propinat, quare merito cum ingenti admiratione ſciſcitari poſſumus. Vnde hoc nobis? qui fit quod tanto honore Deus homines dignetur? Quomodo tanta maieſtas tam profunde ſe abiicit, vt etiam viliſſimorum homuncionum cibus eſſe non dedignetur? vide quantum tu à vera ſubmiſſione abſis, quæ tamen ſola ad beatitudinem via nobis eſt reliqua.

VI. Feliciſſimam matrem eam vulgo æſtimant, cui regem vtero geſtare contigit; quanto nos tali matre feliciores, qui Deum regum omnium regem corpore circumferimus, eumque ad animæ paſtum poſſidemus? qui fit quod non penitus in diuinam naturam tranſeamus, cum diuinis epulis ſatiemur? qui fit quod non plane illuſtremur perfectaque rerum diuinarum cognitione imbuamur, cum in nobis geſtemus æternum hunc ſolem, qui infinitis partibus omnem creati ſolis ſplendorem excedit? Qui fit quod non toti diuini amoris incendio flagremus, cum in animæ noſtræ ſinu cæleſtem hunc ignem omni elementari igne infinite efficaciorem habeamus? magis hoc profecto mirandum, quam ſi cera in æſtuantem fornacem coniecta inſoluta indomitaque perduret. nec enim ſumus ferro aut

o aut ære duriores, quæ tamen vti & rigidiſ-
imus chalybs creati ignis ardore, qui cum
diuini ignis efficacitate conferri nequit, li-
quata ſoluuntur. Qui fit ergo quod nos qui
oties cæleſtem hanc flammam ore hauri-
mus, nõ toti ſuauiſſimo eius calore inflam-
memur, & inſtar niuis ardenti ſole tactæ
contabeſcamus, cum angeli Sanctique o-
mnes immenſi ſolis huius ardore afflati
continuo in nihilum ſoluendi ſint, niſi po-
tentiſſima eiuſdem ſolis virtute ad tanti ca-
loris vim perferendam corroborentur.
VII. Confer auguſtiſſimum hoc Sacra-
mentũ cum arbore vitæ primis noſtris pro-
genitoribus in paradiſo data. Illius arboris
a vis erat, vt vitæ mortalis ſpatia ſalubri-
ate ſua prorogaret: hoc Sacramentum ani-
mæ & corpori, vt in æternum viuere poſ-
int, robur confert. Arbor illa corpori ſolum
aſtum ſuppeditabat: hoc Sacramentum
nimæ ſaluberrimum eſt nutrimentum.
ructus arboris illius viuentibus ad lõgum
empus ſanitatem vitamque propagabat:
uius Sacramenti virtute etiam mortui ad
itam reuocantur. huius enim cibi come-
ione, qui peccatis mortui ſunt (quæ mors
onge eſt miſerrima) denuo vitæ reſtituun-
ur. Fructibus quoque arboris vitæ nouis
omo in corpore viribus auctus confirma-
tuſque

tuſque fuiſſet: huius ſacramenti vſurpatio animæ omnigenæ virtutis robur & præſidium ſuppeditat.

VIII. Confer hoc ſacramentum cum Manna quod huius figura & typus fuit. Manna cibus erat, angelorum opera in aere efformatus; hoc Sacramentum panis eſt in Chriſti incarnatione à Spiritu ſancto, cui opus illud tribuitur, elaboratus. Manna ab Iſraelitis corporum infirmitates propulſabat; Sacramentum hoc ab anima omnem ægritudinem auertit, eamque innumeris peccatorum tentationibus liberat, quæ breui certiſſimum animæ exitium, ſempiternamque calamitatem accerſerent. Manna in ſe iucundos diuerſarum epularum ſapores continebat, in hoc Sacramento omnium virtutum delicatiſſimi guſtus inueniuntur. Dum olim in deſerto Iſraelitæ manna victitabant, quantumcumque alius alio copioſius collegiſſet, parem tamen omnes eius menſuram apud ſe deprehendebant; in huius Sacramenti perceptione, etſi non minus accipiat qui modicum quid ex eo ſumit quam qui ampliore eius portione veſcitur; is tamen ſemper longe excellentiorem eius fructum percipit, qui maiore ſe ſtudio & diligentia ad hunc cibum guſtandum comparatit.

IX. Con-

IX. Considera quomodo Christus se in hoc Sacramento homini præsentem exhibeat, & inuenies non eum se tantum hic animæ nostræ medicum exhibere, verum etiam ipsummet medicinam eius effici: nec eum se hic tantum instar potentissimi regis subditis præsentem sistere, vt debitum ab iis obsequium excipiat; sed adesse quoque tamquam commodi nostri curatorem studiosissimum. Non enim matrum similis est Christus quæ filios recens natos alienis vberibus nutriendos abiiciunt; sed ipse quos difficillimo in cruce partu ad vitam meliorem genuit, non ad aliena vbera dimittit, sed propria eos carne & sanguine pascendos suscipit: & cum diuinissimo hoc pastu, alia quoque innumera iis à Spiritu sancto fercula suppeditat, quibus & anima ad æternam vitam saginatur, & diuini amoris æstu tota succenditur. Præterea saluberrimum hunc animæ cibum, etiam tamquam certissimum æternæ gloriæ nobis à Deo promissæ pignus accipimus, qui, vt Eliæ olim panis ille ab Angelo allatus tantum robur addidit, vt eo solo ferculo pastus, prolixum admodũ iter ad montem Horeb conficeret, eas quoque animo vires subiicit, quibus ad æternæ gloriæ montem aliquando peruenire possimus.

X. Ex

x. Ex his colligere potes, quantus ſit Dei in homines amor, qui pro acerbiſſimo paſſionis ſuæ calice, quem pro noſtra ſanatione ipſe bibit, tam ſuaues nobis epulas præparauit, quarum eſu ampliſſimorum paſſionis ſuæ meritorum participes efficeremur, ac reipſa experiremur, quam leue ſit ac fecile mandatorum diuinorum ſarcinæ ceruices ſubmittere. Tandem intuere mentis oculis diuinam maieſtatem regali in ſolio ſedentem, nouē angelorum ordinibus denſiſſimiſq; Sanctorum cateruis vndique circumſeptam: audi quam te beneuole in auguſtiſſimo hoc beatorum conſeſſu ad diuinum epulum inuitet: odorare interno odoratu incredibilem admirandi ſacrificii ſuaueolentiam, tum interno animæ guſtatu ſuauiſſimas epulas omnibus virtutum deliciis conditas, deliba. Deniq; interiore contactu diuinum hoc manna fructumq; hunc vnicum vitæ æternæ auctorem continge, & ſuauiare ſingula vulnera, quorum veſtigia rex tuus & Deus tuus in ſignum ſui in te amoris in glorioſo ſuo corpore conſeruauit, & cum B. Thoma vehementi amoris affectu hæc verba frequenter ingemina: *Dominus meus & Deus meus.* Ioā. 20

ORA-

ORATIONES AD DEI AMOREM EXCITANTES.

I.

De glorioſa Chriſti reſurrectione.

O Diem ſummæ lætitiæ & iucunditatis? luctus omnis deterſus eſt, dolor omnis euanuit; procul à me lachrymæ & gemitus, & quidquid mœrendi lachrymandique cauſam dedit. Amor meus quem terra exanimem ſepultumque oppreſſerat morte ſuperata rediuiuus è tumulo ſurrexit. O quantus animum dolor occuparat, dum amore meo extincto, deſideratiſſimum hunc diem exſpectabam! oculos continuæ lachrymæ exhauſerant, manus aſſiduo planctu pectus laſſarant, omnem è corpore vigorem triſtitiæ pondus expreſſerat; animaque iam vmbræ inſtar & fumi contabuerat. Sed repente omnem hanc mœſtitiæ caliginem ſerenior dies diſpulit. ô diem bea-

 tum!

Digitized by Google

tum! ô diem felicem! quo cum ſaluatore ſuo ab inferis exeunte, anima mea teterrima peccati morte liberata reuixit. O diem fortunatiſſimum! qui & liberatorem meum mortis vinculis expediuit, & me contractis perpetuæ ſeruitutis compedibus in priſtinam libertatem, vetiti olim pomi violatione perditam poſtliminio reſtituit. O diem omnium fauſtiſſimum! quo vnius nece ſempiternæ mortis decretum refixum eſt, infiniti debiti obligatio reſciſſa, & vnius ſepultura omnes ab infeliciſſimis inferorum ſepulchris eruti ſumus: cum æterno Patri, vnigeniti filii ſuppliciis plene pro noſtris ſceleribus eſt ſatisfactum: noſque ab eo in filios adoptati, ius æternæ gloriæ peccati culpa deperditum, recuperamus. Latebamus miſeri denſiſſimis tenebris immerſi, quippe quos procul omni lucis ſpe, tetra peccatorum nox inuoluerat. Sed (ô miram Dei prouidentiam) ſole illo æterno lucis omnis parente, ſuppliciis in cruce occidente, repente luciſſimus in media caligine dies exortus eſt. vix ſol ſepulchri ſpecu defoſſus occubuerat, cum ſplendidiſſimum lumen omnes peccatorum tenebras diſpulit. Quas tibi gratias, quas laudes, benigniſſime Sol, luminis omnis origo, rependemus? qui niſi in cruce mundo occidiſſes,

diſſes, numquam mortalibus toties ante promiſſum cæli lumen ortum fuiſſe. O fauſtam iacturam, quæ tam ingenti fœnore eſt compenſat! O deſiderabilem ſepulturam, quæ tantorum nobis bonorum fontem effodit! ô amantiſſime Domine, quãdo tandem à morte rediuiuus, te, ſolem illum increatum cælum omne tua luce colluſtrantem, intuebor? quando tandem mihi dies ille orietur, quem nulla noctium viciſſitudo alternis tenebris interpellabit? quando me iucundiſſimis diuinitatis tuæ radiis illuſtratum liquefactumque beatiſſima permiſtitione lumen æternę claritatis abſorbebit? Tu ſcis Domine, cuius ſolius potentia immenſam hanc mihi felicitatem largiri poteſt. Quam vt aliquando aſſequar, effice gratiæ tuę ope: vt ſeria prioris vitæ correctione è vitiorum tumulo ſaluus vegetuſque exiliam; vt peccatis & mundo moriar, deprauatas naturæ propenſiones, inueteratam peccandi conſuetudinem, vitia omnia & flagitia, & quidquid ad hæc pellicere ſolet, altiſſime ſepeliam: vt tecum, è peccatorum ſepulchro, ad nouam viuendi rationem, ad virtutum ſtudium, ad amorem tuum euolem: nec aliam deinceps vitam agam, alia ſtudia conſecter, alio amore ardeã, quam quo te Domine Deus meus tandẽ ſequar &

Digitized by Google

diligam; vt tu ſolus amor meus, ſpes mea, vita mea, perpetuo cor meum occupes ac poſſideas, nec pręter te alium vllum in æternum vnquã amem aut deſiderem, Amen.

II.

De Chriſto Magdalenæ exemplo inueſtigando.

ATtonitum mihi cor ſtupet, trepidatque inſtar arundinis vento agitatæ: Anima mea obriguit, & tamquam glacies congelata obtorpuit. Iacuit in hoc tumulo ſepultus amor meus. quis eum mihi ſurripuit? quis eum ſuſtulit? quis? quo aſportauit? O hominem immitem qui mihi cor meum & animam rapuit! Quo nunc mortuum corpus hoc corde atque animo exſpoliatũ deferam? an enim non vere mortuum corpus eſt, cui nec cor nec animus adeſt? hic vita mea ſepulta iacuit, & modo effracto tumulo ablatam conſpicor, O expertem manſuetudinis feritatem! Quid plangentem lamentantemq; indignaris? Si vile aut paruum ſurreptum lugeo, affectus impotentiam caſtiga: at ſi vitam mihi raptam, & vnicam animæ meæ vitam mœrens inquiro, quid tam ingenti irritatum iactura dolorem carpis? cuius eſſet aliquo ſaltem lenimento cõſolabilis clades, ſi quis indicium

indicium faceret, quo vitam meam, Dominum meum, Deum meum, raptor abdidiſſet: at carere amato, ſimulque omni eum inueniendi ſpe deſtitui, maius eſt quam vt tolerari vllo modo poſſit. O vtinam ſciam vbi deliteſcas dulciſſimum cor meum; quæram te, perſequar te vbicumque occulteris. non me Iudæorum rabies, non militum tela, non ignium ardores, non tyrannorum eculei à cœpto abſterreant, te per furentis oceani procellas, per ſolſtitiales ardores & horrentis brumæ frigora, per ipſa denique inferorum incendia, donec inueniam, peruestigem. Quos enim hoſtes, quamue potentiam formidem? vt ſumma in me rabie ſæuiant, quid vmquam nocere poterunt? an metuam ne me tecum ô Domine flagris diſcerpant, clauis configant, in crucem tollant? ô felicem animam quæ tibi flagrorum vibicibus, clauorum vulneribus, crucíſque tormenta aſſimilare poteſt! & quid mihi tempeſtuoſa maria, quid ignium vis nocere poſſunt, ſi tecum me abſorbeant, tecũ exurant? Quid mihi infernus incommodi adferre poſſit, ſi tu mihi Domine, & ego tibi amoris nexu colligatus adhæreo? Quæ me inferorum glacies & frigora excrucient? ignis quo pectus hoc æſtuat omnem frigorum vim momento diſpellet. Quæ me

flammæ exurant? maiore mihi pectus igne, quam ſint inferorum incendia exuritur. Dæmonum rabies, pœnarum laniatus, ignium ardores, puerorum mihi terriculamenta ſunt, quamdiu mihi præſentia tua ô Domine, Deus meus, vnica cordis mei vita, ſola animæ meæ voluptas, perfrui datur. etiam in mediis inferorum ignibus, tu ſi mecum ſis, amore colliqueſcam. O vnicum cordis mei, vnicum animæ meæ ſolatium! ô voluptatum omnium iucundiſſima voluptas! quo fugiſti? quo auolaſti? non vltra lachrymas meas reſpicies? non ſuſpiria, non queſtus exaudies? In hoc ego me ſepulchro ſepeliam & in eo ſaxorum aggeſtu occludi patiar, donec meis gemitibus, meis lachrymis & querelis inflexus, deſolatam amantem reuiſas. Agite ergo oculi mei fundite amore calentium lachrymarum fontes: funde cor meum riuos amoris igne feruentes: implete ſepulchrum hoc locum mihi optatiſſimum, amoris vndis. Balneum hoc erit amori meo gratiſſimum. Quam iucunde in hoc labro mecum meus amor natabit? quam hilariter in hoc luminum meorum fonte deliteſcet? quam blande mecum in hoc flumine nauigabit? quam placide hic aquarum ex oculis ſalientium ſuſurrus ambos ad ſomnum prouocabit?
Quam

Quam feliciter in hoc oculorum meorum oceano mergar, in quo tam molliter amoris vndæ cordi & animæ ſuperfluitant, tantaque iucunditate intellectum, & voluntatem ac totũ etiam hominem obruunt! modo tecũ hic mergar, ô Deus meus! quæ me ſollicitudo poterit affligere? qui me hoſtis lædere? quæ vis concutere? quæ procellæ, quæ tempeſtates opprimere? tecum enim deſpici, rideri, exagitari, flagris concidi, ſpinis coronari, in cruce excarnificari, ſummũ meum eſt deſiderium, meum gaudium, meę deliciæ, mea voluptas, honor meus, gloria mea, decuſque meum immortale: tecum vero mori, tecum ſepeliri, mihi vita eſt omni alia vita iucundior, viuere enim ſine te, mihi eſt omni morte acerbius. ſine te mihi iucunditas omnis ingrata, voluptas inſipida, gaudium luctuoſum, inops opulentia, dignitas ingloria, tranquillitas inquietudine perturbata. Ne diſceſſeris ergo à me, Domine mi, vnice mi conſolator, deiice clementiſſimos oculos tuos ad hanc languentem animam, quæ tuo deſiderio tota contabuit, exhibe mihi ſerenum vultum tuum, aperi oculos tuos amorẽ ſpirantes, oſtende mihi diuinam faciem tuam, & ſecreta præſentiæ tuæ ſolatio animã meam tui deſiderio emorientẽ, vt tecum hic mortua, ac de-

nuo tecum ad immortalem vitam excitata, tecum æternum permaneat, Amen.

III.
De apparitione Chriſti Thomæ facta.

O Diem fortunatum! quo Thomæ in fide hæſitantia, meam de hac optatiſſima Chriſti apparitione fidem confirmauit, cum ille tactu ſalutifera Chriſti vulnera explorauit. Quis dabit vt hiſce digitis meis, manuum pedumque vulnera, & hac dextra plagam lateris ſponſi animæ meæ, Saluatoris ac Domini mei pertentem? quis me introducet in has apothecas præſtantiſſimis omnium virtutum aromatibus refertas? Quis me currere docebit in odorē vnguentorum eius? in odorem ſaluberrimi balſami, cuius vis non animæ ſolum vulnera & cicatrices obducit, verum extinctæ etiam rurſus vitam reſtituit? Quis omnes animæ meæ plagas ſalutifero hoc vnguento vnget, ac ſanabit? Quis mihi dabit vt illius virtute ad vitæ nouitatem reſurgam? Quis me in vinarias iſtas cellas muſto amoris redundantes inducet? vt in iis ſuauiſſimi vini hauſtu exhilaratus inebriatuſque præter hoc amoris merum, oculis nihil videam, nihil auribus audiam, nihil odoratu, guſtu tactuue percipiam. præter huius ſuauitatem

rem nihil loquar, nihil cogitem, nihil concupiſcam? O vinum omni vino præſtantius, quis te pro dignitate ſatis vnquam laudet? Quis cæleſtem illam vitem è qua tam nobiles vuæ tanta copia effloreſcunt, ſatis extollat? Quam tibi gratiam, benigniſſime meri huius auctor & propinator Chriſte, referam? O amabilem propinatorem! ô vinum nobiliſſimum! ô diem deſideratiſſimum, qui me vini huius potu recreabit! O diuinum prælum quod mihi è cæleſti racemo tam copioſe ſuauiſſimum hunc amoris liquorē expreſſit. Bibe anima mea, bibe, en dolia aperta. E quibus quanto hauſeris copioſius, tanto tibi erit melius, arctiuſque tibi Deum cordis tui animam, atque animæ tuæ vitam coniunges. Quis mihi det alas, vt indefeſſo volatu ad hos quinque lucidiſſimos ſoles euolem? vt cor meum glacie obduratum niuis inſtar & ceræ ignis attactu, liqueſcat. O lucidiſſima ſidera longe omnem ſolis fulgorem lumine excedentia? Quantopere felicem veſtrum exortum deſiderauere, quotquot olim exitiabili caligine peccatorum nox oppreſſerat. vos precor illuſtrate cordis mei tenebras, omnēque ex animo vitiorum noctem exigite; vt præter iucundiſſimum veſtrum fulgorem, aliud nullum lumen ſuſpiciam, nullum re-

quiram, nullum deſiderem. Cetera omnia lumina vobis collata, quauis ſunt nocte obſcuriora: alia omnis pulchritudo iuxta vos poſita grauεolenti cloaca fœdior tetriorque. Quis me ad quinque has cæleſti igne æſtuantes fornaces ſiſtet, vt in iis anima mea omni glacie frigidior, omni chalybe aſtrictior, diuino ardore excocta, inſtar æris igne liquati, miteſcat. O ſalutiferum ignem! O beatum incendium! O feliciſſimam animam, ita his amoris flammis ſuccenſam peruſtamque, vt præter hunc, alium ignem nec ſentiat nec formidet! Quis mihi dabit, vt æternum hoc igne conflagrem, æternum ſine intermiſſione excoquar ſine reſtinctione exurar? Quis me ad amœniſſimos hos omnibus deliciis con ſitos amoris hortos; ad quinque has nobiliſſimis aromatibus ſpirantes areolas, ad has quinque omni fruticum genere grauatas ſiluas, ducet? Quis animam meam tam felicis ſoli frugibus paſcet? En illam iam longa exhauſtam eſurie cum viribus vita deficit, nec eam præter hunc paſtum, præter ſaluberrimos agri huius fructus, alius cibus vllus explere poteſt aut reficere. O fructus beatiſſimos, fructus amoris & charitatis? quando veſtro tandem eſu ſaturabor? ô felicem animam, quæ alium nullum cibum extra hunc eſurit? O ſan-

fauſtam famem! eaque longe fauſtiorem ſaturitatem! cum tu benigniſſime altos animarum, non exili arctatas menſura, ſed è plenis apothecis, ſolo eſurientis demetiendas deſiderio epulas apponis. Quis me ad quinque hos vitæ fontes properantem comitabitur? quis mihi ſalubertimas ex iis æternæ ſalutis aquas hauriet? quis cæleſtibus hiſce lymphis ardentiſſimam meam ſitim explebit? O fontes deſideratiſſimi! quando tandem torridum cor meum ſalutifero veſtro liquore irrigabitis? Quando in me noxium omnem mundanarum cupiditatum æſtum refrigerabitis? quando libidinum ardorem reſtinguetis? quando me omnibus criminum maculis expurgabitis? vt puro caſtoque, & amoris ignibus ardente corde, Domino meo æternum ſeruiam. Quis me immerget in ſanguineum hoc balneum, quod diuinus ille ſanguis è quinque hiſce ſcaturiginibus exiliens tepefecit? O pretioſiſſimum balneum, longe omnia quæ cælo terraque continentur excedens! O cui continget, vt in te natet, vt in te abluendus intingatur! Feſtina ad hoc balneum anima mea quantum potes. omnes in hoc ægri ſanitatem recuperant, immundi omnes expurgantur, debilibus vires reſtituuntur, cæcis videndi, ſurdis audiendi, mutis

loquendi facultas reparatur, denique etiam mortuis ſalutifero aquarum huius balnei contactu vita redditur. Quo grauiora ſcelerum vulnera, hoc ſe potentius aquarum virtus effert; quo valetudo ægrorum deſperatior, hoc balnei vis præſentior. O amantiſſime Domine, pateat mihi hoc balneum, cuius niſi me ſalubritas ſanum effecerit, perii miſer, & heu! æternum perii. Nec enim omnes mundi totius aquæ vt animæ meæ ſordes eluant ſufficiunt, nec vt vulneribus morbiſque meis medicinam faciant, herbarum vlla virtus ſatis eſſe poteſt. In hoc tantum balneo mihi ſpes ſupereſt. O balneum puritatis! balneum amoris! O ſi mihi liceat, tuis lymphis peccatricem hanc animam eluere! O ſi pœnitentiæ lachrymis balneũ hoc augeam! ô ſi amoris lachrymis impleam! vt in hoc tam diſſimilibus vndis temperato amoris balneo æternum natem. Amen.

IV.

De Chriſti in cœlos aſcenſu.

O Diem fauſtiſſimum! diem tot votis à mundi exordio deſideratum! Cæli ad hunc vſque diem obſerati omnem mortalibus æternæ felicitatis ſpem præcluſerant. Primorum parentum ſcelus, omnibus in perpe-

perpetuum ad beatam immortalitatem adi-
tum obſtruxerat, niſi tantæ noſtræ cladis
commiſeratione flexus Dei Filius, paſſionis
ſuæ & mortis pretio, nouam ad cæleſtem
gloriam, reſerato poſt tot ſeculorum inter-
uallum cælo, viam ſtrauiſſet: quod hac de-
mum iucundiſſima luce, cum Chriſtus ſu-
perata morte ad cælos victor aſcendit, feli-
ciſſime perfectum fuit. Sed quid me miſero
fiet, quem Saluator meus hic in terris dere-
liquit? Quid agam in hac miſeriarũ vniuer-
ſitate, tamquam pupillus ereptis parenti-
bus deſtitutus, & vidui turturis inſtar ad
perpetuos gemitus & lacrymas damnatus?
An non enim merito infelix anima lugeam,
& continentibus lachrymis ſinum imple-
am, cum me ſponſus meus in tam remotam
profectus regionem ſolam deſtituerit?
Quid me ſolari poſſit illo mihi erepto ex
quo omnis vita mea pendeat? cor mihi ſur-
ripitur, animus abſtrahitur, ſenſus omnis
aufertur, à me intellectus auellitur, amor
meus rapitur, & hæc ſiccis oculis, ſine que-
ſtibus & ſuſpiriis patiar? Quis mihi dabit,
ô ſolatium & vita mea, vt tu mecum hic
continenter maneas, aut tecum ego hinc
auolem? vt mecum hic aſſiduo habites,
aut me tecum in tuam regiam adducas? ad
te lachrymæ meæ, ad te vota mea ſuſpirant,
ad te

ad te omnia deſideria mea continuo niſi euolant, & tu amor meus, à me in tam longinquam prouinciam profugis. Sequar tamen te quocumque fugeris Domine, nulla me vis, nullus impetus à te diſiunctam coercebit: ſequar, donec te inuenero, donec te apprehendero, vias omnes amoris caſſibus obſepiam. Si in aera te ſuſtuleris, aerem tenaciſſimis amoris plagis circumdabo: ſi in terra vageris, campos omnes & ſiluas indagine concludam: ſi te fluminum aut mariũ vndis occultaris, flumina ego omnia & maria inſidioſis plagis obſidebo. quinimmo & ad inferos, ſi eo te receperis, interrita penetrabo. Quid enim horream inferos? quid dæmonas? quid ignes? maiore cor meum igne æſtuat. Inferorum ignes, frigora, cruciatus, dæmones, cælorum delicias putabo, ſi in his conſpectu tuo, delecte mi, frui detur. Et an non vere cælum ibi ſit, vbicumque tu ô cordis mei deliciũm fueris? nullum ſine te cælum, nullas extra te voluptates, nulla gaudia deſidero. Si in cælum euolaris, non effugies, cælum ego etiam retibus circumligabo. Si ad immenſum illud quod ſupra cælos eſt nihil, te ſubduxeris; quo me vertam? quo modo ibi retia explicabo, vbi locus nullus eſt? & tamen vbicumque tu, dilecte mi, fueris, me quo-

quoque eſſe oportet. Scio quid tentem. Si te eo ſequi nequeam, tanto medicinam dolori dolor ipſe faciet. cuius vis continenti luctu artus omnes ipſamque animam in lachrymarum fluuios reſoluet, qui vaſtis illis quæ ſupra cælos ſunt aquis permiſti, me dilecto meo in illis deliteſcenti coniungant. O felices aquas in quibus cum dilecto ſuo amans anima æternum natare poſſit! Quod ſi nec hic quidem te inueniam, nec mihi latebras tuas indicare libeat, da mœrenti interim aliquod amoris tui pignus cuius me cõſpectu in tam luctuoſa deſtitutione conſoler. Da mihi in pignus cor tuum, nam dum te careo, heu ſine corde excors langueo. tu mihi dilecte mi cor meum ſurripuiſti & tamen corde ſpoliatus quomodo viuam? da mihi cor tuum, meum enim recuperare nequeo. Si enim cor ibi ſemper eſt vbi amat, iccum ergo ſemper exiſtat neceſſe eſt, quem ſolum toto affectu ſuper omnia diligit. viuere tamen ſine corde non poſſum: meum vt mihi reſtituas nolo, aliud omne cor faſtidio, tuum ſolum eſt, dilecte, quod me animare, quod deſiderio meo ſatis eſſe poſſit. Sed an non tuum apud me cor habeo? profecto ſi amas me dilecte mi, etiam tuum apud me cor exiſtit? O fauſtã permutationem, ſi tu meum,

Digitized by Google

& ego pro meo tuum cor poſſideam: ſi tu animam meam & ego tuam habeam: ſi tu in me, egoque in te maneam & in perpetuum viuam, ita vt præter te, Deum meum alia nulla anima viuam, nullo alio corde caleam, nec extra te vllam aliam vitam deſiderem O vtinam conſtanter tecum habitem, tecum perpetuo verſer, tuaque ſemper præſentia fruens in te ſolo viuam, & extra te nihil quæram, nihil deſiderem, nihil amem: ne meæ cogitationes, ſtudia, voluntates vel ad latum vnguem à tua dilecte mi, qui es amor meus, omne ſolatiũ meum, voluntate vnquam deflectant. Amen.

V

De aduentu Spiritus ſancti.

O Diem inauditis miraculis illuſtratum! quo Apoſtoli imbellibus damis aut lepuſculis inſequentium canum latratu exterritis timidiores, leonibus & pardis audaciores euaſere: & qui ante frondis inſtar aut arundinis ventorum flatibus agitatæ, trepidabant, tantam repente conſtantiam & fortitudinem concepere, vt nec minis mouerentur, nec hoſtium inſultus horrerent, nec vulnera denique aut mortem formidarent: quique nuper contra obloquentium libertatem, vix oculos attollere audebant,

bant, in mediis flammis exquisitissimisque cruciatibus interriti siccis genis consistunt: immo cruciatus omnes & tormenta tamquam meras delicias, illustrissimaque sui in Deum amoris argumenta exoptant, nuper trepidi Apostoli turpi fuga Dominum suum in mediis hostibus destituerant: Petrus etiam vilis ancillulæ compellatione exterritus fœde negauerat, omnesque pariter ad hunc vsque diem captiuorum instar domesticis se latebris pleni metu & pauore continuerant: at quamprimum hoc die cælestis auræ spiritus animos eorum perflauit, ignisque ille diuinus glaciata eorum corda suo ardore succendit, illico maiori omnes quam olim Babylonica fornax incendio exarsere. Quis me cælesti hoc vento refrigerabit, omnemque in animo vanarum fœdarumque cupiditatum æstum restinguet? quis me diuino hoc igne inflammabit, qui omnē in me timiditatis & ignauiæ glaciem liquefaciat? Quis me generoso replebit musto, quo tam copiose Apostolos perfusos aduerto? vt me quoque omnes non minus, qam Apostolos olim Iudæi: ebrium credant? O fortunatam ebrietatem! quis det vt hæc animam meam ita obruat, vt præter hoc vinum nihil sentiat, nihil loquatur, nihil cogitet, nec alium ex se

halitum

halitum quam vini huius ſpiritum exhalet? O muſtum deſideratiſſimum! quis animam meam tuo odore implebit, tuo guſtu ſatiabit! O verum muſtum! ô vinum vere nouum, & ad hunc vſque diem mundo incognitum! vinum mœrorem omnem temperans, curas diſcutiens, anxietatem profligans, ignorantiam omnem & inſcitiam in ſummam ſapientiam & eruditionem commutans! ô fauſtiſſimam commutationem, qua pietatis inſectatores in Chriſti diſcipulos præconeſque transformantur. Illumina tenebras meas Spiritus ſanctiſſime, Spiritus miſericordiæ & benignitatis cæleſti illo ſplendore quo Apoſtolorum pectora hoc die illuſtraſti, atque è penetralibus animæ meę vitiorum noctem expelle. Corrobora imbecillitatem meam, ea fortitudine qua hodie Apoſtolorum infirmitatem confirmaſti, vt præter peccatum, nihil horream aut reformidem. Hoſtium enim exagitationes, oppreſſiones, verbera, ſupplicia, cruces, rogi, ludicra ſunt animo, tuo robore obfirmato. Inflāma cor meum igne illo cæleſti in Apoſtolorum hodie animis tam luculenter inardeſcenti, vt iiſdem amoris flammis peruſtus, nullos alios ignes requiram, nullis aliis incaleſcam, niſi tuis ô dulciſſimum animę meæ incendium.

Irriga

Irriga animam meam rore illo & pluuia, qua hodie Apoſtolorum mentes tam affluenter perfudiſti, vt ſterile hoc animæ meæ ſolum tam fœcundis imbribus humectatum, fertilitatem imbibat, omniumque deinceps virtutum in eo germina efflorescant. Exhilara cor meum diuino illo nectare, cuius ſuauitas omnem in me terrenæ voluptatis ſenſum obruat, carnaliũ mundanarumque deliciarum tædium pariat, ac pro iis continentem rerum cæleſtium appetentiam perpetuumq; è diuinarum contemplatione gaudium, nullo faſtidio abrumpendum excitet. Refrigera æſtuantem animum meum cæleſti refrigeratione, quæ immoderatos omnes vitiatæ naturæ calores reſtinguat, ambitionis æſtum comprimat, inſatiabilem auaritiæ flammam ſopiat, denique cupiditates omnes, magis perituris rebus quam tuo amori tuiſque, Deus meus, obſequiis inhiantes elidat. Exclude à me omnem cæleſtium rerum ignorationem, ac pro ea animo conſtantem diuinarum, ac ad ſalutem pertinentium cognitionem inſere. Quid enim mihi, ſine hac omnis profanæ ſapientiæ eruditio, cum è vita diſcedendum fuerit, prodeſſe poterit? quid iuuabit ætatem libris euoluendis, artibuſque perdiſcendis impendiſſe, præterquam quod hac

forte-

forte ex cauſa & vitæ anteactæ ratio ſeuerius ad calculos reuocabitur, & grauioribus delicta ſuppliciis punientur. Infunde animo meo eiuſmodi doctrinam, qualem hodie Apoſtolis copioſiſſime infudiſti: doctrinam inquam perpetua cruciatuum ac mortis Saluatoris mei meditatione ſubnixam, vt nihil aliud ſciã, nihil intelligam, niſi Dominum meum cruci affixum: ſitq; in eo omnis mea ſapientia, eruditio, ſcientia ſolidiſſimo amoris eius fundamento inædificata quinq; certiſſimis ſempiterni eius in nos amoris ſigillis obſignata: in ipſo habitet ac conquiſcat omnis amor meus, omne cordis mei deſiderium, omnes meæ lachrymæ & ſuſpiria ad ipſum tendant, ſpes mea omnis & fiducia ipſo nitatur, diuino illo igne ſuccenſa, quo hodie tam feruenter Apoſtolorum animi incaluere. Amen.

VI.
De beneficiis Dei.

NEſcio quo me vertam, Domine Deus meus, cum multitudinem tuorum in me beneficiorum recenſeo, aut quid reſpondeam, cum frequentiſſima infiniti tui in me amoris ſigna mente percurro. Tu mea cauſa mundum condidiſti, aerem volucribus, terram quadruped bus, aquas piſcibus inſtruxiſti.

xiſti. tu me ad diuinam imaginem tuam conformaſti, vt me omni mea cogitatione, ſermone, & opere tam excellentis opificis imaginem eſſe oſtenderem. tu me ſingulis vitæ momentis ab innumeris periculis, prouidentiæ tuæ manu hactenus ſeruaſti & indies conſeruas, ne tamquam fumus in auras iterum euaneſcam: Tu mihi parentes Chriſtianos, à quibus in hanc lucem ſuſceptus, ad pietatem & tui cognitionem erudirer, prouidiſti: Tu mihi à primis vitæ initiis, angelum è cęli proceribus delectum, cuſtodem, inſtructorem, defenſoremque appoſuiſti: Tu mihi pretioſiſſimum tuum ſanguinem ad animæ meæ paſtum & medicinam Sacramentorum apothecis concluſum, tam liberaliter propoſuiſti: vt huius efficacitate ad iter ſalutis expeditius decurrendum excitarer & confirmarer. Præter hæc omnia, ad certiorem adhuc tui in me amoris teſtificationem, me à te aberrantem vocaſti: frequentibus adhortationibus, comminationibus, propoſitis etiam ſempiternæ gloriæ præmiis ad te ſequendum inuitaſti. Atque hæc omnia citra omne meum meritum: quid enim miſer innumeris flagitiis, quibus toties paternam tuam benignitatem irritaui, aliud mereri potui, quam vt millies morte multarer, ac toties ſempiter-

æternis inferorum ſuppliciis addicerer? Tu tamen, benigniſſime Domine, non obſtante hac ſcelerum meorum denſitate, beneuolentiæ tuæ magis quam iuſtiſſimæ indignationi obſecutus, tam inuſitata adhuc indies beneficia animæ meæ nihil minus merenti contuliſti. Quid miſer tandem tam admirabili beneficentiæ reponam? aut quo munere tam munificum Dominum pro innumeris muneribus remunerabor? nihil habeo p.æter infelicē hanc animam tot vulneribus aut vulnerum cicatricibus deformatam, viribus pene deſtitutam, frigore torpentem, morborū vi debilitatam; hanc, ô Domine mi, cum aliud nullum maieſtate tua dignius munus poſſideam, ad benigniſſimos pedes tuos in profundum beneficiorum tuorum abiicio: vt altiſſimo hoc gurgite immerſa, te beneficentiſſimum Dominum agnoſcere, imperiis tuis obtemperare, conſilia amplecti, vocatus ſequi diſcat, & oculis perpetuo in immenſum beneficiorum tuorum pelagus defixus, in quo ipſa tamquam exilis cymba fluitat, te toto animi impetu, toto pectoris affectu amare incipiat. Quis mihi dabit vt hanc beneficiorum tuorum magnitudinem continenter mecum grata animi recordatione expendam, ne, quod tibi inter cetera peccata

pluri-

plurimum diſplicet, ingratitudinis vitio vnquam inficiar. Largire mihi Domine, perfectam beneficiorum tuorum cognitionem, & continuam pro iis grati animi ſignificationem, vt te quantum humana imbecillitas tua ope adiuta valet, proxime ſequar, & indiuiduus tibi vbique comes adhæream. Et quoniam nullo pacto fieri poteſt vt vel minimam beneficiorum tuorum partem digno munere compenſem; excita in me ſaltem ingentem è beneficiorum tuorum contemplatione admirationem, & hac ampliorum charitatem: vt pro digna compenſatione, quam tibi mortalis inopia repræſentare numquam poteſt, animam inſigni gratitudinis ſtudio ardentiſſimoque tui deſiderio inflammatam offerre poſſim, nihil enim minus præſtare poſſum, cum hinc innumera maximaque tua beneficia, inde vero tenuitatem meam ac vilitatem expendo, quam vt toto amoris niſu pro tanto beneficiorum cumulo, cor meum ad benigniſſimos pedes tuos grata eorum memoria inſtructum & ardenti caritatis flamma ſuccenſum proſternã, vt hoc donorum tuorum amplitudini ac copiæ immerſum, atque in amoris tui fornace liquefactum, amica tecum permiſtione aliquando vniri poſſit. Amen.

VII De-

VII.

De Venerabili Euchariſtia.

NOndum profuſa priorum beneficiorum largitas propenſiſſimæ tuæ in me beneuolentiæ ſatisfecerat. naturæ humanæ pro me aſſumptæ humilitas, acerbiſſimæ paſſionis adita ſupplicia, ſanguis tam affluenter pro me effuſus, immitia verbera vulneraque tuo corpore excepta, necdum amoris amplitudinem exhauſerant. Noua prætereà teſtandi affectus argumenta quæſiuiſti, dum teipſum mihi in cibum potumque propinaſti. Cum te humana carne induiſti, pro eo tantum gratiam debui quod altiſſimam majeſtatem, ad tantam vilitatem, nempe ad humanæ naturæ conſortium mea cauſa ſubmiſiſſes; cum te acerbiſſimis ſuppliciis excruciandum mei amore obtuliſti, tantum potui cor dolore ſaucium, pectus ſuſpitiis anhelum, oculos lachrymis manantes, gratitudinis affectu ad pedes tuos clauorum cuſpidibus transfixos proſternere: cum rediuiuus ab inferis extitiſti, ad cælos aſcendiſti, indeque Spiritum ſanctum mundo ſubmiſiſti, tantum ad hilaritatem, gaudium, gratitudinem tam inuſitatæ lætitiæ argumentis commoueri potui. At cum me indigniſſimum ad te inuitas

te

te mihi arctiſſima ſocietate connectis, & in te quodammodo transmutas, dum eſuriem meam pretioſiſſimo corporis tui paſtu, ſitimque diuini ſanguinis potu exſatias, quid tandem faciam? quid dicam? quibus linguis inauditum hoc prodigium eloquar? qua intelligentia comprehendam? quibus gratiis, qua prædicatione, quibus laudibus extollam? Sabæorum Regina viſa admirabili Salomonis maieſtate & ſapientia, ingenti ſtupore defixa obmutuit: Regina Eſther Aſſueri ſui conſpectu exterrita animo defecit. Et quid hi reges ſunt, ſi cum regum omnium rege conferantur? Quid illorum opera cum inaudito hoc opere tuo collata? Deus humani corporis anguſtias ſubit, animam carnis ſuæ & ſanguinis epulo paſcit, & nos adhuc immoti truncis languidiores ſaxis rigidiores hæremus. Suprema beatorum omnium iucunditas, in perpetuo Dei huius aſpectu conſiſtit, qui nobis hic in cibum potumque apponitur: non ergo nos ferro & chalybe duriores, quos tanti numinis præſentia, non ceræ inſtar aut niuis liquefacit? quos lucidiſſimus ille ſol omne cælum radiis ſuis illuſtrans, quos diuinus ille ignis Cherubinos omnes & Seraphinos perpetuis amoris flammis exurens, tam parum ad pietatem ac venera-

Digitized by Google

tionem commouet? An non belluis omnibus immaniores, cautibus immobiliores ſumus quos tantæ maieſtatis reuerentia, cuius obtutu etiam columnæ cęlorum contremiſcunt, ſtupore exanimatos ad terram non proſternit, dum ſacris hiſce epulis paſcimur? Quamuis enim & inferno obſcuriores, & glacie frigidiores eſſemus; an non repente tam ſplendido ſole, tam luculento igne intra pręcordia excepto, clariſſima luce colluſtrari, vehementiſſimoque ardore ſuccendi deberemus? Quo vis noſtra ſentiendi euanuit, qui tam parum cæleſtis huius ignis ardorem percipimus? vbi amor noſter, quem non aliter tanti boni præſentia percellit? Etſi enim in inferno ſepultus lateret, an non diuinæ huius eſcæ ſuauitate guſtata inde euolaret? etſi profundiſſimo mortis ſomno ſopitus eſſet, an non vehementiſſima cibi huius efficacitate ad vitam iterum poſſet reuocari, cuius tãta vis eſt, vt & mortuis omnibus vitam extinctam momento poſſit reſtituere? hoc nos cibo pro pudor! toties veſcimur, & tamen tam exiliter eius in nobis virtutem percipimus O benigniſſime Domine, quis mihi ſenſum deperditum reſtituet? quis excæcato meo cordi viſum reddet? quis animam fame enectam, ſiti aridam refocillabit? quis pectus hoc frigore

gote conglatiatum vitali amoris æſtu ſuccendet; niſi tu Deus meus, qui ſolus ſaluberrimo corporis & ſanguinis tui paſtu tanta ei bona momento impertiri potes? Exige precor ab anima mea Domine quidquid in ea diuini cibi efficacitatem impedire, lumen eius obſcurare & ardori eius poſſet obſiſtere. Et vt me tecum tam arcta coniunctione vnire dignaris, dũ mihi te ipſum in cibum & potum præbes, ita quoque animam meam amoris tui calore inflammatam indiuiduo tecum nexu obſtringe, vt mutuis vtrimque flammis ardentes in omnem ęternitatem ſuauiſſima inter nos amoris concertatione perfruamur. Amen.

VIII.

De cæleſti gloria.

QVo me vertam? quem ibi terminum quęram; vbi nullus eſt terminus? O beatiſſimam animam, quæ in interminati boni perſcrutatione ſeipſam perdere poterit, quæ in infinito diuinæ miſericordiæ labyrintho æternum abetrabit! O animam feliciſſimam, quæ ſe in profundiſſimum bonitatis diuinæ oceanum poterit immergere, quæ in ſuauiſſimo infinitæ caritatis incendio, donec in fauillas & ignes tota vertatur, perdurabit! Quid primum, quid poſtre-

tionem commouet? An non belluis omnibus immaniores, cautibus immobiliores ſumus quos tantæ maieſtatis reuerentia, cuius obtutu etiam columnæ cęlorum contremiſcunt, ſtupore exanimatos ad terram non proſternit, dum ſacris hiſce epulis paſcimur? Quamuis enim & inferno obſcuriores, & glacie frigidiores eſſemus; an non repente tam ſplendido ſole, tam luculento igne intra pręcordia excepto, clariſſima luce colluſtrari, vehementiſſimoque ardore ſuccendi deberemus? Quo vis noſtra ſentiendi euanuit, qui tam parum cæleſtis huius ignis ardorem percipimus? vbi amor noſter, quem non aliter tanti boni præſentia percellit? Etſi enim in inferno ſepultus lateret, an non diuinæ huius eſcæ ſuauitate guſtata inde euolaret? etſi profundiſſimo mortis ſomno ſopitus eſſet, an non vehementiſſima cibi huius efficacitate ad vitam iterum poſſet reuocari, cuius tāta vis eſt, vt & mortuis omnibus vitam extinctam momento poſſit reſtituere? hoc nos cibo pro pudor! toties veſcimur, & tamen tam exiliter eius in nobis virtutem percipimus O benigniſſime Domine, quis mihi ſenſum deperditum reſtituet? quis excæcato meo cordi viſum reddet? quis animam fame enectam, ſiti aridam refocillabit? quis pectus hoc frigore

gore conglatiatum vitali amoris æſtu ſuccendet; niſi tu Deus meus, qui ſolus ſaluberrimo corporis & ſanguinis tui paſtu tanta ei bona momento impertiri potes? Exige precor ab anima mea Domine quidquid in ea diuini cibi efficacitatem impedire, lumen eius obſcurare & ardori eius poſſet obſiſtere. Et vti me tecum tam arcta coniunctione vnire dignaris, dũ mihi teipſum in cibum & potum præbes, ita quoque animam meam amoris tui calore inflammatam indiuiduo tecum nexu obſtringe, vt mutuis vtrimque flammis ardentes in omnem ęternitatem ſuauiſſima inter nos amoris concertatione perfruamur. Amen.

VIII.

De cæleſti gloria.

QVo me vertam? quem ibi terminum quęram; vbi nullus eſt terminus? O beatiſſimam animam, quæ in interminati boni perſcrutatione ſeipſam perdere poterit, quæ in infinito diuinæ miſericordiæ labyrintho æternum aberrabit! O animam feliciſſimam, quæ ſe in profundiſſimum bonitatis diuinæ oceanum poterit immergere, quæ in ſuauiſſimo infinitæ caritatis incendio, donec in fauillas & ignes tota vertatur, perdurabit! Quid primum, quid poſtre-

mum de hac gaudiorum infinitate commemorabo? Quo me tandem conuertam? ſi animum ad diuinæ maieſtatis contemplationem erigam, quæ me vis, quæ machinatio inde auellere, quæ calamitas poterit perturbare? quæ voluptatum blanditiæ ad peccatum pellicere? quæ mundi pollicitationes in fraudem inducere? Si me ad pedes iuſtiſſimi huius iudicis abiiciam, quæ hoſtium minæ, qui terrores ad flagitium adigent? Si infinitam Dei ſapientiam cogitatione percurram, quæ me curæ affligent? quis timor percellet? Si diuinæ potentiæ amplitudinem ſuſpiciam, quæ me ſub eius patrocinio viuentem potentia concutiet? quæ militum copiæ expugnabunt. Si naturæ diuinæ amabilitatem illimitatam, liberalitatem, miſericordiam, benignitatem interminatam expendam? quid extra Deum deſiderem? quid optem? quod non in ipſo infinite perfectius. quam mihi cogitatione poſſim effingere, inueniam? perſcrutare omnia anima mea, quidquid libuerit concupiſce: diuitiæ in eo infinitæ, pulchritudo infinita, voluptas, bonitas, benignitas infinita, & hęc omnia nulla anxietate aut moleſtia vitiata. immenſa in eo ſapientia, intelligentia, prouidentia; incomparabilis cognitio, eloquentia; ſanctitas, incom-
pre-

prehenſibilis ſcientia, liberalitas, omnipotentia. Effinge tibi quod voueas, meditare quod placeat: nullum vſquam bonum tam amabile, nullam tam liquidam voluptatem inuenies, quæ non longe perfectior in naturæ diuinæ excellentia inexiſtat. Quid fugacibus opibus inhias? quid mortalis vitæ honores ambis? quid deliciis, quid amicorum aſſentatione caperis? inanes vmbræ ſunt & fumi, & quæ vt ſtellæ in ſolis radio, in diuinæ bonitatis ſplendore ne cernantur quidem. Illecebræ ſunt quibus animæ rationalis appetitus irritari aliquantulum, expleri vero numquam poſſit, quippe quæ, vti inter creata omnia rebus ſub aſpectum cadentibus longe præſtantior; ita appetentia cupiditateq; multo amplior eſt, quam vt finitis limitatiſq; creati boni opibus expleri poſſit: tantum æterna illam & infinita, quæ in ſolo Deo comperiũtur, ſatiare poſſunt. Ille enim ſolus, vtpote omni ex parte infinitus, eam bonorum amplitudinem poſſidet, quæ inſatiabilem rationalis animæ cupiditatem ſatiare poſſit. Et ſane quid ſunt mortalium diuitiæ, cum cæleſtibus theſauris comparatæ? mundi honores cũ æterna gloria collati? fugaciſſimæ huius vitæ voluptates, ſempiternis gaudiis compoſitæ? quid terreſtre hoc ſolum cui inſiſtimus, præ ſtellatis

cæli atriis ad quæ pergimus? quid inſidioſa infidorum amicorũ familiaritas, præ iucundiſſimo tot Angelorum Sanctorumq; conuictu! quid incerta hæc & calamitoſa vita, ſi cum beatiſſima atque interminata conferatur. Et quid hæc omnia ſi cum Deo componantur? minora vtique quam gutta cum oceano, cum ſole facula, arenæ puluiſculus cum vniuerſi globo, comparata. Quanta ergo illius hominis amentia, qui animum & voluntatem rerum cæleſtium capacem, inaniſſimis ac fugaciſſimis huius vitæ quiſquiliis ita affigit, vt deſertis conſtantibus, ſolidis æternisque bonis, fallaciſſimas tantum vmbras & fumos conſectetur. Coniice te ô anima mea, in hanc omnium bonorum immenſitatem, perſequere hanc perpertuæ felicitatis æternitatem: ceteraque omnia mundi bona indigniſſima crede, quorum ſe cura & amore animus ad Dei imaginem conformatus occupet. Ad æternorum infinitorumque bonorum poſſeſſionem condita es; quid te tanto affectu ad fugaces vaniſſimaſque reculas abiicis? Deus te cæli heredem ſcripſit, quid tam auide terram affectas? ea conſectare, quæ non ſint dignitate tua inferiora: naturæ tuæ excellentia exceſſu prope infinito omnem fluxarum rerum dignitatem vincit.

Adni-

Adnitere totis viribus vt res te maiores præstantioresque, & quæ te maiorem præstantioremque efficere possint, consequare. Solus hoc Deus potest: huius bonitas infinita omnes tuas cogitationes absorbeat, omnia studia occupet, omnem amorem tuum inuoluat. O felicissimam beatissimamque animam, quæ immenso hoc interminatæ bonitatis, liberalitatis, benignitatis, clementiæ, sapientiæ, omnipotentiæ, voluptatis, & amoris oceano immersa fluitabit!

Pſal. 12. *Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino quia bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſsimi.*

Pſal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.*

Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultaui lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Pſal. 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.*

Pſal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt! & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Pſal. 26. *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

uum: quando veniam & apparebo ante conſpectum Dei?

Pſal. 56. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſalmum dicam.*

Pſal. 60. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula: protegar in velamento alarum tuarum.*

Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam: dediſti hereditatem timentibus nomen tuum.

Pſal. 62. *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.

Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

Pſal. 65 *Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.*

Pſal. 67. *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectētur in lætitia.*

Pſal. 72. *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde?*

Quid

Quid enim mihi in cælo? & à te quid voluï ſuper terram?

Pſal. 83. *Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.*

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.

Pſal. 88. *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: aquilonẽ & mare tu creaſti.*

Miſericordias Domini in æternum cantabo.

In generationem & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.

Domine in lumine vultus tui ambulabũt, & in nomine tuo exultabunt tota die: & in iuſtitia tua exaltabuntur.

Pſal. 89. *Prius quam montes fierent aut formaretur terra, & orbis; à ſeculo & vſque in ſeculum tu es Deus.*

Pſal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

rabitur. Dicet Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.

Tu es Domine ſpes mea: Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Pſal. 97. *Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ.*

Pſal. 102. *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.*

Pſal. 105. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*

Pſal. 106. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.*

Pſal. 107. *Magna eſt ſuper cælos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.*

Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra?*

Pſal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo?*

INDEX MEDITATIONVM.

Breuis ad meditationem instructio. 3
Præludia meditationis. 5
Exordium meditationis. ibid.
Ipsius meditationis consideratio. 6
Obseruatio circa colloquium. 7
Retractio post meditationem. ibid.
Delectus argumenti meditationis. 8
Tria hominum genera, quorum magna est ratio habẽda in omni exercitiorum ac meditationum delectu. 10
Finis meditationis. 12
Subsidia quibus hunc meditationis finem assequi possimus. 13
Aspirationum fructus. 15
Quædam cauenda iis qui meditari volunt. ibid.
Discrimina inter affectus ac illustratio-nes

nes à Deo, à natura, aut à dæmone profectas. 16
Proprietates ac affectus ex Dei amore, tamquam venæ è proprio fonte profluentes. 18
Modi quibus Deus hominem ſibi deuincire, & maiorem in eo charitatem excitare ſolet. 19
Obſeruationes quædam iis qui meditaturi ſunt neceſſariæ. 21
Breuis ad meditationem introductio. 24
Frequentatæ meditationis fructus. 32

MEDITATIONVM PARS PRIMA VIÆ PVRGAgatiuæ accommodata.

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

De fine ad quem homo creatus. 38

DIES SECVNDVS.

De peccato Angelorum. 42

DIES TERTIVS.

De peccato primorum parentum Adami & E-

& Euæ. 44

DIES QVARTVS.

De peccatorum grauitate. 51

DIES QVINTVS.

De propriis cuiusque peccatis. 55

DIES SEXTVS.

Variæ considerationes ad vitæ correctionem excitantes. 58

DIES SEPTIMVS.

De præsentia Dei. 64

Hebdomas secunda.

DIES PRIMVS.

De mundi vanitate ac fallacia. 68

DIES SECVNDVS.

De morte. 71

DIES TERTIVS.

De iis quæ instantis mortis molestiam exasperant. 78

DIES QVARTVS.

De iis quæ mortem sequuntur. 83

DIES QVINTVS.

Mortem diuitibus esse quam pauperibus tristiorem acerbioremque. 89

DIES.

DIES SEXTVS.
De pernicioſa mortis obliuione. 92
DIES SEPTIMVS.
De ſalutari mortis memoria. 98

Hebdomas tertia.

DIES PRIMVS.
In hæc verba.
Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. 102
DIES SECVNDVS.
De iudicio particulari. 106
DIES TERTIVS.
De Purgatorio. 112
DIES QVARTVS.
De iudicio vniuerſali. 117
DIES QVINTVS.
De damnationis decreto.
Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. 125
DIES SEXTVS.
De triſtiſſimo damnatorum à Deo diſceſſu. 128
DIES

DIES SEPTIMVS.

De inferno. 133

Hebdomas quarta.

DIES PRIMVS.

De grauitate peccati mortalis. 142

DIES SECVNDVS.

De Superbia. 145

DIES TERTIVS.

De Auaritia. 153

DIES QVARTVS.

De Luxuria. 158

DIES QVINTVS.

De Odio & Inuidia. 165

DIES SEXTVS.

De Gula vitio. 168

DIES SEPTIMVS.

De Ira & Acedia. 173

ORATIONES PRIMÆ PARTIS.

Orationes ad peccatorum detestationem excitantes. 177
Orationes ad salutarẽ mortis horam impetran-

petrandam. 186.
Orationes ad extremi iudicii terrores atque inferorum cruciatus deprecandos. 193. & seqq.
Oratio cum quis se ad peccatum sollicitari sentit vsurpanda. 203
Alia item Oratio aduersus hostium sollicitationes, impugnationesque. 205
Oratio hominis in flagitium prolapsi. 206.
Oratio ad peccatorum detestationem impetrandam. 208.
Aspirationes ad vitiorum & peccatorum detestationem excitantes. 213.

PARS SECVNDA.

Viæ illuminatiuæ subseruiens.

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

In hæc verba.

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. 219.

DIES SECVNDVS.

In hæc verba.

Adue-

Digitized by Google

Adueniat regnum tuum. 221

DIES TERTIVS.

In hac verba.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. 227

DIES QVARTVS.

In hac verba.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 231

DIES QVINTVS.

In hac verba.

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 234

DIES SEXTVS.

In hac verba.

Et ne nos inducas in tentationem. 237

DIES SEPTIMVS.

In hac verba.

Sed libera nos à malo. 241

Hebdomas ſecunda.

DIES PRIMVS.

Angeli-

Digitized by Google

Angelica salutatio. 247
Indicia quadam vera humilitatis. 252
Considerationes quadam ad humilitatem excitantes. 256

DIES SECVNDVS.

Beatissima Virgo cognatam suam Elisabeth visitat. 265

DIES TERTIVS.

De Christi natiuitate. 273
Considerationes quadam ad amorem paupertatis excitantes. 283

DIES QVARTVS.

Circumcisio Christi. 287

DIES QVINTVS.

Magorum adoratio. 294

DIES SEXTVS.

Fuga in Ægyptum, & innocentium cades. 302

DIES SEPTIMVS

De Christo inuento in templo. 317

Hebdomas tertia.

DIES PRIMVS.

Oratio Christi in horto. 322

DIES SECVNDVS.
De comprehensione Christi. 336
DIES TERTIVS.
Christus à militibus pugnis caditur & sputis fœdatur. 348
DIES QVARTVS.
De Christi flagellatione. 354
DIES QVINTVS.
De Christi coronatione. 368
DIES SEXTVS.
Christus crucem baiulans ad mortem ducitur. 375
DIES SEPTIMVS.
De cruce Christi. 383
Hebdomas quarta.
DIES PRIMVS.
In hæc verba.
Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. 393
DIES SECVNDVS.
In hæc verba.
Hodie mecum eris in paradiso. 398
DIES TERTIVS.

In hæc

In hæc verba.
Mulier ecce filius tuus. 404

DIES QVARTVS.

In hæc verba.
Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? 409

DIES QVINTVS.

In hæc verba.
Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. 417

DIES SEXTVS.

In hæc verba.
Consummatum est. 422

DIES SEPTIMVS.

In hæc verba.
Pater in manus tuas commendo spiritum meum. 426

ORATIONES PARTIS SECVNDÆ.

In Orationem Dominicā Pater noster. 439
Oratio ad beatissimam Virginem de Angelica salutatione. 448

Oratio de Christi incarnatione. 451
Oratio de beata Maria cognatam suam Elisabeth visitante. 453
Oratio de Christi natiuitate. 456
Oratio de Christi oratione in monte Oliueti. 459
Oratio de comprehensione Christi, flagellatione ac coronatione. 462
Oratio de Christi cruce. 466
De quinque Christi vulneribus, eiusque siti in cruce. 471
Oratio in hæc verba:
Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? 474
Oratio in hæc verba:
Hodie mecum eris in paradiso. 477
Oratio ad corpus Christi. 479
Oratio ad Christi crucem. 484
Aspirationes virtutibus comparandis accommodatæ. 486

PARS TERTIA.

Via vnitiuæ respondens.

Hebdomas prima.

DIES PRIMVS.

De Chriſti in limbum deſcenſu. 491

DIES SECVNDVS.

Chriſtus à morte reſurgit, ac viuum matri ſe exhibet. 497

DIES TERTIVS.

Chriſtus Mariæ Magdalenæ ſe oſtendit. 502

DIES QVARTVS.

Chriſtus ſe mulieribus quibuſdã, iterumque Mariæ Magdalenæ, Petro, Diſcipuliſque in Emaus abeuntibus oſtendit. 514

DIES QVINTVS.

Chriſtus oſtendit ſe Diſcipulis ſimul congregatis. 523

DIES SEXTVS.

Chriſtus Diſcipulos præſente Thoma viſitat. 529

DIES SEPTIMVS

Chriſtus oſtendit ſe Petro & Ioanni. 536

Hebdo-

Hebdomas secunda.

DIES PRIMVS.

De vulneribus Christi quæ post resurrectionem seruauit. 551

DIES SECVNDVS.

De Christi in cælos adscensu. 561

DIES TERTIVS.

Aduentus sancti Spiritus. 571

DIES QVARTVS.

De septem donis Spiritus sancti. 581

DIES QVINTVS.

De apparitione B. Stephano facta. 587

DIES SEXTVS.

De apparitione Christi Paulo facta, eiusdemque conuersione. 593

DIES SEPTIMVS.

De vita, morte, præmio Sanctorum, & præsertim de obitu Deiparæ Virginis, eiusque in cælos assumptione. 602

Hebdomas tertia.

DIES PRIMVS.

De Deo vno in essentia, trino in personis. 613

DIES SECVNDVS.

De æternitate, infinitate, immensitate Dei, eiusque in omni loco præsentia & perfectione interminata. 625

DIES TERTIVS.

De misericordia, liberalitate, & iustitia Dei. 677

DIES QVARTVS.

De sapientia, prouidentia, & omnipotentia Dei. 650

DIES QVINTVS.

De bonitate, amabilitate & sanctitate Dei. 666

DIES SEXTVS.

De amore Dei in homines. 676

DIES SEPTIMVS.

De amore quem nos Deo debemus. 683

Hebdomas quarta.

DIES PRIMVS.

De beneficiis Dei. 691

DIES SECVNDVS.

De creatione mundi. 698

DIES TERTIVS.

De creatione hominis eiusque conseruatione. 706

DIES QVARTVS.

De Angelo quem Deus cuilibet homini ad perpetuam custodiam apposuit. 715

DIES QVINTVS.

De vocatione Dei. 723

DIES SEXTVS.

De cælesti gloria nobis à Deo præparata. 728

DIES SEPTIMVS.

De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. 738

ORATIONES TERTIÆ PARTIS.

Oratio de gloriosa Christi resurrectione. 745

Oratio de Christo Magdalenæ exemplo inuestigando. 748

Oratio de apparitione Christi Thomæ facta. 752

Oratio de Christi in cælos ascensu. 756
Oratio de aduentu Spiritus sancti. 760
Oratio de beneficiis Dei. 764
Oratio de Venerabili Eucharistia. 768
Oratio de cælesti gloria. 771
Aspirationes ad Dei amorem excitantes. 775

APPRO-

APPROBATIO.

V*Tiliter imprimetur liber Meditationum* R. P. Caroli Scribani Societatis IESV, *translatus in Latinam linguam, 24. Iunii, 1615.*

Egebertus Spitholdius, Plebanus, librorum Censor.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google